

EPISTOLAE, PER TOTVM ANNVM DOMINICIS DIEBVS in Ecclesia legi solitæ, per Quæstiones explicatæ, & illustratæ. Autore IOANNE SPANGENBERGIO Herdessiano.



FRANC. Apud Hæred. Chr. Egenolphi Hadamarij.

M. D. LX.

AD GENEROSUM DOMINUM, DN. REINHARDUM COMItem ab Eisenberg, ac Dominum in Budingen, &c.

Ode Sapphica Reinhardi Lorichij Hadamarij.

SI Magistratus pietate clarus,
Candido VERBI studio ministros
Fouerit, puro sacra nunciantes
Dogmata sensu:
Publicæ uulgò bene res habebunt,
Atq; prouentu penitus secundo
Cuncta florebunt spaciosa totum
Regna per orbem.
Si bonos contrà stygio Tyranni
Prædicatores rabidi furore
Strauerint: uel si pia turba fatis
Rapta malignis:
Semper infaustis auibus, sinistro
Atq; progressu fluitabit orbis
Totus, ut cyrbes, mare, lerna possit
Esse malorum.
Claritas VERBI speciosa totum
Luce collustrat rutilante mundum,
Aureis tanquam radijs corusca
Lumina Solis.
Fulserit quòd si minus hic, profundis
Terra nigrescet tenebris: adempto
Sic DEI VERBO, mera nox opacis
Ingruet umbris

Mose defuncto, Iosuaq; noctes
Horridae ac dirae simul inciderunt,
Turpe quae caecam rapuere plebem
Ad scelus omne.
Ipse uitali Samuel Propheta
Nobilis donec frueretur aura,
Prospero Saulus nituit beatus
Omine princeps.
Ac Ioas recto stadio cucurrit,
In uia iusta remanens, sacerdos
Dum gubernaret monitis superstes
Ioiada sanctis.
Ast ubi doctor bonus hic obiuit,
Ille deliquit, sceleris q; poenas
Impij saeuas rigido pependit
Ense peremptus.
Efferi postquàm Solymi necârunt
Caede Praecones uaria sacratos,
Ire coeperunt, fuerant prius quae
Florida, pessum.
Quanta caligo fieret diebus
Ac lues nostris, furiosa quòd si
Tolleret VERBVM rapido tyrannis
Impete sacrum?
Hinc Comes multum, Generose, curas
In tua surgant ditione Mystae,
Quos foues doctos, colis, ac tuere,
Protegis, ornas.

Quae fuit causae ratio, dic ãrim
Cur tibi praesens Opus, in Latinum
Quod modò uerti, graphio tametsi
Non bene culto.
Comitas atqui tua pollicetur,
Te, mei quicquid fuerit laboris,
Esse capturum gremio fauoris
Candidiore.

VERSICVLI MEMORATIVI, QVI *bus facilè quis poterit animo complecti Epistolas toto Anno in Ecclesia legi solitas.*

Roma.2. Hora est. *Roma.15.* Sunt scripta, *1.Corinth.4.* Sic nos.
Philip.4. Gaudete. *Galat.4.* Puellus.
Roma.12. Hostia. *Roma.12.* Diuersas *Roma.12.* Prudẽtes. *Roma.13.* Debita.
Coloss.3. Sancti.
1.Corin.9. Currunt. *2.Corin.11.* Suffertis. *1.Corin.13* Linguisq; *1.Corin.6.* per arma.
1.Thessa.4. Voluntas.
1.Corinth.5. Fermentum. *1.Ioan.5.* Vincit. *1.Petri 2.* Passus.
1.Petri 2. Subiectio. *Iacob.1.* Donum.

Iacob.1. *1.Pet.4.* *Acto.2.* *Rom.12.* *1.Ioan.4.*
Factores. Sobrij. Linguæ. Iudicia. Amorq́;.

1.Ioan.3. *1.Petri 5.* *Rom.8.* *1.Petri 3.*
Mirari. Exaltet. Cōdignè. Cōpatientes.

Roma.6. *Roma.6.* *Roma.8.*
Qui baptizati. Membra. Abba.

1.Corinth.10. *1.Cor.12.*
Ludere Gentes.

1.Corinth.15. *2.Corinth.3.* *Galat 3.*
Mortuus Occidit Testamen.

Galat.5. *Galat.6.*
Spiritus. Alter.

Ephe.3. *Ephe.4.* *1.Cor.1.* *Ephe.4.*
Flecto genu. uictus. Pro uobis. Sol super iram.

Ephe.5. *Ephe.6.* *Philip.1.*
Non uino. Arma Dei. Qui cœpit.

Phil.3.& 4. *Coloss.1.*
Flens Tenebrarum.

2.Petri 1. *1.Thessa.4.*
Filius hic meus est. Christus uenturus ab alto.

DOMI-

DOMINICA PRIMA ADVENTVS, EPISTOLA AD Roma. XIIII.



RATRES, quum ſciamus tempus, quòd tēpeſtiuum ſit à ſomno expergiſci. Nunc enim propius adeſt nobis ſalus, quàm tum, cùm credebamus. Nox progreſſa eſt, dies autem appropinquat. Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis, tanquam in die compoſitè ambulemus. Non comeſſationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac laſciuijs, non contentione & æmulatione, ſed induamini Dominum Ieſum Chriſtum. Et carnis curam ne agatis ad concupiſcentias.

Quidnam hæc Epiſtola docet?

Nihil de fide, ſed de bonis eius operibus atq; fructibus, inde productis, agit ac inſtituit, imò prouocat, exhortatur, expergefacit ac impellit non tantùm ignorantes, ſed etiam ſcientes, quæ debeant honeſta facere. Atq; ea duo bonis Concionatoribus apprimè neceſſaria, nempe docere quod incognitum. Deinde ad id exhortari, allicere et inflammare, quod antea notum, ut honeſtum, atq; ſalutare.

Ad quidnam in hac Epistola nos S. Paulus adhortatur?

Ad duas res factu necessarias: Vt à somno expergiscamur, uigilemus, compositè ambulemus; Et ut abijciamus opera tenebrarum, & induamus Iesum Christum.

Qualibus in exhortando uerbis est usus?

Vt altius animis hærerent, ac mentibus imprimerentur, ornata, nec non Rhetoricis perpolita figuris uerba protulit, Quibus somnum appellat tenebras, Vigilare lucem, Noctem peccata, & diem opera bona.

Loquiturne S. Paulus de naturali somno atq; uigilia?

Minimè, sed pulcherrimam rerum naturalium similitudinem nobis proponit, ac animis inserit, ut eius lepida uenustate simul ac grauitate captos prouocet nos atq; traducat in spiritualem habitum atq; uitam. Quasi dicat: Cùm dies illuxerit, homines cubitu surgere uidetis, ac è tenebris in lucem prodire, solisq; claritatem obuijs, quod aiunt, ulnis amplecti, incipientes officium suum facere, & corpori necessaria quærere. Quantò magis nos Christiani, quibus iustitiæ sol, Christus, exortus est, debemus è somno peccatorum excitari, & tenebrarum opera, quæ sunt omnia scelerum genera, uigilanter ac fortiter abijcere, & gratißimis

animis

animis salutarē Euangelij prædicationē amplecti.

Quidnam est surgere, & è somno expergisci?

Nihil aliud, quàm abnegare impietatem, & mūdanas concupiscentias. Ad Titum 2.

Quid compositè ambulare?

Est sobriè & castè, & piè uiuere in præsenti seculo, & expectare beatam illam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei, *&* Saluatoris *nostri Iesu Christi.*

Quidnam dies & lux?

Est apparitio salutaris, & exorta claritas gratiæ atq; misericordiæ diuinæ.

Quomodo conueniunt atque concordant inter se naturalis somnus, atq; spiritualis?

Qui naturali sopitus somno dormit, nihil eorū uidet, neq; sentit, quæ geruntur in mundo, iacet inefficax, & inutilis, non aliter atq; uita defunctus homo, quem nullius rei cura tangit. Interim autem loco rerum uerarum, inutilibus atq; fallacibus imaginibus & formis, utpote uarijs somniorum atque spectrorum præstigijs eluditur, quæ omnia, quum iam experrectus fuerit, euanescunt. Sic homo, qui spiritualiter dormit, hoc est, absorptus impietate, nihil agit boni, reputatur à Deo *mortuus, quum nihil eorum uideat, neq; sentiat, quæ per* Euangelium *bona proponuntur, sed interea rebus momen-*

taneis, futilibus, atque caducis irretitus, amplexetur huius mundi delitias, atq; gaudia, quæ humanæ quidem naturæ uiua reputantur, sed diuinis & æternis comparata, nihil aliud sunt, quàm mera somnia, uanaq; spectacula. Verumenimuerò cùm per acceptæ fidei, uel ingruentis mortis excitationem euigilauerit, tum demùm uidebit ac intelliget somnia mera fuisse omnia, quæ habuerit in delitijs in hoc mundo.

Suntne horum sacris in litteris testimonia?

Sunt dilucida. Psalm. 72. inquit Dauid: Velut somnium surgentium, Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Item Esa. 29. Sicut somniat esuriens, & comedit, quum autem fuerit expergefactus, uacua est anima eius. Et sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius uacua est: Sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.

Cùm mera somnia sunt omnes apparatus, delitiæ, atq; gaudia mundi, cur in eorum abusu Reges atq; principes tantoperè insaniunt?

Quoniam adhuc dormiunt, & nondum è somno sunt experrecti. Non uident adhuc, nec corde fideli percipiunt salutarem Euangelij lucem.

Hæc

Hæc horrenda cæcitas omnis furoris est caput, atque fons malorum omnium.

Cur autem nos è somno debemus expergisci?

Quoniam propius nobis adest salus, quàm tum, quum credebamus. Hoc est, ante claram Euangelij lucem omnes Patriarchæ atq; Prophetæ crediderunt, sperauerunt, & expectauerunt aduenturũ mundi Saluatorem, eademq; fide cõseruati fuerũt. Atqui iam non est necesse, nec opus, ut aduenturũ Christum præstolemur, quum in manus sit data nobis fides. Apparuit enim, ac præsens ipse uenit in mundum Christus, illuxit Euangelij clarißimus splendor, & per totum terrarũ orbem est diffusa Abrahæ benedictio. Ergo quum nos in eo die (quẽ Abraham uidit, atq; gauisus est, Ioan. 8.) uersemur, non ueterno torpere, nec turpiter delitiari, sed omnem ignauiam excutere, & honestis rebus, operibusq; bonis, animũ uigilanter intendere debemus. Hoc enim est, quod in hac Epistola dicitur: Nox progressa est, Dies autem appropinquauit.

Quid nox?

Obscurißima nox est omnis doctrina, quæ repugnat Euangelio, extra quod nihil est salutare, sed omne pestilens, horrida caligo, & infernales tenebræ.

Qui est dies?

Euangelij claritas, quæ illuminat corda, et bona

nobis

nobis æterna commõstrat, ut his solis operam demus, & piè magisq; strenuè negotiemur, in die conuersantes semper honestè atq; iustè.

Quid Sanctus Paulus uult subintelligi per ea uerba: Nox progressa est, Dies autem appropinquauit?

Amœnißimam diei partem, nempe auroram, ac solis ortum describens, ita dicit: Cùm nox præterijt, ac dies illucescit, uidetis eo gratißimo tempore creaturas omnes è tenebris in lucem & agiliores & lætiores prodire, homines exuscitari, aues cantibus indulgere, & iubilare. Omnia deniq; animalia magis alacriter moueri, adeoq; passim omnia uelut orbe recens facto renouata uideri, atq; uiuificata. Quantò igitur magis nos excitari debemus, & ad opera bona facienda magis alacres reddi, quum nobis aurora uera sit exorta, hoc est, quum cœlestis Euangelij lux, & diuina ueritas salubriter effulserit, quæ nos ab omnibus tenebrarum operibus est liberatura, atq; saluos factura. Potentia siquidem est Dei, ad salutem omni credenti. Roma. 1.

Quænam sunt opera tenebrarum?

S. Paulus hoc in loco sex enumerat, Nempe comessationes, ebrietates, desidiã, lasciuias, cõtentionem, & æmulationem, quib. omnia alia, quæ poterit

rit homo designare crimina, complectitur. Nam odium & inuidia, cor atq; cogitationes, unde prodeunt mala, tangunt, Contentiones & rixæ uerba notant. Comessationes autem & ebrietates, item ocium turpe, simul ac libidines, opera perstringunt, quæ omnia ueluti catena, per stabilem complicationem connexa sunt, ita ut ubi unum illorum fuerit, ibi statim alia concomitentur.

Quid ita?

Nam ubi ciborum superfluitas, ubi luxus & ebrietas regnant, ibi portentosa libido prædominatur. Etenim, ut Diuus Hieronymus inquit, distentum mero & cibo uentrem obscœna genitalium uoluptas sequitur. Eleganti prouerbio Græci dicunt, τὸν οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλια, hoc est, Vinum non habere clauum, propterea quòd ebrietas nihil consultè, neque moderatè uel dicit, uel facit: obruitur enim ratio, quæ claui uice gubernat hominem. Hinc subsidente uino supernatant uerba, sæpe effutientia redituras per iugulum uoces. Vanitatem oculi spectant, & cor peruersa cogitat. Veloces manus ac pedes ad peccandum. Quum enim mens à uino corrupta fuerit, idem patitur quod currus, qui aurigas suos effuderunt. Illi enim nullo ordine feruntur, aberrando sine rectore, sic animus multùm offendit ratione subuersa. Hinc bene monet Salomon Prouerb. 23. inquiens: Ne uinum inspicias cùm rubescit, cùm pellucet per

uitrum

uitrum color eius, & arridet, postremò uelut serpens mordebit, & uelut aspis punget. Omnibus itē constat, quaenam facinora designare soleam odia, contentiones, inuidiae, irae. Hinc enim exaestuans furor exagitat parentes contra liberos, & filios aduersum patres. Et facit, ut non hospes ab hospite tutus: Nec socer à genero: fratrum concordia rara. Igitur S. Paulus diligenter nos admonet, ut eadē horrenda crimina deuitemus, & abijciamus eiusmodi tenebrarum opera, & arma lucis induamur.

Quaenam sunt arma lucis?

Sanctus Paulus uerbis paucißimis, quibus admonet, ut Dominum Iesum Christum induamus, indicat nobis, ac uelut per transennam inspicienda commonstrat omnia lucis arma.

Quomodo Christum induimur?

Id ratione duplici contingit: Primò, quum propriarum eius uirtutū amictu redimimur, quod per fidem solet euenire: Deinde, quum ipsum Christum ut nostrum exemplum & archetypon imitamur, redditi conformes incorrupta uiuendi ratione. De qua re loquitur hîc S. Paulus.

Quomodo igitur iuxta hanc rationem induimur Christum?

Principiò nullam in Christo uidemus crapulā, nec ullam ebrietatem fuisse, sed uitam modestam & sobriam, per ieiunia crebra, corporisq; castigationes animaduertimus egisse, consumptum laboribus

aßiduis,

aßiduis, & peregrinationibus, concionib. orationibus, atq; beneficijs in omnes homines conferendis exhaustum, ut nullus ignauiæ uel lasciuiæ locus fuerit relictus, sed omnibus uitijs expulsis, inhæserit honesta uita, modestia, castitas, continentia, paupertas, ut ruri sæpius, cubili carens atq; lecto, recubuerit. Deinde, nullum in Christo uidemus odium flagrasse, nec inuidiam, neq; contentionem, sed meram pacem, mansuetudinem, clementiam, gratiam, charitatem, patientiam, longanimitatem & bonam deniq; erga omnes homines uoluntatem enituisse.

Cùm igitur exemplũ Christi sequimur, et doctrina simul ac uita referentes ipsum, exprimentesq;, frequenter ieiunamus, iugiter oramus, aßiduè uigilamus, adoramus, siti premimur, inediam patimur, algemus, æstuamus. item quũ misericordes sumus, humiles, pacifici, fideles, benigni, longanimes, casti, mites, sobrij, mãsueti, ueraces, tũ induimus uera lucis arma, nempe Iesum Christum, qui nos ornat & excolit, ut in die poßimus compositè ambulare.

Quid significat, in die ambulare?

Est omnem malitiam, omne crimen, omnia deniq; peccata, per fidem, corda purificantem, abijcere, & uitam talem exigere, qualem requirit Euangeliũ, doctrinæ Christi respondentẽ. Quod qui facit, ambulat in luce, quemadmodum ipse Christus ait, Ioan. 3. Qui operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius, quòd per Deum sint facta.

facta. Omnis autem qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ut arguantur opera ipsius.

Quænam huius Epistolæ summa?

Communis est ad omnes Christianos paraclesis. Quandoquidem, inquit, Christum cognouistis, & per fidem estis iustificati, restabit, ut non amplius accõmodetis membra uestra arma iniustitiæ, peccato, sed accommodetis uosmetipsos Deo, uelut ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iustitiæ Deo. Estote laboris patientes, industrij, uigiles, & impigri semper ad opera fidei, bonosq; fructus producendos. Expurgate uetus illud fermentum. Exuite ueterem hominem cum factis suis. Mortificate membra uestra terrestria, stuprum, immunditiam, mollitiem, concupiscentiam malam, & auaritiam. Sitis induti uiscera miserationum, lenitatem ac charitatem, quæ perfectionis uinculũ. Proximo suppetias ferte cõsulendo, consolãdo, inseruiendo, manumq; porrigendo. Nõ desidiosi torpeatis, nec somniculosi cessetis, neq; contentionib. distrahamini, sed indies magis atq; magis progrediamini bona perpetim opera faciendo, uirtutũq; studijs frequenter incumbendo, ut tandem auxilio Christi saluatoris adiuti, peruenire poßitis ad lucem, quæ nunquã obscurabitur: ad diem, quæ nullam habitura noctem: ad cœlestem deniq; uitã, ubi nulla mors inhorrescit, sed æterna securitas, pax, gaudium

dium, atq; felicitas inclarescit. Ad quae nos perducat Christus, Amen.

DOMINICA SECVNDA
Aduentus, Epist. ad Romanos XV.

FRatres: Quaecunq; scripta sunt, in nostram doctrinā praescripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Deus autem patientiae & consolationis det uobis idem mutuò inter uos sentire, secundum Iesum Christum, ut unanimiter uno ore glorificetis Deum, ac patrem Domini nostri Iesu Christi. Quapropter assumite uos inuicem, quemadmodum & Christus assumpsit nos in gloriam Dei. Illud autem dico, Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis pro ueritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Caeterùm ut gentes pro misericordia glorificent Deum, sicut scriptum est: Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo canam. Et rursum dicit: Gaudete gentes cum populo eius. Et rursum: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Et rursum Esaias dicit: Erit radix Iesse, & qui exurget ad imperandum gentibus, in eo

gentes sperabunt. Deus autem spei impleat uos omni gaudio & pace, in credẽdo, in hoc ut exuberetis in spe per potentiam spiritus sancti.

Quidnam S. Paulus in hac Epistola docet?

Nobis proponit ac commonstrat uerum atq; salutarem librum, quem Christiani uigilanter euoluere, & ediscere debeant, nempe sacram scripturam. Eam igitur nobis familiarem esse faciendam asserit, cùm quaecunq; scripta sunt, nostri causa scripta sint: hoc est, in nostram doctrinam, ut per consolationem scripturarum spem habeamus, atque salutem consequamur. Quibus uerbis utilitates scripturae duas, atq; fructus enumerat, nempe patientiam, atq; consolationem.

Ad quid conducit patientia?

Doctrina, qua Christum confitemur, & ad ueritatem Euangelicam adhaerescimus, persecutiones adfert. Omnes enim qui uolunt piè uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur, 2. Timoth. 3. Quippe mundus Euangelicae doctrinae pertinacius aduersatur, atque contumaciter repugnat, quòd omnes ea rationis humanae uires euertat & percellat. Ingruentibus igitur afflictionibus, consolationem maximam è scripturis haurit uita Christianorum, Qui ueluti militiam quandam exercentes super terram, ueterem hominem mortificare,

ficare, & cum Christo crucem portare debent. Vnde S. Paulus Euangelium appellat sermonem crucis, 1. Corinth. 1. Sed ad crucem animo æquiore ferendam, requiritur multa patientia, quam sacris è literis depromere oportebit, in quibus ad nostri consolationem uidemus, quid acciderit sanctis Patriarchis, Prophetis, & Apostolis. Hinc est, quod Christus ait, Luc. 21. Per patientiam uestram possidete animas uestras.

Ad quidnam prodest consolatio?

S. Paulus consolationem scripturarum appellat sacras literas, quòd afflicta corda & conscientias in tribulationibus, angustijs, atque cruce conquassatas & attritas consoletur. Maximo refrigerio mala patientibus est in magnis afflictionibus audire consolatorium aliquod atque salutare dictum, sacris è literis depromptum, quod admoneat atq; confirmet credentium patrem Deum esse, atq; auxiliatorem esse fidelium, atq; protectorem. Dominus enim iuxtà est ijs, qui tribulato sunt corde, Psalm. 33. Sic in cruce per orationem consolatoriam erigebatur atque reficiebatur Latro, cùm Christus diceret: Hodie mecum eris in paradiso. Et hic est genuinus ac uerus usus scripturæ salutaris, ut consoletur doloribus affectos, in calamitates coniectos, & mortis horrore circundatos homines. Quod cùm sit officium eius, necesse erit, ut prius in cruce subministret patientiã.

ad quam si fides per consolationem scripturæ accesserit, tum certa spes non erit defutura.

Quid significat spes?

Spes est beatitudinis futuræ certa expectatio, qua nullis rebus aduersis perculsi firmiter promissioni diuinæ confidimus, atq; mordicus eam (ut aiunt) tenemus, etiamsi longè aliter, quàm ipsa sit, appareat. Sic Abraham cùm à Deo tentaretur, præter spem sub spe credidit, Etenim non infirmatus fide, haud considerauit suum ipsius corpus emortuum, cùm centum ferè natus esset annos: nec emortuam uuluam Saræ. Verùm ad promißionem Deî non hæsitabat ob incredulitatem, sed robustus factus ex fide, tribuens gloriam Deo, certa persuasione concepta, quòd is qui promiserat, idem potens esset & præstare. Quapropter etiam imputatum est illi ad iustitiam, ut S. Paulus ait, ad Romanos 4.

Adfertne scriptura plures commoditates, quàm patientiam, atq; consolationem?

Maximè: Sic enim 2. Timot. 3. scribit S. Paulus: Omnis scriptura diuinitus inspirata, est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, ut integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Hinc Thessalonicenses Dei sermonem cum omni animi promptitudine receperunt, quotidie scrutantes scriptu-

ſcripturas,an ita ſe haberent, Actor. 17. Quorum exemplum imitati nos Chriſtiani,ſcripturas debemus ſcrutari, ut inde conſequamur intelligentiam, patientiam, conſolationem, ſpem, & omnia denique ad uitam æternam bona conducentia.

Cur ſcripturas legere debemus,atque ſcrutari?

Quoniam Chriſtianorum uita nihil aliud eſt, quàm aßidua lucta atque pugna aduerſus Satanam, mundum, peccata, infernum, ut non mirum fuerit, ſi rerum multitudine Chriſtianus obrutus ſuccumberet. Et certè deſperaret ſæpenumerò, ſi non haberet ſcripturæ conſolationem, & exempla. Quum igitur multa præclara uiderit exhibita per Deum in Prophetis, Apoſtolis, atq; ſanctis Martyribus, ita ſecum cogitabit: Chalcenterus, ut aiunt, eſto, patienter mala ſufferto: dabit Deus his quoq; finem. Qui clementer illos adiuuit pater benignus, idem tibi quoq; dextram ſuam porrecturus eſt.

Item Chriſtianus animaduertit meliore fortuna ſemper impios perfrui, proſperioresq; ſucceſſus habere gentes infideles, ut Turcas, Iudæos, atque Tyrannos: contrà pios homines tentari, affligi, uarijs malorum generibus exerceri. Quibus in rebus iniquioribus ſi non ſcripturæ conſolationem haberet, ſæpenumerò deſponderet animum,

aut uehementer consternaretur, iuxta illud Psal. 72. Mei penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum uidens. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, Ideò tenuit eos superbia &c. Verumenimuerò cùm audit S. Paulum dicere, Nos oportere fieri conformes imaginis filij Dei, Roma. 8. Item, per multas afflictiones oportere nos intrare in regnum Dei, statim confirmatur animus, magnamq; consolationem atq; spem concipit, quæ perseuerantem in fide traducunt per omnes passiones in uitam æternam.

Adferunt ne traditiones humanæ talem consolationem, qualem sacræ literæ?

Prodeant omnes operum prædicatores, Confluant omnes Legislatores in unum, atq; conferant omnes suos libros, atq; decreta, quibus congestis non poterunt unicam, uel in afflictionibus minimis, animam consolari. Nam id fieri nullo modo poterit, nisi uerbum audierit diuinum. Hoc ipsum qui audiunt & custodiunt, non modò consolationem, sed etiã habent uitam æternã. Impij quidẽ possunt malis afficere pios & interficere, uanis suis humanarum traditionũ atq; mendaciorum libris, sed in cruce consolari nõ possunt, quod solùm potest scriptura. Quam legens uel audiens homo, discit erga se bonam Dei uoluntatẽ, quã firmiter apprehendit,

& per fidem in ea perseuerat, uitæ simul ac mortis temporibus, eoq; pacto liberatur ab omni malo. Atqui diuinam ignorat uoluntatem, in tentationibus summis ad desperationem adigitur, quia nescit Deum, atq; bonam eius uoluntatem.

Quomodo talem acquirimus patientiam, atq; scripturæ consolationem?

Non à proprijs nostris uiribus illa, sed à Deo per orationem consequimur. Ibi nos oportet quærere, ubi S. Paulus, qui precatur, ut Deus patientiæ atq; consolationis det ijs, qui Romæ fuerant, Christianis, idem inter se mutuò sentire, secundum Iesum Christum, ut unanimiter uno ore glorificēt Deum, ac patrem Domini nostri Iesu Christi. Cuius exemplum & nos secuti, patrem Deum orare debemus, ut nos quoq; mutuò sentientes idem, concorditer glorificemus Deum, &, quemadmodum Christus, infirmitatem impotentium longanimiter portemus, & inuicem alij aliorum onera. Quod præstare, & factis exprimere, non est uirium nostrarum, sed elargientis Dei. proinde S. Iacobus, Quòd si cui uestrum, inquit, sapientia deest, postulet ab eo qui dat, nempe Deo: qui dat, inquam, omnibus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei. Idem paulò pòst, Omnis, ait, donatio bona, & omne donum perfectum è supernis est, descendens à patre luminum.

Quænam est huius Epistolæ summa?

Principiò S. Paulus indicat usum scripturæ, quæ docet quomodo se debeat homo gerere erga Deum in fide: Erga proximum in charitate: Erga seipsum mortificatione carnis & adfectuum hominis ueteris.

Deinde exoptat & precatur omnes Christianos concordes & unanimes esse: non contentiosos, alios hoc, alios aliud sentire, sed eadem Euangelica doctrina præditos uno ore glorificare Deum. Quod non traditiones humanæ præstant, quæ concordiam tollunt, uariaq; sectarum ac schismatum genera producunt: Contrà, Dei uerbum pios concordes efficit, licet opera sint eorum diuersa. Sed apud Deum nulla fidelium est differentia, si modò cor fide syncera constiterit erectum erga Deum, in charitate erga proximum, & erga seipsum in prauorum affectuum abolitione. Etenim Deus neminem reijcit propter externa manuariorum operum negotia, si modò concors, atq; recta fides in corde permanserit.

Exoptat etiam ut & nos Deum unanimiter collaudemus atq; glorificemus, cùm nihil acceptius Deo præstare poterimus obsequio, quàm laudis sacrificium, pro summo, quod in nos contulit, beneficio suo: Qui uerus est Dei cultus, quemadmodum ipse dicit, Ps. 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

Postremò

Postremò precatur, ut alij nos geramus aliorum curam, & nos inuicem (quemadmodum Christus nos in Dei gloriam) assumamus, & qui potentes sumus, aliorum portemus infirmitates impotentium, cùm id laudabile sit, ac Deo gratum: Atque hoc ipsum Ethnici uidentes cogantur Deum collaudare, qui tam bonus, habeat populum tanta conspicuum honestate. Hinc S. Petrus, 1. Epist. 2. Conuersationem, inquit, habete uestram honestam inter gentes, ut in hoc, quod obtrectant uobis quasi maleficis, ex bonis operibus æstimantes uos, glorificent Deum in die uisitationis. Porrò Christiani hominis uita in hoc debet esse tota, ut in Dei laudem & ædificationem, utilitatemq; proximi sit directa.

Quomodo S. Paulus hanc Epistolam concludit?

Postquàm animi sui sententiam aperuisset, ac iuxta Christi exemplum ostendisset, nullam differentiam faciendam inter sanctos & peccatores, inter fortes & infirmos, inter pauperes atq; diuites, quum eorundem cœlestium donorum participes, eademq; bona consecuti sint à Christo, qui dederit omnibus idem cor, idem sentire, eundem animum, ac eadem omnibus communia bona, cœlestia, simul ac terrestria. Cumq; doctrinam istam suam firmioribus scripturæ sententijs corroborasset, omnemq; dißidiorum materiam su-

stulisset, sed ueluti medium atq; sequestrum posuit inter Iudæos atque Gentes, ut neutri contemnerent alteros, cùm omnes ex æquo totum habeant Christum. Post hæc omnia concludit Epistolam festiuo dicto, pulcherrimaq; precatione, quam nos quoq; cunctis hominibus optare debemus, atque dicere: Deus spei impleat uos omni gaudio & pace, in credendo, in hoc, ut exuberetis in spe per potentiam Spiritus sancti.

DOMINICA TERTIA ADuentus, Episto. 1. Corinth. 4.

FRatres, Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus, ut fidus aliquis reperiatur. Mihi uerò pro minimo est, ut à uobis dijudicer, aut ab humano iudicio. Imò nec meipsum dijudico. Nullius enim rei mibi cōscius sum, sed non per hoc iustificatus sum. Cæterùm qui me iudicat, Dominus est. Proinde ne ante tempus quicquam iudiceris, donec uenerit Dominus, qui illustraturus est occulta tenebrarum, & patefaciet consilia cordium, ac tunc laus erit unicuiq; à Deo.

Quid

Quid proponit nobis hæc Epistola?

Documentum triplex. Primò ostendit, omnes Apostolos, Episcopos, atq; Verbi prædicatores, esse ministros atque dispensatores, non dominos. Atqui non Satanæ ministros, nec mundi, sed Christi solius, quemadmodum hîc S. Paulus ait: Sic nos æstimet quilibet, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, &c. Secundò commonstrat, in quanam re consistat tale ministerium, nempe in fideli dispensatione mysteriorum Dei, hoc est, ut Euangelium, in quo diuina gratia atq; dona clausa continentur, populo synceriter proponant, fideliter doceant, atque Sacramenta, quemadmodum Christus instituit, dispensent. Hinc dicit hoc loco S. Paulus: Illud requiritur in dispensatoribus, ut fidus aliquis reperiatur. Tertiò docet bonos Episcopos, atque Verbi ministros à recta uia deterreri non debere, nec ab obsequio fideli retrahi per insanias mundi, salutarem doctrinam malè iudicantis, aut etiam damnantis. Illorum enim est, officio su[illegible]genter atque fideliter fungi, & quod commissum habent opus perficere, Christo autem, qui propè est, causam committere, atq; uindictam relinquere Deo, is nouit in Zoilos, & iudices iniquos suo tempore animaduertere. Hinc est quod ait Paulus: Mihi pro minimo est, ut à uobis dijudicer.

Quotu

Quotuplex habetur Dei cultus?

Duplex: Prior à Græcis appellatur λατρεία, qui diuinus est cultus, & sine ullo medio pertinens ad Deum seruitus. De qua Moses, Deutero. 6. Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Illum adorabis, illiq; soli seruies.

Alter in proximum dirigitur, in loco, & ex mandato Dei, is uel contingit per res externas, & sic δουλεία uocatur: uel per res spirituales, & dicitur ὑπηρεσία. Quam uocabulorum differentiam qui non diligenter obseruauerit, S. Paulum difficulter intellexerit.

De quónam Dei cultu loquitur in hac Epistola S. Paulus?

De eo cultu, quem Deus ipse præcepit, ordinauit ac instituit, nempe Ecclesiæ seruire prædicando, populum docendo, & instituendo in Catechismo, Euangelio, atq; diuina ueritate. Propter hunc Dei cultum ipse Christus de cœlo descendit, homo factus, Dei patris ueritatem ostendit atque declarauit. Propter hunc ipsum cultum omnes sunt Apostoli uocati, & in omnem terram ad prædicandum Euangelium ablegati. Consimiliter in hoc ipsum omnes Episcopi, Parochi, & concionatores eligumtur, ut ministri atque dispensatores omnibus hominibus Euangelium Dei prædicent, atq; Dei uoluntatem populo fideliter denuncient.

A quónam

A quónam obsequio S. Paulus & Apostoli cæteri se ministros appellant?

A cultu Latriæ se ministros, & officium suum ministerium appellant. Quamuis autem omnes Christiani Latriæ cultu seruire debeant Deo, tamen non omnes in eo ministerio sunt, in quo Apostoli, Episcopi atq; Pastores, qui ministerij ratione & officij necessitate coguntur omnibus Christianis inseruire docendo, prædicando, Absolutionem deferendo, atq; sacramenta subministrando.

Quid S. Paulus intelligi uult per ea uerba: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, &c.

Hoc sentit: Attendite atque prouidete, fratres, ne uobis aliud caput eligatis, alium dominum admittatis, aut alium Christum constituatis, sed ad unum Christum firmiter adhærescite. Non uestra capita sumus, neque domini nos, qui uobis non nostra uerba prædicamus, neque ut nobis pareatis, aut nostro dicto sitis audientes contendimus, sed ut acquiescatis uerbo Christi, cuius nuncij atq; ministri nos sumus. Ille caput est ac dominus uester. Huius mandata peragimus. Nihil igitur aliud à nobis expectate, sed æstimate nos ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

Quid

Quid dicuntur Oeconomi, aut dispensatores?

Oeconomi sunt omnium, quæ dominus poßidet, procuratores, atq; rei familiaris administratores, quos familiæ columina ueteres appellabant, qui domini liberos atque domesticos gubernabant, & in officio continebant, cibaria, uestes, cæteraq; necessaria suppeditabant, cuiusmodi modò sunt orphanotrophiorum, & ptochodochiorum, eleemosynarumq; præfecti, qui uiri Diaconi.

Cur S. Paulus atq; prædicatores se uocant dispensatores Dei?

Et Deus *in terris domũ habet, nempe* Ecclesiã, *atq; Christianorum congregationem, quibus præposuit* Apostolos, Episcopos *atq; concionatores, uelutì œconomos atque dispensatores, ut creditorum & commissorum animas salubri cibo pascerent, & quæ necessaria prospicerent.* Ne *autem istam procurationem corporalem, & externam æstimaremus, mysterij uocabulo distinguit* S. Paulus, *atq; dirimit ab omnibus alijs terrestribus dispensationibus.* Q. d. Hominum *œconomi regunt dominorum liberos & familiam, ijsq; demensum præbent iuxta corporis externam rationem.* Atqui *dispensatores* Dei *solummodò regunt animas, atq; ijs cibum spiritualem elarguntur, hoc est,* Euangelium *prædicant, atq; secundum institutionem* Christi *conferunt diuina* Sacramenta.

Quid

Quid significat mysterium?

Mysterium est res arcana, ab hominum oculis seclusa, neminiq; perspicua. Vnde factum est, ut quum profertur aliquid celandum, silentioq; premendum, soleamus prouerbialiter dicere: Mysterium habet, hoc est, arcana res est, nemini prodenda. Sed est duplex mysterium; Alterum Dei, alterum Diaboli.

Quid est Dei mysterium?

Id omne, quod fide confitemur, & in Euangelio literisq; sacris assequimur, nempe, quòd Christus Dei filius homo factus, mortuus ac sepultus resurrexit à mortuis, & ad cœlos ascēdit, &c. Hæc omnia propter nos homines, et propter nostram salutem fecit. Hæc sunt illa secreta, magnaq; mysteria, quæ non nouit, nec credit mundus, imò ridicula reputat, atq; stulta, per quæ tamen placuit Deo saluos credentes facere, 1. Corinth. 1. Hinc Matth. 11. dicit: Gratias ago tibi Pater, Domine cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelâris ea paruulis: Hæc autem qui mysteria dispertiunt, atq; prædicant, ueri sunt Apostoli atq; dispensatores Christi.

Quænam Satanæ mysteria?

Omnia quæ traduntur non habentia suum in scripturis fundamentum, sed quæ sunt extra illas, docentur, quibus animarum salus promittitur.

& aeterna uita. Haec autem qui mysteria dispensant, & depraedicant, ueri sunt Apostoli, & Oeconomi Satanae, cognoscendi ex fructibus ipsorum, ut ait Christus, Matth. 7.

Quinam fructus Apostolorum Dei?

Deo seruiunt ad aedificationem Ecclesiae, proximorumq; utilitatem, & interim in mundo nihil aliud pro fideli ministerio, salutariq; praedicatione consequuntur, quàm persecutionem, tentationes, tribulationes, calamitatem, inopiam, rerum penuriam, ut uix pane sicco exaturentur. Postremò incurrunt in crucem atq; passionem. Hoc illorum esse praemium solet. Eam fermè omnes Apostoli atque Prophetae mercedem acceperunt.

Quinam fructus Prophetarum falsorum?

Sibijpsis seruiunt, habentes Deum uentrem. Et licet per doctrinam prauam ac uitam impiam suam, plurimas interficiant animas, tamen à mundo pro mendacijs atque traditionibus uanis ubertim assequuntur dignitates, pinguia sacerdotia, bona opima, diuitias ingentes, & quicquid animum atque corda poterit oblectare. Haec illorum merces temporaria: sed aeternum etiam, cùm hora uenerit, non emanebit premium: quale autem, uiderint ipsi.

Quodnam

Quodnam est officium Oeconomorum Dei fidelium?

Operam fidelem nauare, diuino uerbo prædicando, quemadmodum in hac Epistola S. Paulus ait, In dispensatoribus requiri, ut fidi reperiantur. Q.d. Hîc non exigitur nec quæritur, an Euangelij minister magnus sit princeps uel dominus: an multos habeat Episcopatus, plurima sacerdotia: an deniq; multos populos, regna, arces aut urbes poßideat: quæ omnia sunt externa, fidis Christi ministris nihil incommodantia, Sed quæritur, an officio sibi credito fideliter fungatur, rerumq; suarum satagat. Hoc unum exigitur, ut talentum à Deo datum non abscondat in terra, sed mensarijs committendo plura lucretur. Hoc unum requiritur, ut Christi minister Euangelium diligenter prædicet, ut ouibus Christi sagaciter præsit, multos homines ad fidem ac pietatis opera uertat, doctrina sana, simul ac honesta uiuendi ratione. Non, ut quidam, Apostolicum illud ministerium eò dirigant, ut existiment officio suo probè functum Episcopum, aut summum Ecclesiæ præfectum, si solummodò templorum bona amplificauerit, & exauxerit nouis decimis, uectigalibus, oneribus publicis, ac diuitijs adiectis. Interim in ouili diuino lupus grassetur, Multæ pereant oues, Plurimus animarum numerus fame contabescat, ac moriatur, Nemo ueri pastoris officio fungatur, Diffu-

giant mercenarij, Nemo *lupis resistat ,* Nemo *prædicet* Euangelium. O *miseri homines, quid in die nouißimo dicturi sunt aut responsuri* Deo, *cùm ab illorum manibus sanguinem omnium est requisiturus? Tum qui pluralis erat in beneficijs ac delitijs, erit etiam pluralis in miserijs atq; supplicijs.*

Sed quid, si fidelem Euangelij ministrum homines iniquè iudicauerint , carpserint, damnauerint?

S. Paulus inquit: Mihi pro minimo est , ut à uobis dijudicer , aut ab humano iudicio , &c. Q. d. *Quamuis mundus importuniorem etiam , multoq; crudeliorem se gesserit erga* Verbi *ministros , tamen ipsi quieto animo esse , omnia patienter ferre, diligenter officio suo fungi , cætera autem omnia* Deo *committere debent, à recta uia nullis deterriti uel minis, uel conuitijs, uel etiam laudum illecebris.* Et S. Paulus *se non uituperare uult, nec laudare:* Non *damnare, neq; iustificare .* Non *damnare, quoniam nihil sibi conscius mali , quo (uelut falsi prophetæ) uel aliquem seduxerit, aut impia doctrina corruperit.* Non *iustificare, quoniam nemo iustus habetur in* Dei *conspectu, & immaculatus. Se confitetur hominem , qui per carnis fragilitatem humanum quiddam facere potuerit.*

Quid

Quid ad importunos eiuſmodi iudices atq; calumniatores loquitur S. Paulus?

Sic ait: Ne ante tempus quicquam iudicetis, donec uenerit Dominus, *qui & illuſtraturus eſt occulta tenebrarum, & pateſaciet conſilia cordium, &c. Quibus uerbis idem intelligit, quod* Chriſtus *ait, Luc.6. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Non autem dicit de manifeſtis ſcelerib. aut ultimis flagitijs, in quæ cùm* Eccleſiaſticus, *tum ciuilis magiſtratus animaduertere debet, ac damnare, ſed de ijs, quæ ſunt in tenebris, hoc eſt, quæ latent occulta, Quæ* Dei *iudicio relinquenda ſunt, qui proculdubiò malis in die nouiſſimo ſuā mercedem eſt relaturus, hoc eſt, æterna ſupplicia.* Bonis *aūt æternam uitam.* Ad *quam nos* Deus *perducat.* Amen.

DOMINICA QVARTA

Aduentus, Epiſt. *ad* Philip. IIII.

FRatres, Gaudete in Domino ſemper: & iterum dico, gaudete: Modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus propè eſt. De nulla re ſoliciti ſitis, ſed in omni precatione & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones ueſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei, quæ ſuperat omnem intellectum,

custodiat corda uestra, & sensus uestros, per Christum Iesum.

Quotnam in hac traduntur Epistola?

Tria precipuè. Primò docet, qualiter nos erga Deum gerere debeamus, Deinde qualiter erga homines omnes, Tertiò erga nosipsos. Nempe erga Deum piè, bonam conscientiam, & fiducia sanctoq; gaudio cor perfusum habentes: Erga proximum benigniter, syncera, bonaq; uoluntate praelucentes: Erga nosipsos rectè et perspicaciter, ut omnem nostram curam in Deum per orationes deuotas conijciamus.

Quomodo nos erga Deum geremus?

S. Paulus ait: Gaudete in Domino semper: & iterum dico, gaudete.

Quid est gaudium?

Gaudium est comes atq; fructus fidei. Haec sola reddit cor laetum, atq; pacatam tranquillamq; conscientiam efficit. Nam qui credit in Christum, atque totus ex eius bonitate pendet, ac confidit se clementem habere Deũ, & ab eo per fidem omnia sibi bona pollicetur, is non potest tristari, nec animum despondere. Contrà, qui non credit in Christum, is sauciam & impuram habet conscientiam, nullo tempore quietam, quia semper ea uerberat (ut prouerbio dicunt) animum, & surdo uerbe-

re

re cadit. Nouit enim impius homo, Deum peccatoribus inclementem esse, & acerrimum hostem, qui sit illos æternis supplicijs affecturus. Reum igitur se uidens mœrore contabescit, tremit, horret, atq; desperat, omni momento metuens adfore Deum ultorem, à quo iugulum petatur, quoq; crudeliter instante conijciatur in mortis periculum, & tandem in inferna præcipitetur.

Quorsum tendunt ea uerba: Gaudete in Domino?

Eò uergunt: Non gaudete in auro & argento, non in potestate, nec in dominationibus, non in delitijs, nec in fastu, Non in comessationibus, ocijs turpibus, nec in obscœnis libidinibus. Nam ea sunt omnia uana, dolosa, & perniciosa gaudia, quæ nunquam corda uerè tangunt, nec synceriter afficiūt, neque temporibus afflictionum firma perdurant. Proinde Christianus non in illis fluxis, & instabilibus rebus, sed in solo Domino gaudere debet.

Quid significat, in Domino gaudere?

Est in Deo confidere, eiq; se totum ueluti clementissimo patri cōmittere, persuasum habendo, se nunquam à Deo misericorde derelictum, neq; reiectum iri in omnibus tribulationibus, angustijs, atq; periculis, tam corporis, quàm animæ.

Cur ait: Gaudete semper?

In Domino semper gaudere debemus, non tan-

tùm pacis, aut prosperitatis tempore: quod faciunt homines, sui magis quàm pietatis amantes, utilitatiq; propriæ studentes: qui solummodò canunt atq; collaudant Deum, ac in Domino lætantur, cùm affulserit fortuna melior, sed cùm ingruerit aduersa, corrugant frontem, & mœrore squalescunt. Atqui Christianorum est semper gaudere, quomodolibet res successerint, siue mater apparuerit, seu nouerca fortuna: siue dulcis, seu nimium acerba, quemadmodum Iob patienter fecit.

Cur dicit: Iterum gaudete?

Hæc repetitio non modò consolatoria, sed etiã est necessaria. Cùm enim in hoc mundo frequenter ac crudeliter ab acerrimis hostibus affligamur, necesse erit, ut in nobis multò sit maius ac fortius illud in Domino gaudere, quàm propter calamitates tristari, ne in ipsa cruce atq; tribulationibus desperemus, sed consolemur nos, & erigamus clementia Christi atq; misericordia suffultos, nihil ambigentes, quin ille sit nobis auxiliaturus, & ab omnibus malis erepturus, modò nos ex ipso fide firma pependerimus.

Quomodo nos erga omnes homines gerere debemus?

S. Paulus inquit: Modestia uel mansuetudo uestra, nota sit omnibus hominibus. Q. d. Lætam atq; tranquillam in Deo conscientiam poßidete, sed apud

pud homines estote mites atq; mansueti, non insolentes. Sic uitam uestram exigite, ut neminem offendatis, nemini damnum inferatis, sed ut omnibus hominibus placeatis: citra tamen diuinorum praeceptorum uiolationem atq; transgreßionem. Boni igitur consulite quicquid dixerint, aut fecerint homines, ut ipsi perspicuè uideant, uos eos esse, qui ferant aequanimiter omnia, patientes erga omnes. Gaudete igitur cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Estote cum diuitibus opulenti, cum pauperibus pauperes, cum infirmis debiles, cum fortibus robusti. Hanccine sententiam complectitur uerbũ Graecum, ἐπιείκεια, quod significat humanitatem, clementiam, atq; mansuetudinem.

Quid est mansuetudo?

Mansuetudo uel clementia uirtus est, qua fit homo promptus ad compatiendum, facilis ad remittendum, & paratus ad subueniendum. Quae facit ut omnium horarum redditus homo, ad aliorũ fortunas, aut ingenij uires, se norit applicare, neminem uerbis, nedum factis molestando, sed omnibus per leges aequalitatis, quae iuxta prouerbium, haud bellum parit, inseruiendo. Sic S. Paulus 1. Corin. 9. Cùm liber, inquit, sim ab omnibus, meipsum seruum feci, quò plures lucrifaciam, & factus sum Iudaeis quasi Iudaeus, ut Iudaeos lucrifaciam: His qui sub lege sunt, quasi sim sub lege, ut eos, qui sub lege sunt, lucrifaciam: His qui sine lege sunt,

tanquam sim sine lege, cùm non sim sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi, ut lucrifaciam eos, qui sunt sine lege. Factus sum infirmis, quasi infirmus, ut infirmos lucrifaciã. Omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos seruem. Porrò S. Pauli charitas edit, bibit, ac commercium habuit cum Iudæis, iuxta ritum eorum, & cum Gentibus pro eorum more, sic tamen ut Euangelica atq; Christiana libertas non uiolaretur, aut supprimeretur, nec fraterna charitas extingueretur. Qua ratione factum, ut Timotheum circunciderit, propter infirmos, Atqui Titum noluerit circuncidere, licet falsi fratres institerint, quemadmodum colligi potest ex Epistola ad Gala. 2.

Cur S. Paulus ait: Modestia uestra nota sit omnibus?

Complures inueniuntur, qui parum notis, aut peregrinis sese benignos & humanos exhibere possunt, erga notos atq; domesticos inhumani, difficiles, immites, & Leberide, quod aiunt, scabrosiores. Sunt item complures, qui diuitum atq; potentum omnia facta, dictaq; ferunt æquioribus animis, & bonam in partem interpretantur omnia, sed quæcunq; faciunt aut dicunt pauperes, aut calamitosi, calumniantur, atq; rapiunt in odium. Præterea sunt plurimi, qui faciles atq; proni ad condonandum atq; parcendum cognatis, atq; sanguine iunctis, etiam grauiter delinquentibus, sed impatientes

patientes ipsi, nulla gratia dignantur, nulloq; fauore prosequuntur suos, quos Euangelium diligere iubet, inimicos. Hanccine *mansuetudinem inaequalem, & beneuolentiam praeposteram reprehendit S. Paulus, & contendit Christianorum comitatem atq; benignitatem omnibus ex aequo paratam esse debere, nullo personarum habito respectu.*

Quòd si ualde faciles, nimiumq; benigni erga omnes fuerimus, tum multi mansuetudine, atq; patientia nostra turpiter abusi, nos despicient atq; proculcabunt, cùm amicitia nimia soleat dare causam odio, atq; contemptui.

Ad hoc S. Paulus respondet, inquiens: Dominus propè est. Q. d. Non solicitus sis, nec afflictes te: nam hoc ipsum faciendi causam haberes, si nullus esset Deus, *tum posses confici curis, atq; tibi malis ab hominibus metuere. Nunc autem non* Deus *est solummodò, sed ipse etiam propè est, cuius oculi semper in te respiciunt, qui curam tui gerit. Proinde bonum habeas animum, & hoc unum cura, ut humanus sis atque mansuetus erga omnes, ipse* Deus *tui non obliuiscetur, neq; te relinquet, aut destituet.* Quòd *si clementißimus pater ipse* Deus, *filium suum dilectum, hoc est, summum, quod habuit, bonum, tibi dedit, non minora denegaturus est beneficia, quibus te nutriat atque protegat,*

Quòd si Christum habueris, omnia totius mundi bona possederis.

Quomodo nos ipsos gerere debemus?

S. Paulus inquit: De *nulla re soliciti sitis, sed in omni precatione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones uestræ innotescant apud* Deum. *Q. d. Si quippiam in hac uita (quod euenturum) acciderit aduersi, quod uobis anxietatem atq; molestias miseriamq́; pepererit, tum uos ad* Deum *totos conuertite in omni precatione & obsecratione, conijcientes in illum curam: illi de uobis (ut S.* Petrus *ait, 1.* Petri *5.) cura est:* Id *facite, cum gratiarum actione, Quas agetis* Deo, *quòd ipse curam uestri gerit.* Ad *cuius gratiæ thronum cum fiducia poteritis accedere, de malis conqueri, omniaq́; deniq; committere. Solus ille uerus est in omnibus necessitatibus auxiliator. Qui promisit etiam se clementer adfuturum afflictis, & miseros exauditurum.*

Quales debent esse precationes, ut frugiferæ atq; salutares exaudiantur à Deo?

S. Paulus orationi res quatuor attribuit, nempe Verba, *Gratiarum actiones,* Necessitatem, *& obsecrationem.* Hinc *orationes nostras incensa* Veteris *testamenti per figuram significarunt: quemadmodum* Psal. 140. *dicitur:* Domine, *oratio mea*

dirigatur

dirigatur ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium ueſpertinum.

Quotnam res ad incenſa requiruntur?

Quatuor, nempe thuribulum aureum, uiui carbones, thus uel thymiama, & fumus è thuribulo aſcendens.

Quid ſignificat aureum thuribulum?

Denotat ipſa precationis uerba, ut ſunt in oratione Dominica, in Pſalmis, aut alijs orationibus pijs. Et quemadmodum oportebat aureum eſſe thuribulum, ſic ipſa uerba eſſe grauia, efficacia, & precioſa, ex intimis animorum penetralibus, non inani labiorum motu, ſibilisq́; profecta.

Quid ardentes carbones?

Significant gratiarum actiones pro beneficijs acceptis. Quemadmodum autem in ueteri Teſtamento ſacerdotem oportebat ignem & carbones ab altari petere, & alienum ignem non accipere. Quod quia non faciebant filij Aaron, Nadab & Abiu, fuerunt flammis abſumpti, Leui. 10. Sic orationes noſtræ per gratiarum actionem dirigi debent ac fundari in ſolam Dei miſericordiam, non in externa noſtra opera aut merita iuſtitiæ noſtræ.

Quid thus ac thymiama?

Innuunt prementem neceſſitatem, quam in oratione recenſemus, Deoq́; proponimus: quemadmodum

dum autem thura carbonibus imponere solemus, ut accensa suauem praebeant odorem: Sic idipsum in oratione debemus nominatim exprimere, quod à Deo precibus & obsecrationibus expetere uolumus, & impetrare.

Quid [illegible]endens fumus?

Ostendit ex [illegible]s cordibus proficiscentes obsecrationes ad Deum patrem per Christum. Quemadmodum enim fumus ascendit, & alta petit, ita per fidem effusae preces Christianorum coelos penetrant, atq; perueniunt ad Deum, impetrantes omnia, iuxta illud, Mar. 11. Dico uobis, quaecunq; orantes petitis, credite quòd accipietis, & erunt uobis. Caeterùm si petẽtes aut orantes, uento (quod aiunt) loquimur, ac opinione uana ducti uerba fundimus, nihil impetrare poterimus.

Quomodo S. Paulus hanc Epistolam concludit?

Succincta simul ac festiua precatione terminat eam, inquiens: Pax Dei, quae superat omnem intellectum, custodiat corda uestra, & sensus uestros, per Christum Iesum. Sic ordine perspicuo hanc absoluit Epistolam. Primò docuit, Christianum in Domino debere semper gaudere, & ex animo laetari. Deinde erga omnes eum oportere benignum atq; mansuetum esse, siue acceperit beneficia, seu damna, siue bonis fuerit seu malis adfectus.

Sed

Sed interim malis uicti reddimur impatientes, tædiosi, difficiles, atque desperabundi?

Nullo modo. S. Paulus inquit: Pax Domini, quæ superat omnem intellectum, custodiat corda uestra, & sensus uestros, per Christum Iesum. Is in patientia te consolabitur, atque conseruabit, ita ut omnes inimicorum tuorum iras, conuitia, minas, furorem ac insanias nihil moraturus sis, ac curaturus, sed patienter omnia per Christum laturus, & ad extremum, cum eodem Dei filio, cui per crucem conformis effectus, cohæres, habiturus regni partem in æterna uita. Ad quam nos Deus proueba', Amen.

IN DIE NATIVITATIS Christi, Epist. Tit. III.

CHarissimi, Postquam bonitas & erga homines amor apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt iniustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulentè per Iesum Christum seruatorem nostrum, ut iustificati illius gratia, hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ. Indubitatus sermo.

Quid-

Quidnam hæc docet Epistola?

Gratiosam atq; salutiferam Iesu Christi saluatoris nostri continet apparitionem. Primò autem quomodo apparuerit: Deinde, cui: Tertiò, cur.

Quomodo apparuit?

Per salutiferam gratiam suam, atq; misericordiam, quemadmodum Zacharias inquit, Lucæ 2. Per uiscera misericordiæ Dei nostri, quibus uisitauit nos oriens ex alto, Vt illucesceret his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis.

Cur ait: Apparuit?

Quo uerbo declarat, nihil antea fuisse nisi meras tenebras, indignationem ac iram toti mundo impendentem.

Cur ait: Gratia salutifera?

Quo dicto significat omnem nostram salutem atq; felicitatem à sola Dei gratia atq; misericordia pendere, & nullum sine eadem bonum opus fieri posse, omniaq; humana studia atq; traditiones peccata esse, & condemnationibus obnoxia.

Quid per ea uerba S. Paulus intelligi uult: Apparuit gratia &c.

Post longam tandem Aegyptiacam seruitutem atq; captiuitatem de cœlo descendit Dei filius, in hunc mundũ à patre missus, homo factus, ac natus de Virgine propter nostram salutem. Qui planum

fecit,

ficit, Deum nobis propitium & clementem esse, ipsumq; non amicum modò, sed etiam patrem amantissimum nos liberaturum à peccatis, morte, & inferno, idq; per dilectum suum filium Christum. Hinc est, quòd Matthaei 11. dicitur: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Item Matth. 12. ex Esaiae 24. depromptum: Filius meus, quem elegi, dilectus meus, in quo sibi bene complacuit anima mea, arundinem comminutam non confringet, & linum fumigans non extinguet.

Cuinam Christus per gratiam apparuit?

Omnibus hominibus apparuit salutifera gratia Dei, ut ait S. Paulus. Et apud Lucam Angelus inquit: Ecce annuncio uobis gaudium magnum, quod futurum est toti populo, quia natus est uobis hodie seruator, qui est Christus Dominus. Et ipse Christus, Marci ultimo, discipulis suis mandat, inquiens: Ite in mundum uniuersum, & praedicate Euangelium omni creaturae. Praeterea canit Ecclesia: Nobis infantulus hodie natus est, qui si non fuisset in lucem editus, omnes perijssent homines funditus, toti mundo salus data coelitus. Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, 1. Timoth. 2. Quandoquidem autem haec natiuitas salutifera propter nostram omnium salutem facta est, meritò glorificamus Deum, dicentes: Grates nunc

omnes reddamus Domino Deo, *qui sua natiuitate nos liberauit de diabolica potestate.*

Cur per gratiam suam Christus apparuit?

Vt abnegata impietate & mundanis concupiscemijs, sobriè & iustè, & pièuiuamus in præsenti seculo, expectantes beatam illam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & *seruatoris nostri* Iesu Christi, *qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibijpsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum, ut ait* S. Paulus, *ad* Titum 2.

Quid significat impetus?

Quicquid inordinatum Euangelio *repugnat, nempe* Deo *non credere, neq; confidere.* Non *timere* Dominum, *nec diligere, gloriam & honorem* Deo *non attribuere, nec ipsum* Deum *esse permittere, sed istum potestatis diuinæ titulam creaturis aut humanis uiribus adscribere.*

Quinam impij dicuntur homines?

A*thei, gratiæ diuinæ prorsum expertes, qui nō ex mera bonitate atq; misericordia diuina pendentes uiuunt:* Qui Deo *non credunt, non confidunt, non timent* Dominum, *nec honorant, non diligunt, nec glorificant, sed omnibus uitiorum generibus obruti, uitam exigunt impurißimam.*

Quænam dicuntur mundanæ concupiscentiæ?

Omnes

Omnes indecentes operationes, quas homo uel erga ſeipſum, uel proximum exercere præſumit, in iiſdem uolens delinquere, atq; turpiter peccare, ut in edendo, bibendo, ueſtiendo, atq; rebus alijs. Nam qui luxui, faſtui, delitijsq; mundanis ſunt dediti, uentres appellantur, & amatores huius ſeculi.

Quid ſignificat abnegare?

Significat animis eximere, & abijcere uarias multasq; ſtultas humanarũ traditionum rationes, iuſtitiam, æternamq; uitam conſequendi, Quibus oneramus conſcientiam noſtram, & humanis doctrinis implicamus & irretimus, nosq; certis temporibus, perſonis, ueſtimentis atq; cibis alligamus, & obſtringimus, arbitrantes iſto modo nos impiã uitã declinaturos, ſed fruſtra fit, incaſſumq;. Nam ſi humanæ concupiſcentiæ atq; uoluptates ueſtimentis eſſent inſitæ, aut cum capillis creſcerent, tum abſcindi, aut per tonſuram poſſent detonderi. Sed in ueſtimentis aut crinibus non hærent, ſed intimis cordium medullis indita, quocunq; progrederis tecum portas.

Quomodo nobis uiuendum eſt, aut qualiter?

Sobriè, iuſtè atq; piè.

Quanam in re conſiſtit modeſta, temperata, atq; ſobria uita?

Vt homo corpus ſuum quaſi freno conſtringat, caſtiget, atq; bene regat, ne fiat inſolens, efferum,

procax, & sylueſtre, ducens inordinatam uitam, in comeſſando, potando, dormitando, ocioq́; turpi indulgendo, ſed temperatè, honeſtè, & grauiter ſe gerat in uerbis et operib. in edēdo et bibendo, in ueſtiendo et dormiendo, & in tota deniq; uita.

Quanam re conſtat iuſta uita?

Vt nemini faciat, quod ſibi nolit fieri: Neminem offendat, nec damnum inferat alicuius uxori, liberis, familiæ, iumentis, facultatib. honori, bonæ famæ atq; nomini: Sed animo atq; corpore, et uniuerſis, quæ poſſederit bonis, paratus atq; promptus ſit ad ſubueniendum, auxiliandum, conſolandū, & inſeruiendum omnibus, quemadmodum fecit Christus.

Quanam re uita pia comprehenditur?

Hac potiſsimùm, ut homo timeat Deum, atq; diligat, glorificet, ac gratias agat, ſpemq́; ſolam habeat fixam in Dei gratia, atq; miſericordia, non proprijs confidat operibus, nec ea curet, niſi per Dei gratiam effecta.

Cur ait, nos debere ſobrios, iuſtos atq; pios in hoc ſeculo uiuere?

Vt nemo honeſtam uiuendi rationem differat aut protrahat in uitam aduenturam, aut mortis horam. Nam in hoc ſeculo oportebit illud à nobis fieri, quod in futuro uoluerimus nobis contingere. Multi ſpem habent in purgatorij perſuaſione, confidentes ſe ſaluos futuros per multas Miſſas, atq; mortuorum

mortuorum uigilias. Sed tandem accepto malo, stulti quid expectauerint, intelligent.

Quid S. Paulus intelligi uult per ea uerba: Sobriè, iustè, & piè uiuamus in præsenti seculo, expectantes beatam illam spem &c.

Hæc paucis uerbis dicit: Quòd si prius luxuriosam & impiam ætatem exegimus in beluando, crapulando, comessando, pergræcando, & in omnib. denique criminibus uolutando, redeamus iam in uiam, abijciamus modò ista tenebrarum opera, sanctioremque uitam degamus, sobriè, iustè atque piè uiuendo: Si proximum iniurijs affecimus, aut offendimus ipsum aut suos, uerbis uel operibus, lædere cessemus, & incipiamus illi seruire, consulere, & in omnibus denique necessitatibus subuenire. Præterea si turpem, infidelem, ac impiam ætatem egimus, Deo nihil confitendo, Dominum non timendo, diligendo, glorificando, & agendo gratias, desistamus à malo, & quod bonum est operemur: Et fideles atque pij redditi, commutemus & transformemus impias operationes, & impurum statum in honestam, Christianam atque diuinam uiuendi rationem. Atqui cùm hoc ipsum effecerimus, erit necesse, ut in bono proposito permaneamus, & in conditione meliore ad extremum usque uitæ terminum perduremus, cogitantes in quo baptizati simus, ut arbores bonæ bonos fructus producamus, non

in unum, duos, aut tres annos, sed iuxta doctrinam Christi, Matth. 24. In finem usq; perseueremus in pietate, ne quis procrastinator honestas actiones et opera bona protrahat in mortis horam, aut post mortem uentura tempora. Nam oportebit in hoc præsenti seculo nos id impetrare, quod in futuro uoluerimus assequi. Quippe, in hoc mundo laboris est dies, in futuro seculo mercedis ac præmij tēpus.

Quid autem est, quòd dicit: Expectantes beatam illam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei?

Hisce uerbis distinguit uitam diuinam ab impia. Quibus facilè poterit intelligere quilibet quàm propè uel absit à pia, aut impia uita. Etenim qui nō expectando peroptat apparitionem gloriæ magni Dei, hoc est, non expetit magno desiderio nouißimum diem, atq; Saluatoris aduentum, is nouerit se nondum ad uitam magis piam peruenisse.

Quomodo S. Paulus hanc Epistolam concludit?

Ad discipulum suum Titum ita dicit: Hæc loquere, & exhortare. Quib. uerbis subindicat, ministerium sacerdotale rebus duabus comprehendi, nempe doctrina, & exhortatione. Principiò Verbi minister docere debet eos, qui uerbum ignorant, nec audierunt. Deinde eos, qui audierunt atq; nouerunt, adhortari, ne deficiant, obliuioni tradant, ueterno torpescant, aut desciscant, sed feliciter progre-

progrediantur, atq; perdurent in finem, ut Christus ait: Qui perseuerauerit, is saluus erit. Quod nobis elargiatur Deus, Amen.

DOMINICA A NATIVItate Christi, Epist. Gala. III.

ANtequam uenisset fides, sub lege custodiebamur, cõclusi in eam fidem quæ erat reuelanda. Itaq; lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificaremur. At postquã uenit fides, non amplius sub pędagogo sumus. Omnes enim filij Dei estis, eò q; credidistis Christo Iesu. Nã quicunq; baptizati estis Christum induistis. Non est Iudæus, neq; Grçcus. Non est seruus, neq; liber. Nõ est masculus ac fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu. Quòd si uos estis Christi, igitur Abrahæ semen estis, & iuxta promissionem hæredes.

Quidnam Paulus hac perficit Epistola?

Legem Mosi comparat carceri, atq; pædagogo. Atq; duorum collatione demonstrat, quantum lex ualeat, quid operetur, & quales deniq; homines reddat.

Cur S. Paulus custodiæ legem assimilat?

Quemadmodum captiuorum nemo carcerem atq; compedes amat, ſed ex animo cupit ipſam turrim cum carcere flammis abſumptã, & cum uinculis arcem in pulueres redactã, ut ea ratione deprehenſus reus eripi, atq; in priſtinam libertatem reſtitui poßit, & pro ſua libidine quæ uelit facere, nempe furari, prædas agere, latrocinari, & breuiter, omnibus facinorum generibus & oculos & animum ſatiare. Sic eadem eſt legis conditio.

Quid ita?

In Lege Deus opponit delinquentibus inferna, & æternam damnationem, crudeliterq; minatur. Hinc homo proſequitur odio legem, eamq; nõ amore iuſtitiæ ſuſcipimus, ſed metu ſuppliciorum. Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ. Libentius igitur uellemus omnes leges è medio ſublatas, nullam item iuſtitiam, nullasq; pœnas eſſe. Quanto igitur ſacrilegus aut homicida turrim atq; carcerem fauore complectitur, tanto legem homines, optantes nullam in natura rerum eſſe. Sed qualis ea probitas eſt, aut iuſtitia, quæ ſuppliciorum formidine deterrita malum euitat, & interim ipſa praua quod bonum eſt, non facit. Hæc eſt ipſißima Phariſaica hypocriſis, & ficta iuſtitia, de qua Chriſtus, Matth. 7.

Ad quidnam lex conducit?

Duplex eſt legis utilitas: Vna, qua peruerſam in malis uoluntatem ac delinquendi libidinem reprimit,

primit, atq; compescit per supplicia, tormenta, aculeos, ignem, aquam, gladios. Altera, quæ interiorem etiam hominem sub disciplina cohibet, ac in officio continet per minas iræ diuinæ, & indignationis, per inferorum, & condemnationis æternæ supplicia. Et profectò si duo ista iam dicta, maleficis nõ incuterent aliquem metum, tum sacra profanis, ac mare cœlo misceretur, nulloq; resistere potente magistratu, regnaret impietas. Atqui legis ipsius atq; minarum horror, atq; metus impedit, ac repellit effrenem peccandi licentiam, ut malefici non poßint pro sua libidine quæ cupiant facinora designare. Porrò quali peccatores animo sunt præditi, tali sumus & nos, affectiq; similiter, si non forinsecus, tamen intrinsecus. Etenim si non impedimento nobis essent, aut obstarent pœnæ uel infamia, patraremus idem quod illi. Quippe cogitamus hoc, quod mali faciunt, & facimus idem. Roma. 2. Proinde lex noster ueluti carcer, & pædagogia, et infernus est, manetq; tantisper dum per Euangelium apprehenderimus Christum.

Quomodo per legem ad Euangelium peruenimus?

Quamuis Lex & Euangelium interuallo dißita sint atq; distincta longißimo, quemadmodũ Merrhæ, quod aiunt, & Siloam fluenta, tamen in corde spacijs arctißimis coniungi debent, ut corpus & anima. Dauid igitur inquit Psalmo 146. Benepla-

citum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Hîc duo sunt diuersissima, nempe timor, & misericordia, siue Dei bonitas. Etenim timere Deum, est ipsissimus infernus: contrà, sperare super Dei misericordia, paradisus atq; cœlum. Quamuis igitur inter sese δὶς διὰ πασῶν, ut aiunt, longè lateq; distent, tamen oportet, ut in hominis Christiani animo & corde conueniant & accidant ita propè, ut nunquam possint esse magis unita.

Quomodo?

Facilius est de re eadem uerba facere, quàm factis exprimere, uel in opus deducere. Optimè sese res habent illius, qui utrunq;, hoc est, Dei timorem atq; misericordiã in corde coniuncta poterit habere. Quod impijs est impossibile factu. Cain in timoris carcerem atq; periculum incidit, sed in eodem consumptus permansit. Econtrà, in expeditione Damascena S. Paulus fuit prolapsus in idem discrimen, sed euolutus emersit, Acto. 9.

Quamdiu legis captiuitas durat?

Tantisper dum uenit fides, & planum factum Euangelium per Christum.

Quando hoc contigit?

Ante mille ac quingentos annos, quo tempore Christus semel corporaliter apparuit, ac Euangelium promulgauit, & à potestate diabolica assertos homines in uerã fidei libertatem restituit. Quod ipsum

ipsum adhuc operatur spiritualiter in Christianis, quibus corpora sunt, & in eorundem membris modò lex & peccata regnant, mox autem in ijsdem Euangelium atq; Christi gratia prædominatur.

Quibus indicijs hoc deprehendimus?

Cùm nobis lex horrorem ac metum incutit, & contristans nos ostendit peccatores esse, atq; ita, ut nesciamus, quò nos uertere aut confugere debeamus, tum lex in nobis uim suam exercet, atq; dominium suũ habet. Atqui cùm uenerit Euangelium, et consolationem adferens, te perduxerit ad Christũ, peccatorum extinctorem, mortis deuoratorem, & expugnatorem inferni, tum in nobis imperium habet ac regnat gratia diuina per Christum.

Quidnam ex prædictis capiemus documenti?

Tria præcipuè discemus. Principiò, Ne legem abrogemus, & ab Ecclesia prorsum exterminemus, sed relinquamus esse speculum humanæ uitæ, in quo contemplemur ea, quæ bona desiderentur in nobis, aut quod redundet uitiorum mare. Deinde ne plus æquo legẽ extollamus, et in sublimius quàm oportet honoris culmen euehamus, eiq; iustificationem adscribamus. Quemadmodum fecerunt Iudæi atq; Pharisæi: Et omnes hodie prædicatores illi, qui nudis operibus aßignant, quod ueræ fidei debebãt attribuere. Tertiò, Ne legis horrore metuq; per-

culsi desperemus, sed nos Euangelio consolemur, Mosi dicentes: Verum est, sub tua lege nos clausos & captiuos detineri, sed id refrigerio est, atq; solatio, captiuitatem istam non in perpetuum duraturam, sed quàmprimùm uera fide Christum apprehēderimus, habituram finem. Nouimus quanta tyrannide soleas tuos affligere discipulos, quos non aliter ac asinos tractas atq; fustibus exerces, Non magis parcis, quàm (ut aiunt) lupis: exterres, criminare, maledicis, & qui templum deuotionis ipsissimum es, imprecationibus diris execrare, atq; condemnas. Nullus est furoris tui modus. Nullus minarum finis, Nulla denuq; spes apud te uel gratiæ uel misericordiæ. Proinde quid facturus sim, audi: Me protinus ad iter accingā, hancce tenebricosam mundi solitudinem relicturus. Succinctis lumbis conabor Iordanem transire, & per hāc temporariam mortem peruenire in promißionis terram. Atqui tu à tergo mihi relinquêris, morieris etiam, atque tumulaberis ita, ut homo nemo scire debeat, ubi tuus sepulturæ sit locus. Alium, quod te mordebit, itineris ducem, exploso te, mihi scias electum, nempe uerum Iosua, Iesum Christum Dei filium, qui per omnia pericula feliciter in uitam æternam me perducturus.

Cur S. Paulus legem asimilat pædagogo?

Quamuis admodum utilis, atq; ualde necessari

us sit in domo Pædagogus, ad educandos & institu endos liberos, tamen nullus puer est, nulla puella, nullus denique discipulus, qui Pædagogo faueat ex animo, atq; diligat præceptorem, quem cupiat ablegatum eò, unde ad nos fama accedere non poßit.

Da exemplum.

Populus Israeliticus tanto suum pædagogũ Mosen fauore prosequebatur, ut omni temporis momento cõcupiuerint eum lapidibus obruere. Simulabant quidẽ externis signis dilectionem, sed hypocritica fuit, quasi leporum (quod aiunt) dormientium. Quippe quemadmodum pueri, atq; discipuli pædagogum redamant, ferulasq; habent in precio, sic nos amamus legem. Hæc tamen ut maneat, necesse est, & oportet ut pædagogum habeant pueri, utq; nos legem, ne indomiti & effrenes omnia conturbemus, sacra prophanis miscentes.

Quàmdiu puer sub pædagogo manebit, & quisnam acerbioris disciplinæ finis?

Constitutum habet disciplina terminum. Porrò tamisper pædagogia durat, dum puer adoleuerit, tantumq; fecerit in studio profectum, ut alios docere poßit. Sic lex quæ pædagogus noster fuit, decretum habet tempus, certumq; finem, qui se tantùm prorogat & extendit in aduenientem Christum. Quem si uera fide fuerimus amplexati, tum Moses cum sua lege facesset, non amplius nos molestaturus.

Cur

Cur igitur Moses à Deo Legislator ordinatus?

Non propterea nobis datus Moses legislator, ut per legem nos ad Christum, uerum iustificatorem atq; saluatorem, perduceret.

Quisnam est uerus legis usus?

Vt nos ad ueram peccatorum cognitionem pertrahat, & coram Deo nos humiliet, peccatores nos accuset, reosq; faciat, ut occasionem habeamus implorandi Christum, eumq; nobis in auxilium uocandi.

Quinam homines opus habent usu legis?

Duplex hominum (quibus necessaria legis introductio est) genus est. Vnum Pharisaeorum & Hypocritarum, qui legi iustificationem adscribunt, contendentes eo modo se iustificatum atq; solius legis beneficio saluatum iri: quemadmodum Iudaei faciunt, & iustitiarij.

Alterum eorum est, quos legis immanitas adigit ad desperationem, Qui quoniam non aspiciunt legem ut paedagogum, ipsum uidelicet ducem itineris ad Christum, sed tantummodò considerant ut tortorem atq; carnificem, nec ultrà perueniunt. Ante oculos peccata uidentes, iram Dei, mortem aeternam, & inferna: permanentes in ea uasta solitudine, non aspirantes ad terram promissionis, nec tendentes ad Christum, qui legi satisfecit, & expleuit: quoniam.

quoniam, inquam, huc non respiciunt, sed in deuia gressus dirigunt, omnes animum despondere, & omnibus (ut aiunt) armis præsidijsq; destituti coguntur desperare, atq; funditus perire. Quin non suā propter causam Moses fuit, sed propter Christum. Nam postquam Iudæos ex Aegyptiaca captiuitate, per solitudinem duxerat, & terram promißionis ostenderat, moritur, ac Iosuæ, hoc est, Iesu Christo, relinquit imperium atq; principatum.

Quòd si Christus legem abrogauit, atq; semel peccata sustulit, quid amplius habemus Euāgelio opus? Quid Sacramentis & absolutione?

Christus in mundum uenit, & quantum sua retulit, consummauit omnia, sed quantum interest nostra, nondum ita uenit, ut omnia compleuerit in nobis. Verùm ea non Christi, sed nostra culpa est. Aperta quidem gratiæ ianua patet, mißilia sparguntur, munera distribuuntur, nempe gratiæ, atq; remißionis peccatorum, sed in nobis est situm, ut ueniamus acceptum quod offertur. Adbuc in nobis sunt incredulitas, ingratitudo, concupiscentia, prauus affectus, horror, atq; formido mortis & inferni. Quæ quum adhuc adsunt, adest etiam lex & peccata. Bene per fidem incepimus, prompti ad mortificandam carnem, & libidinis æstum restinguendum, sed ut probi penitus efficiamur, & omnino

mnino iusti, perfectiq; fiamus, non contingit nisi in morte, et in nouißimo die. Interea tēporis oportebit nos semper esse sub iugo pædagogi, eumq; ceruicibus nostris insultamē perferre, nō propter conscientiam, sed propter carnem peccatis obnoxiā.

Quid est, quod S. Paulus ait: Omnes filij Dei estis, eò quòd credidistis?

Hoc est, Non Dei filij redditi estis per circumcisionem, nec per legem, neq; per eius opera uaria, ceremoniasq;, quemadmodū somniant Iudæi & iustitiarij, sed per fidē, qua Christo Iesu credidistis. Etenim lex nō facit Dei filios, multo minus hominū traditiones atq; decreta, sed sola fides in Christū Iesum. Ioan. 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelicet his, qui credidissent in nomen ipsius.

Quid ex ea similitudine, qua Moses noster pædagogus asseritur, discemus?

Maximam consolationem ex fide, qua credimus in Christum, accipiemus, sic ad Mosen dicentes: Verum est, te nobis pædagogum à Deo præordinatum. Tui, fatemur, discipuli sumus, coacti ferulam tuam, atq; pœnas illatas sufferre, sed nos consolatur id, quòd tuæ minæ, terrores, atq; supplicia, non durant in æternum. Te cum tua seuera tyrannide recessurum nouimus, quamprimùm nuces reliquerimus, grandiores euaserimus, & Christum

per

per fidem apprehenderimus. Tibi fauemus, atq; tolerare possumus atq; permittere, ut nostrum corpus, ueterem Adamum, exerceas, & Antronios (ut aiunt) asinos impellas, terreas, & affligas, eò quòd pigri atq; tardi simus ad bonum. Atqui nolumus ut aliquod habeas imperium in conscientias nostras. In quibus habitabit, atq; solus regnabit Christus, in hoc seculo per gratiam, in futuro per æternam gloriam, Amen.

IN DIE CIRCVNCISIONIS Domini, Epist. Gal. IIII.

FRatres, Quamdiu hæres puer est, nihil differt à seruo, quum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est usq; ad tempus, quod pater præscripserit: Sic & nos, quum essemus pueri, sub elementis mundi eramus, in seruitutem adacti: at ubi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret: ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quoniam autem estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem: Abba pater. Itaq; iam nõ es seruus, sed filius: quòd si filius, & hæres Dei per Christum.

Quid

Quid in hac Epistola S. Paulus facit?

Antea legem carceri atq; pædagogo comparauit, nunc aßimilat eam tutoribus, qui puerum, cui pater multa bona reliquerit, educare solent, ac instituere.

Cur legem S. Paulus assimilat tutoribus?

Quamuis puer Dominus *ac hæres sit omnium bonorum à patre relictorum, tamen liberam non habet in ea potestatem, nec audet ijs pro uoluntate perfrui, sed educatur, & coërcetur à tutoribus metu atq; terrore minarum, quemadmodum discipulus sub præceptoris rigidioris disciplina.* Nihil *igitur in eo statu puer differt à seruo, non permittitur ei rerum dominium, sed demenso cogitur uiuere, ab aliorum manibus expectans cibos, uestes, ac reliqua ad uitæ necessitatem pertinentia.*

Hoc ipsum ne contingit bono iure?

Non modò æquum id ac iustum est, sed etiam necessarium ac utile. Nam si puer in manu sua facultates hæreditarias haberet, breuiore tempore prodigeret ac profunderet omnes. Cui malo ut occurratur, solent dari tutores.

Quàm diu tutela durat?

Tantisper dum adoleuerit puer, & ad ætatem grandiorem peruenerit, tum à tutoribus hæredi-

tas

tas resignatur, & adulto permittitur cum bonis, quæ collibuerit, facere.

Habuimus ne aliquando nos quoq; tutores?

Maximè, Deus enim nobis opulentißimas in Abraham, Isaac & Iacob promißiones dedit, maximumq́; bonorum thesaurum protulit, sed ijs uti non potuimus, nec hæreditatem adire, cùm adhuc ætatis imperfectæ, hoc est, impuberes, essemus sub lege, ante Christi salutarem aduentum. Tum enim ut pueri ad tutelam uocati, sub tutorum atq; pædagogorum disciplina fuimus, nempe sub Mose, cuius grauißimi sub imperio Legislatoris uitam exegimus, magna formidine atq; tremore detenti. Nam ibi nihil aliud erat, quàm solæ minæ, iurgia, execrationes, metus deniq; pauor & angustiæ. Et cum ipsi funiculum, quod aiunt, miniatum fugientes, omnia quæ legis erant fecisse uidebamur, & per summas molestias admodum strenuè nos gesßisse, nihil aliud tot tantisq; laboribus impetrabamus aut consequebamur, quàm mercedem temporariam, atq; momentaneum præmium, nempe externam commendationem. Et inuiti nolentesq́; saxum illud uoluebamus, ut Moses inuitis canibus (ut prouerbio dicunt) uisus fuerit uenari. Etenim, quemadmodum mercenarij serui, nihil ultrò, nihilq; sponte nostra faciebamus, coacti tamen sub ista custodia atq; tortura, sub huius mundi elementis perseuerare, tan-

tisper dum semen benedictum, nempe promissus aduenires Christus. Qui præsens assertor summum precium persoluens, fecit ut è seruis essemus liberi, ut discipuli fieremus doctores, & impuberes euaderemus in uiros perfectos, & ueros atq; constantes Israëlitas: fecit deniq; nos ex inuitis seruis atq; mercenarijs spontaneos filios, idq; per fidem atq; uerbum Euangelij, quo nobis aperuit & exhibuit immensas æterni thesauri diuitias, ut non amplius sub Mose legislatore simus, sed gratiæ atque misericordiæ thesauro Christo, per fidem, charitatem, atq; spem subiecti,

Quid est, quod S. Paulus ait: Vbi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium?

Hisce uerbis tria docet. Principiò commonstrat eum, qui nos à lege liberos, ac immunes reddidit. Deinde per quid, nempe per mortem atq; resurrectionem. Postmodò planum facit, quidnam utilitatis, aut quæ nos per Christi beneficia consecuti simus, nempe ius filiorum Dei, atque spiritum sanctum.

Quisnam à lege nos liberauit?

Iesus Christus, Dei atq; Mariæ filius. Quare figmentum est atq; mendacium Satanæ, quod dicūt quidam, & Christum esse legislatorem Christianorum, quemadmodum Moses fuerit Iudæorum,

&

& Turcarum Mabomet. Nam ipse Christus ait, Ioan. 3. Non misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mundus per eum, Hoc est, Dei filius Christus non uenit pro mulgatum nouas leges, & earum seueritate iudicatum atq; damnatum homines, quemadmodum Moses fecit, sed longè diuersius iter ingredietur. Etenim è medio tollet horrores legis, atq; metus, & per Euangelium saluos homines faciet.

Quomodo nos eripuit à Legis immanitate Christus?

Venit in mundum Christus, & quamuis dominus legis esset, ac nullius imperio uel seruituti subiectus, tamen humiliauit atq; submisit se legi. Sed hæc nimis insolens, effera & inciuilis, adeoq; temeraria fuit, ut in Dominum suum Christum grauiter peccauerit, cum circuncidendo, tentando, accusando, & ad mortem denuq; crucis, contra omnem æquitatem atq; iustitiam, damnando: eum, inquam, qui nunquam peccauit, agnus Dei immaculatus. Proinde per istam licentiosam temeritatis effrenis audaciam, Lex amisit omne suum ius atque priuilegium, rea facta pœnalis actionis, perpetuò coacta ad Christi pedes prouoluta iacere. Christus igitur legem perpetuis astrictam uinculis captiuam trahit, ac remetiens gratiam, ita supplantat, ut Christianis amplius insultare, uel damnare eos non possit.

Quidnam Christus per mortem atque resurrectionem suam nobis impetrauit?

Per mortem suam preciosam, atq; resurrectionem gloriosam Christus effecit, ut qui legi fueramus obnoxij, redimeremur, & per adoptionem acciperemus ius filiorum Dei. *Deinde, ut emitteretur spiritus sanctus in corda nostra, clamans:* Abba pater.

Quidnam est adoptio uel ius filiorum?

Nihil aliud est, quàm salutiferum diuinæ bonitatis atq; clementiæ symbolum, quo Deus *pater propter fidem in* Christum *Iesum nos adoptauit, ac filios fecit, atq; concessit, ut cum fiducia poßimus ad gratiæ thronum accedere.* Hinc *ipse* Christus *ait,* Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios* Dei *fieri, his qui credidissent in nomen eius.*

Quomodo Spiritus sanctus mittitur?

Duplici modo. Principiò *uisibiliter.* Sic *Spiritus sanctus uenit ac mansit super* Christum, *quasi columba, specie corporali, apud* Iordanem. Et *super* Apostolos *in die* Pentecostes, *specie dissectarum linguarum ignearum.* Deinde *spiritus sanctus inuisibiliter per uerbum datur in corda credentium, quemadmodum hoc in loco* S. Paulus *ait:* Etenim *cùm* Verbum *audimus, & illud syncera fide complectimur,*

complectimur, tum nobis auditi Verbi concepta uis adfert Spiritum ſanctum, ut in nobis ſentiamus regenerationem atq; cordis renouationem. Nam aliter affecti ſumus quàm antea, In nobis cogitationes ſanctiores emicant, Longè melius atq; purius de uerbo, de fide, & de ſacramentis loqui poſſumus: Quæ omnia mera ſunt argumenta atq; ſigna ſpiritus ſancti præſentis, atq; diuinæ gratiæ.

Quid eſt ſpiritus ſancti clamor?

Nihil aliud eſt, quàm certa ſpes atq; immenſa in Deo fiducia, quam in intimo cordis receſſu retinens homo, clamat ad De[illegible] tanquam clementißimum ſuum patrem, nec [illegible] ratione dubitat, ſibi propitium eſſe, ſe in oculis ab illo ferri, nec unquã deſtitutum iri. Quapropter erectus, tantum animo concipit robur ac animi firmitatem, ut centies mori uoluerit, quàm iſtam in Deo relinquere fiduciã. Hãc ipſam S. Iob habuit, cùm ait ca. 13. Et ſi occiderit me, tamẽ in eo ſperabo. Et Dauid Pſal. 72. Defecit caro mea & cor meum. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino meo ſpem meam. Atqui talem in Domino fiduciam dare non poſſunt, nec habent caro & ſanguis, quæ magis à Deo ſibi metuunt, & exhorrent, æſtimantes illum ſeuerißimum iudicem, quemadmodum Cain, qui inquit, Gene. 4. Maior eſt iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Eiuſmodi deſperationis clamor in omnibus

est Caini filijs, quoniam respiciunt in peccatorum atq; facinorum extinctorem Christum. At Christiani spiritum sanctum habentes, ex intimo corde clamant: Abba pater: quæ uox discutit nubes, penetrat cœlos, & ad Deum peruenit. Et quamuis pauca uerba dicant, non polylogi multa profundant, quemadmodum hypocritæ ac Pharisæi: quamuis etiam uocem non intendant, altumq́; clament, more Stentorum Choralium, tamen exaudiuntur, in spiritu ac ueritate clamantes: propè enim Dominus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate, Psal. 44.

Cur spiritus sanctus clamat, Abba pater: eadem uerba duplicando?

Id duas facit propter rationes, Quarum una est, ut ostendat uehementiam & efficaciam clamoris. Etenim qui grauiter ac seriò dicit aut clamat, is plerunq; uerba repetit, ut intelligi poßit, & exaudiri. Altera: quoniam ea scripturæ natura est, atq; consuetudo, ut per ea geminata atq; repetita uerba certitudinem indicet ac ostendat, omnesq́; præcludat ambiguitati uias. Vnde sæpius in Euangelio Christus ait: Amen amen dico uobis, &c. Sic spiritus sanctus, Abba pater, bis clamat, ut planum faciat, nosq́; certos, omni dubitatione sublata, reddat, Deum uelle nostrum patrem esse, atq; permanere. Et licet oculis aliquando nostris aliter appareat, ratioq; diuersa iudicet, tamen constanter atq; summa

ma cum fiducia poßimus dicere: O Deus, pater meus es, ego filius, propter Christum. Et licet cognoscam, sentiam & experiar, à Satana, peccato, & inferno me grauiter accusari, & inuisum auribus tuis reddi, tamen credo firmiter, te mihi propitium esse patrem. Scio me spiritum, non seruitutis ad timorem, sed spiritum adoptionis accepisse, qui insitus cordi meo, clamat gemitibus inenarrabilibus: Abba Pater, Vt nihil poßis, nec uelis, quàm gemitus meos, atq; Spiritus sancti clamorem audire, & ab omnibus malis me clementer liberare.

Quomodo S. Paulus hanc concludit Epistolam?

Iam, inquit, non seruus, sed filius: quòd si filius, & hæres Dei per Christum. Hæc est conclusio salutiferi sermonis, de adoptione atq; iure filiorum, qua declarat nos à seruitute legis ereptos esse, & adscriptos iuri filiorum Dei, cùm pater cœlestis Deus per diuinam promißionem offerat nobis atque donet suam paternam gratiam, clementiam atque misericordiam, idq; per dilectum filium suum Christum. Ergo nos per fidem oblata gratiæ dona suscipientes, clamamus per Christi spiritum indubitata plenaq; fiducia, Abba pater, Abba pater. Quē clamorem exaudit pater cœlestis, & nos ut filios recipit, facitq; fratres, & cohæredes Christi, ita ut cum Christo dilecto suo filio omnia habeamus cō munia. Etenim qui filius est, idem et hæres non per

opera nec merita (quid enim infantulus operari poterit, aut mereri, ut hæres fiat?) sed per natiuitatem. Quemadmodum autem generatio uel natiuitas in mundo facit hæredes, sic in regno Dei Baptisma lauacrum regenerationis, facit Dei filios, & hæredes per fidem, atq; Dei uerbum. Hinc Paulus ait, ad Titum 3. Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationem Spiritus sancti, quem effudit in nos opulente per Christum Iesum seruatorem nostrum, ut iustificati illius gratia, hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ. Indubitatus sermo. Quòd si iam filij, sumus & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, Roman. 8. Ergo sumus cum Christo fratre nostro securi, tuti, atq; liberi à potestate Satanæ, peccatorum, inferni. Tutumq; & liberũ accessum habemus ad Deum. A quo reputati iusti consequemur uitam æternam, Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI

Epistola Esaiæ LX.

SVrge, illuminare Hierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient te, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te uidebitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.

tui. Leua in circuitu oculos tuos, & uide, omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi. Filij tui de longè uenient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc uidebis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi. Inundatio Camelorum operiet te, Dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.

Quid Esaias facit in hac sua lectione sacra?

Id expedit, quod suum requirit officium, nempe, homines peccatorum arguere, ad omne bonum adhortari, & cumprimis futura prædicere, atque uaticinari de ueri Meßiæ, *hoc est,* Christi, *regno, de* Euangelij *doctrina, &* Ecclesia, *quæ illam suscep tura.* Adhortatur *igitur* Esaias Hierosolymi*tanos, ut è somno peccatorum excitati, uigilanter abijciant omnes cordium nubes, & incredulitatis tenebras, & affulsuro lumini* Christi, *hoc est,* Euangelio *sancto locum dent, credantque, minimè negligenter, aut oscitanter præterlabi sinentes salutiferum uisitationis suæ tempus, quo promissus mundi saluator* Meßias *uenturus.*

Quinam reputantur dormientes?

Omnes qui sunt sub lege, nec eam tamen curant,

neq; seruant, sed propalàm peßimè uiuunt, quemadmodum Iudæi & iustitiarij, non sentientes quanto uitiorum pondere premantur.

Cur iubet eos surgere, aut excitari?

Vt eum, qui cum gratia atq; misericordia uenturus, Christum, uigilanter expectent. & obuijs ulnis excipiant, uerbum & exorituram Euangelij lucem minimè contemnant.

Cur ait: Venit lumen tuum?

Dei lumen est, item Iudæorum, præterea nostrum. Dei, quoniam ipse eius luminis autor est. Nostrum, propter id quòd nobis luceat, eiusq; luminis usu nos perfruamur. Iudæorum, ratione promißionis, quæ Abraham atq; eius semini facta.

Quid lumen appellat?

Lumen uocat Christum, quemadmodum & ipse Ioan. 8. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Nec tantùm eo nomine dignatur eum, quòd ipse claritatem cum Patre æternam habeat, sed etiam quòd omnes homines ei credentes illuminet, ad iustitiam atq; salutem animarum.

Quid appellat gloriam Domini?

Aeterna bona, nempe iustitiam & æternam Dei sapientiam, quæ nobis in & per Christum, à Patre ex mera gratia atq; misericordia sunt propinata, atque donata. Quamuis autem ea lux semper ac perpetuò splendida micet atq; fulgeat, tamen sola conspicitur à minima populorum parte: quemadmodum

modum S. Ioannes ait: Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non apprehenderunt.

Quid tenebræ?

Tenebræ nihil aliud sunt, quàm incredulitas, cum suis fructibus. Et in tenebris ambulant, qui iustitiam fidei non amplectuntur, sed certam spem habent atq; fiduciam in operibus, more Iudæorum, & Iustitiariorum.

Quid est quod ait: Gentes ambulabunt in lumine tuo?

Hisce uerbis gentium uocationem demonstrat. Cùm enim Iudæi noluerunt Euangelium suscipere, permanentes in suis tenebris, illud non potuit esse sine fructu. Erupit igitur atq; se diffudit, & in Iudæorum occæcatorum locum accersiuit Gentes. Ergo creuit, ac uires sibi collegit, suaq; pomœria sic dilatauit Euangelium, ut etiam sese reges, qui mundi principes sunt, humiliauerint, & Euangelio subdiderint, in eius splendore ambulantes.

Suntne Gentes suis meritis istam à Deo gratiam consecuti?

Quid meritis illi consequi poterant? superstitionibus dementati, diabolicisq; idololatrijs contaminati, omnibus deniq; uitiorum atq; criminum generibus obruti fuerunt. Salus igitur illis atq; uitæ lux exorta fuit, ex mera Dei gratia, non ex meritis, nec operibus proprijs.

Cur

Cur Propheta ait. Leua in circuitu oculos tuos, & uide, Omnes isti congregati uenerunt tibi?

Hisce uerbis explanat duo. Principiò lætam Ecclesiam esse iubet, gaudioq; perfusam monet, ut oculos in circuitu leuet, contempletur, quàm clemens & misericors Deus uocauerit Gentes ad pœnitentiam atq; fidei iustitiam, facturus ex Iudæis ac Gentibus unum ouile, idq; gratuitò, & ex mera gratia. Deinde significat, ex omnibus regionibus, atq; mundi locis aduenturos populos, qui concorditer Deo sint inseruituri, atq; proximo, receptos in Ecclesiam Dei. De longè, inquit, filij tui uenient, & filiæ, qui se libenter subiecturi sunt Euangelio, idq; spontanea obedientia complexuri.

Quid est, quod dicit: Multitudo maris ad te conuersa, fortitudo gentium &c.

Hic incipit enumerare regiones atq; nationes, in quibus gentes ad fidem & Euangelij iustitiam sunt conuersi.

Quodnam intelligit mare?

Significat id mare, quod mediterraneum dicitur. Quamuis autem multa, uariaq; sint maria, tamen ea scripturæ est consuetudo, ut solum mediterraneum nominet, sine cognomento. Sed aliud uocat mare rubrum, aliud mare Galilæum.

Quid

Quid est, & cur dictum mare mediterraneum?

Quoniam in terræ meditullio refusum, ab Occidente se protendit in Orientem, habens uastas ab utroq; latere ditiones, prouincias, atq; regna. A latere dextro contra Meridiem, & ad Occidentem respicit Hispanias, Gallias, Italiam, Græciam, Asiam minorem usq; ad Ciliciam. A latere dextro contra Meridiem & Orientem habet Aphricam & Aegyptum, usq; ad Palestinam, Iudææ conterminam. Plurimas autem, potentißimasq; continet in medio insulas, Cypron, Rhodon, Candiam uel Cretam, Siciliam, Corsicam, Sardiniam &c.

Quid ergo Propheta uocat multitudinem maris?

Non immensi maris aquas, sed latißimas regiones, & homines maris accolas.

Quosnam populos appellat Gentes?

Omnes populos, qui ad sinistrum maris mediterranei latus, Occidentem uersus atq; Septentrionem habitant, cõmuni nomine gentes appellat scriptura. Ad quos S. Paulus omnes suas Epistolas scripsit, uocatus propterea Doctor gentium. Quorum in numero nos quoq; sumus, Sed ad dextrum ille maris eiusdem latus non peruenit.

Quid autem Propheta dicit de populis ijs, qui dextrum maris latus incolunt?

Inundatio

Inundatio Camelorum operiet te, & Dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Antea Propheta Gentes recensuit, qui ab Occidente atq; Septentrione uenturi essent ad Euangelij fidem. Iam eos enumerare pergit, qui ab Oriente atq; Meridie ad Christianam accessuri doctrinam Et hos non uocat scriptura communi nomine Gentes, quemadmodum alios in Occidentem uergentes, sed peculiaribus appellationibus nominat, ut Cedar, Naiaboth, Epha, Ismaël, Ammon, Moab, Edom, Saba. Et ita singulos à progenitorum uocabulis. Nam Gene. 25. legimus, quòd Abraham filios suos, ex Cethura uxore, separauerit ab Isaac, eosq; miserit in plagam orientalem.

Nulla ne fit Arabiæ mentio?

Latini simul & Græci Cosmographi, omnes istos populos uocant Arabas, faciuntq; triplicem Arabiam: Desertam, Petræam, & Felicem. Deserta Arabia est intra Aegyptum et Iudæam, Orientem uersus, quà Moses populum duxit Israëliticum. Petræa contingit Iudæam orientali parte. De harum neutra dixit Esaias. Arabia autem felix est sita procul à Iudæa. Porrò deserta & Petræa Arabiæ dicuntur Schaba & Epha, & sunt partes Arabiæ felicis. Midian iacet ad mare rubrum, intra Aegyptum & Arabiam felicem.

Cur dicta felix Arabia?

Eò

Eò quòd auri ſit abundans, & exuberet generoſiſsimis fructibus, habeatq; uaria aromatum genera, Cumprimis autem producit, quod alibi nuſquam prouenit, thus optimum. Hinc profecta uenit ad Salomonem Regina Saba, 3. Reg. 10. Hinc etiã exortus Mahomet multos trahit ad interitum.

Quomodo concludit Eſaias hanc Epiſtolam?

Laudem, inquit, annunciabunt Domino. Hoc eſt uerum Chriſtianorum ſacrificium, quod Deus ab ijs requirit, nempe ut Deum laudent atq; glorificent, ut Euangelium alijs denuncient, ut omni deniq; ſtudio promoueant regnum Chriſti, dilecti filij ſui. De hoc ipſo ſacrificio, nempe laudis, Pſal. 49. Deus inquit: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorũ potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo uota tua. Et inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Et in fine dicit: Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.

Quænam huius Epiſtolæ ſumma?

Saluator mundi Chriſtus in terræ meditullio natus eſt. Proinde uocat ad ſe populos omnes, & de cunctis mundi finibus, de circumiacentibus regionibus, ditionibus, atq; regnis, & eos omnes uult ſaluos fieri. Quòd autem non omnes iuſtificati ſaluemur, non in culpa Chriſtus eſt, ſed increduli-

tas, tenebræ, atq; cæcitatis caligines, in quibus impij perseuerant, atq; pereunt hostes Euangelij. Ad quod quicunq; accesserint, siue Iudæi, siue Gentes, ambulabunt in luce, hoc est, in gratiæ pacisq; lumine. Cuius claritas ad uitam & gloriam æternam est perductura credentes, Amen.

DOMINICA PRIMA
post Epiphaniæ, Epist. Rom. XII.

OBsecro uos fratres per miserationes Dei, ut præbeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptã Deo, rationalem cultum uestrum. Et ne accommodetis uos ad figuram seculi huius, sed transformemini per renouationem mentis uestræ, ut probetis quæ sit uoluntas Dei, quod bonum est, acceptumq; & perfectum. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, cuilibet uersanti inter uos, ne quis arroganter de se sentiat, suprà quàm oportet de se sentire, sed ita sentiat, ut modestus sit & sobrius, ut cuiq; Deus partitus est mensurã fidei. Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, membra uerò non omnia eundem habent actum: sic multi unum corpus sumus in Christo: singulatim autem alij aliorum membra, sed tamen

men habentes dona, iuxta gratiam datam nobis, uaria.

Quid S. Paulus in hac Epistola tractat?

Nihil de fide, sed eius opera docet, ac enumerat in hoc capite duodecimo plus quàm uiginti bonorum operum genera, ut sunt: præbere corpora hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo, *Concorditer & unanimiter idem sentire, Carnem atq; uoluptates coërcere, Crucem patienter ferre.*

Quodnam omnium primum opus bonum exprimit?

Corpus castigare, malas reprimere cupiditates, & libidines obscœnas restinguere. Sed de eadem re loquitur hic longa alia ratione, quàm alibi locutus. Ad Galatas uocat carnem crucifigere cum affectibus & concupiscentijs. Ad Ephesios et Colossenses appellat ueterem hominem exuere, & membra terrestria mortificare. Sed in hoc capite uocat hostiam præbere, & hoc ipsum uerbis grauißimis atq; sanctißimis euehit & extollit.

Cur idipsum facit?

Vt ijs magnificis atq; uerbis efficacioribus cò potentius persuaderet ac prouocaret nos ad eum fidei fructum, aßimilatum ministerio sacerdotali, quo nihil in mundo præclarius atq; sublimius habetur, ut etiam est reuera.

Cur ab hostia facit exordium?

Quoniam hostia, uel sacrificium administratioq; rei diuinæ, est omnium operum humanorum caput, et actio primaria. Quandoquidem autem in Baptismo nos omnes consecrando sacerdotes constituit, & chrismate sancti spiritus inunxit Deus, uult etiam ut nos officio sacerdotali fungamur, & quæ sacerdotũ sunt, opera perficiamus, ut sunt: instare precationibus, pro alijs orare, docere in doctrina, et corpora præbere uiuentem hostiam.

Sunt ne ergo Christiani omnes sacerdotes?

Certè omnes Christiani sunt sacerdotes. Hinc S. Petrus, Vos, inquit, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. Atqui non sacris initi uel consecrati sunt ab hominibus, sed à Deo, regenerationis lauacro, nec per externum oleum, sed per sanctum spiritum inuncti. Quapropter S. Hieronymus ad Luciferianum scribens, inquit, Laicorum sacerdotium est Baptisma. Non enim externi chrismatis unctio, sed regeneratio sancta facit sacerdotes.

Omnes ne Christiani sacerdotali officio fungentes, præbent sua corpora hostiam uiuentem?

Quemadmodum in externis ministeriorum sacerdotalium officijs euenire uidemus, ut pauci fideliter suarum rerum satagant, ita solet etiam in hoc Christianorum sacerdotio contingere. Quemadmodum

admodum non omnes, qui, iuxta prouerbium, habent citharam, sunt citharœdi, sic non omnes qui Christiani dicuntur, Christiani sunt.

Plureis Thyrsigeros, paucos est cernere Bacchos.

Sacerdotale nomen omnibus Christianis, uiris, fœminis, iuuenibus, senibus &c. est inditum, sed officio sacerdotali funguntur pauci. Corporis enim hostiam nemo uult præbere. Ab hoc opere diffugiunt omnes.

Quidnam causæ, cur id fiat?

Quoniam periculis obnoxium est. Agitur enim & in discrimen adducitur salus corporis, uitæ, honoris, amicorum, & omnium deniq;, quæ sunt in mundo, bonorũ. Quum igitur tale, quale Christus in cruce, discrimen subeundum sit, paucißimi sacerdotale munus cupiunt exequi. Nemo pro gaudijs dolorem atq; calamitates, Nemo pro uita mortē, Nemo honoris loco dedecus, & infamiam, Nemo pro amicis hostes, Nemo deniq; pro perca (quod aiunt) scorpium capere uelit, hoc est, pro optimis peßima, qualia pro nobis pertulit ipse Christus, Proinde nimis graue, simul ac arduum illud est genus hostiæ, quod solum à nobis Christus exigit, factus pro nobis sacrificium atq; uictima, cùm per proprium sanguinem in cruce semel & unica oblatione perfectos effecerit in perpetuum eos, qui sanctificantur, Heb. 9. & 10.

Quomodo S. Paulus adhortatur Christianos ad præbendam corporis hostiam?

Quandoquidem omnes Christiani populus Dei sunt, atq; sancti sacerdotes, ostendit ijs hoc loco, quænam sacra peragere debeant, & cuiusnam diuini cultus obsequium Deo præstare. Dicit igitur: Obsecro uos fratres, per miserationes Dei, ut præbeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum uestrum. Q.d. Quòd si cui placeat opus facere condignum officio sacerdotali, is incipiat hîc, atq; hoc præsens opus sumat in manus, præbeat hostiam atq; sacrificet proprium corpus. Omnes in sese concupiscentias, adfectus prauos, cogitationes malas, turpia deniq; uerba simul ac opera tollat ac eradicet. Nihil rationi tribuat, subtilitatem propriæ sapientiæ damnet, honorem atque gloriam adscribat soli Deo. Nihil arroganter sentiat, modestus sit ac sobrius. Omnibus inseruiat, sit omnibus solatio, subsidioq; propter Deum &c. Hoc uerum est Christianorum sacrificium, acceptumq; Deo.

Cur ait: Obsecro uos, aut adhortor?

Maximum est inter Mosen & Apostolos, inter Legis & Gratiæ prædicatores discrimen. Nam omnes operum atq; legis doctores, ut Moses, Iustitiarij, hypocritarumq; greges, nihil aliud faciunt

quàm

quàm mandant, remandant, minantur, execrantur, maledicunt, damnant, similes illis, de quibus Esaias innuit, cap. 28. Erit eis uerbum Domini, Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. Atqui longè faciunt aliter Christus & eius Apostoli, qui precantur, obsecrant, & admonent, dicentes: Charißimi fratres, filij dilecti, uos oramus, uos admonemus, ut omnia plena sint amicis atq; dulcibus uerbis. Sanctus Paulus ergo non ait quemadmodũ Moses: Præcipio uel mando, sed obsecro uos. Nec dicit: Præcipio uobis per iram Dei, sed per miserationes.

Quid est, quod ait: Præbete corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum uestrum?

Hostias ueteris atq; noui Testamenti hoc loco discernit, atq; separat. In ueteri Testamento fuerunt hostiæ, boues, uituli, tauri, hirci, oues, & agni, uidelicet irrationales bestiæ. Sed in Nouo non debet alia offerri hostia, quàm rationalis hominis caro, uetus Adam. Qui cum omnibus suis affectibus atq; concupiscentijs in hoc mundo crucifigi debet atq; mortificari, ut peccatis omnibus mortuus uiuat soli Deo, factusq; noua creatura patienter omnia ferat, quæ mala cœlitus fuerint immissa. Vt summatim igitur dicam, Hostia noui Testamenti ui-

na debet esse, & sancta, & accepta, & rationalis cultus. Non expertium rationis animalium, ut apud Iudæos. Neq; erit de cultuum eorum numero, quos excogitauerunt humanæ traditiones, aut quas proprias inuenerunt sibi cruces, ut apud Baalitas, Molochitas, & sacerdotes Turcarum: sed cultus eiusmodi esse debet, qui suum in uerbo Dei fundamentum habeat, qui ex syncera cordis fide profluat, directus in gloriam Dei, atq; consolationem, atque præsidium proximi. Talem Dei cultum sanctus Iacobus cap. 1. describit, inquiens: Religio pura & immaculata apud Deum & patrem, hæc est, inuisere orphanos, & uiduas in afflictione sua, immaculatum seipsum seruare à mundo.

Quid est, quòd ait: Ne accommodetis ad figuram seculi huius uos, sed transformemini per renouationem mentis uestræ?

Prædictam hostiam uiuam mundus ipse non ferre, nec uidere potest, imò repugnat ab utroque latere, nihil habens in sese sensus aut spiritus. Atqui nos multum illius habemus in nobis & sensus & affectuum. Ergo nobis opus est singulari perspicacitate, qua uideamus, ne mundi ritum & ingenium imitemur, neq; nostrum sensum, ac rationis amußim sequamur, sed aßiduò nostros sensus atq; uoluntatem frangamus, multoq; faciamus aliud, quàm

quàm quod nobis ratio dictat, & uoluntas nostra præscribit, ne rationibus ullis accommodemur ad figuram huius seculi. Hoc ipsum operati nos trans formabimur per renouationem mentis nostræ.

Quid significat, transformari per renouationem mentis?

Hoc innuit, ut nos indies magis atq; magis illud fauore prosequamur, & expectemus, quod odit et execratur ipse mundus, atq; ratio nostra, Hoc est, ut magnificiamus paupertatem, ægrotationem, contemptum, ignominiam, ac deniq; mortem, ita ut feliciorem arbitremur inopiam esse diuitijs. stul titiam preciosiorem sapientia, dedecus honore, & mortem uita præstantiorem. Quam sententiam mundus non accipit, habens longè diuersiorem persuasionem, in qua perdurat, & ueluti rupes Marpesia perstat.

Quid est mens?

Mens est sensuum fons, ut inquit Cicero, totius animi regnum occupans. Eam solam uoluerunt ido neam, cui crederetur. Persuasionem habet uel omnium uirtutum, aut uitiorum. Nam quod quis persuasum habet esse rectum, id amplectitur, & conceptum animo sequitur. Iam si mens recta non fuerit, non erit etiam recta conscientia, uel fides. Quòd si non unanimiter cum alijs senserit, protinus omnis aberit charitas atq; pax. Vbi autem nul la charitas, nullaq; fides insederit, ibi mundus erit,

atq; Satanas. Hinc totius rei momentum atq; pondus in eo est, ut nos transformemur per renouationem mentis nostrae, cumprimis eam propter causam, ut iuxta Pauli sententiam, probemus, quae sit uoluntas Dei, quod bonum est, acceptumq́; & perfectum.

Cur hoc ipsum nobis faciendum?

Longißimo interuallo distant inter se Dei uoluntas atq; nostra, Illa diuina, haec mundana est. Huius uitae nullo tadio mundus affici, nec eadem satiari potest. Atqui Christianus cum S. Paulo dicit: Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, Ad Hebr. 13. Mundus reformidat, declinatq́; crucem, at Christianus illam expetit: & ingemiscendo dicit cum Eremita illo, qui cùm semel in anno correptus morbo decubuisset, O Deus, inquit, cur es oblitus mei? Paßiones mundo nimis longae uidentur, atque diuturnae. Atqui Christianus ait cum S. Paulo, ad Roma. 8. Reputo non esse pares afflictiones praesentis temporis ad gloriam quae reuelabitur erga nos. Et 2. Cor. 4. Momentanea leuitas afflictionis nostrae mirum in modum pondus gloriae parit. Mundus clamat: O Domine, da longam uitam, & prospera diuturnioris aetatis tempora, Confer sanitatem, fac omnia feliciter eueniant. O si sub rastro crepet argenti mihi seria dextro Hercule. Atqui Christianus ait cum S. Paulo: Cupio dissolui, & esse cum Christo.

Quo-

Quomodo S. Paulus hanc Epistolam concludit?

Dico per gratiam, inquit, quæ data est mihi, cuilibet uersanti inter uos, ne quis arroganter de se sentiat suprà quàm oportet de se sentire, sed ita sentiat, ut modestus sit et sobrius, ut cuiq; Deus partitus est mensuram fidei. Q. d. Quamuis dona & opera uaria & dissimilia sint, ut in alijs excellentia, in alijs autem humiliora, tamen propterea nemo sese reliquis præstantiorem arbitretur, ne seditionum inde sectarumq; profluat origo. Quisq; igitur suo se pede metiatur, & in fidei suæ mensura permanens, alijs inseruiat per dona sua cœlitus accepta. Sic charitas, concordia, fideiq; simplicitas incorrupta perdurabit, nemoq; suis operibus aut proprijs meritis confidet. Cuius rei præclaram similitudinem adducit.

Quænam est ea similitudo?

Quemadmodum in uno corpore membra multa habemus, membra uerò omnia non eundem habent actum: sic multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra, sed tamen habentes dona iuxta gratiam datam nobis uaria.

Quid per eam intelligit Similitudinem?

Hoc dicit: Quemadmodum multa sunt in corpore membra, corpus unum constituentia, sic mul

ti sunt Christiani, facientes unam tantummodò catholicam Ecclesiā, cuius caput est Christus. In corpore sunt oculi, aures, os, nasus, manus & pedes. Sic in Ecclesia sunt Episcopi, Parochi, Prædicatores. Cuilibet membro suum est officium destinatū. Vt autem oculus uidet, Auris audit, Os loquitur, Manus operatur, Pedes ambulant, sic item in Ecclesia quilibet suum habet officium atq; uocationem. Siquidem Episcopi atq; Concionatores oculis comparantur, Auribus auditores. Manus sunt, qui Remp. administrant, Pedes subditi. Quòd si dolet alicui pes, statim eò respiciunt oculi, manus contrectant, os auxilium implorat &c. Sic in Ecclesia debet alter alterius onera portare. Alij necessitatibus aliorum subuenire, consolari, adiuuare uerbis & operibus. Quod si fecerimus, habituri sumus propitium Deum atq; patronum nostrum. Qui non aliter atq; dilectos suos filios nos, atq; uiuentem hostiam clementer suscipiet, & in suum regnum, in uitam æternam, perducet, Amen.

DOMINICA SECVNDA
post Epiphaniæ, Epist. Roma. XII.

FRatres, Habemus dona, iuxta gratiam datam nobis, uaria: Siue prophetiam iuxta portionem fidei, siue ministerium in administratione, siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in exhortatione,

tatione, qui impertit in simplicitate, qui præest in diligentia, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sit non simulata. Sitis odio prosequentes quod malum est, adhærentes ei quod bonum est, per fraternam charitatem, ad mutuò uos diligendos propensi, honore alius alium præuenientes, studio non pigri, spiritu feruentes, tempori seruientes, spe gaudentes, in afflictione patientes, precationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Bene loquamini de ijs, qui uos insectantur: bene loquamini, inquã, & ne malè precemini. Gaudete cum gaudentib. flete cum flentibus: eodem animo alij in alios affecti, non arroganter de uobis ipsis sentientes, sed humilibus uos accommodantes.

De qua re S. Paulus in hac Epistola dicit:

De Dei donis, de fidei fructibus, & de Christianorum membrorum operibus dicit, ordine pulcherrimo seruato. Principiò enumerat sex opera, quæ communiter ad officium, aut regimen ecclesiasticum pertinent, Vtpote uerbum Dei prædicare, uerbi prædicatoribus & pauperibus opitulari, docere, exhortari, impertiri, præesse. Postmodò recenset uiginti bona opera, popularitèr atq; communi-

ter

ter ad omnes in Ecclesia Christianos spectantia.

Quodnam est primum ad Ecclesiasticam præfecturam opus pertinens?

Quòd si quis habet prophetiam, ea sit iuxta proportionem fidei.

Quid est prophetia?

Duplex est Prophetia. Altera est diuina inspiratio rerum, futura immobili ueritate denuncians. Hæc Apostolorum est, atq; prophetarum. Altera dicitur recta scripturarum interpretatio. Vtraq; autem à fide syncera nihil discrepare debet. Est igitur hæc S. Pauli sententia: Quòd si quis diuina gratia illustratus scripturas commode poterit explanare, is diligenter attendat, ut explicatio conueniat cum fidei doctrina. Non aliud tradat, quàm fides requirit, non præsumat aliud fundamentum ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus, 1. Corinth. 3.

Quodnam est opus secundum?

Quòd si quis habet ministerium, diligens sit in administratione. Hoc est, si quis inseruit Ecclesiæ Diaconus, Dispensator, Xenodochiorum præfectus, Nosocomiorum præpositus, & pauperum deniq;, uiduarum, & pupillorum tutor, is fideliter munus suum exequatur, & credat se hoc ipso obsequium præstare Deo, Matth. 25.

Quod tertium & quartum?

Si

Si quis docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortatione. Hæc duo communia esse debent. Docere est homines in ijs instituere, quorũ ignari sunt. Exhortari est sic institutos excitare, allicere, impellere, admonere, & obsecrare, ut strenuè progrediantur in bonis, non deficiant, nec desciscant à ueritate, prurientes aures habituri, 2. Timoth. 4. Esaiæ 58.

Quintum, Si quis impertit, faciat in simplicitate. Hoc est, Si quis præstaturus eleemosynam, id faciat citra magnum apparatum, non ut spectetur, aut glorificetur ab hominibus, quod hypocritæ quærunt, sed ita præstet, ne sciat sinistra, quod facit dextra. Nec elargiatur pro fauoris aut amicitiæ respectu, sed pro pauperum egentium necessitate. Neq; commoditatis emersuræ studio prouocatus, aut beneficij compensandi pellectus desiderio, prouehat alios, alios autem negligat, aut repellat. Quod hactenus accidit in ecclesiasticis honoribus, atq; sacerdotijs conferendis. Vult autem S. Paulus, & item Christus, ut purè, synceriter, atq; liberè præstentur eleemosynæ.

Sextum, Qui præest, in diligentia. Hoc præesse nihil aliud est, quàm diligenter intendere, atq; prouidere, ut omnia decenter fiant, ac ordine recto procedant in Ecclesia, nempe ut Dei uerbum munda puritate prædicetur, Sacramenta rectè administrentur, eleemosynæ non peruerso ordine distribuantur,

ſtribuantur. Quæ peculiariter pertinent ad officium Epiſcoporum, unde nomen hoc ipſum ſortiti ſunt. Et propterea uocati Antiſtites, Præſules, Paſtores, atq; Viſitatores. De quibus S. Paulus, 1. Timoth. 3. inquit: Si quis propriæ domui præeſſe non nouit, quomodo Eccleſiam curabit? Oportet eos profectò ſtrenuos eſſe, non ueternoſos, neq; pigros, neq; negligentes. Quemadmodum in auriga ſitũ eſt, ut bene currus & equi procedant: ſic in Eccleſiæ proceribus atq; magiſtratu poſitũ eſt multum, ut in Eccleſia proſpero omnia ſuccedant ordine & euentu. Quòd ſi dormiuerit auriga, freniſq; laxatis equos et quadrigam proprio curſui reliquerit, uia potiſsimùm inæquali atq; periculoſa, uerſabitur in undarum (ut aiunt) ulnis, & in præſens diſcrimen, perniciemq; præcipitabitur: Sic etiam Eccleſia dormientibus Epiſcopis atq; paſtoribus.

Cur præeſſe ponit extremo loco?

Sancti ſpiritus inſtinctu præuidit S. Paulus Epiſcopos atq; ſubliniores uerbi miniſtros uenturos, qui relicto prædicandi, docendi, & adhortandi officio, ſeſe collaturi eſſent ad capeſſendas dignitates, & magiſtratum in Eccleſia gerendum, ac inibi imperium habendum, contra Chriſti præceptum Lucæ 22. Vt autem illis in memoriam reuocet dictum Chriſti, ponit ultimo loco præeſſe, uel habere poteſtatem: & reliqua ſacerdotalis officij munera, nempe prædicare, docere, miniſtrare, & exhortari,

tari, præmittit. Atqui S. Pauli admonitio tantundem ualuit, quantum Christi. Iam ubi Doctores Euangelij & scripturarum interpretes, Ecclesiæq; ministri debebant esse, ibi cum magno fastu regnant, similes principibus, potentes Ecclesiastici proceres. Quod tamen aliqua ratione permittere Deus atque conniuere posset, si ipsi uel per sese, uel per alios Euangelij doctrinam promouerent, officio suo respondentes. Quod ipsis Deus concedat, Amen.

Quænam sunt ea bona opera, quæ communiter ad Christianorum quemlibet pertinent?

Primum est, Si quis miseretur, faciat id in hilaritate. Quandoquidem autem Deus hilarem datorem diligit, non est eleemosyna præstanda difficulter, inuitò, & amarulenter. Nec beneficium in pauperes tardè conferendum. Bis enim dat, qui citò dat, & in tempore. Nec undecunq; prætexenda causa, cur uel non detur, uel extrahatur, & differatur à Cuminisectoribus, ut pauper ipse beneficio gaudere non poßit. Aristoteles magis piè, qui cuidam increpanti, quòd homini malo dedißet eleemosynam, Non mores, inquit, sed hominem commiseratus sum.

Secundum, Dilectio non sit simulata, sed syncera, fraterna, non fucata. Facilè solet os (ut fertur) in amore sublimi, in causa est, quòd alij simulant

lant amicitiam, cùm hostes sint, Alij sua quærunt. Hinc illud Ouidij:

Vulgus amicitias utilitate probat.
Diues eris donec, tales numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Alij diligunt ita, ut ad omnia conniuere poßint, qui ueri sunt hypocritæ. De quibus Prouerb. 29.

Tertium, Odio prosequentes quod malum est.

Quartum, Adhærentes ei quod bonum est.

Quintum, Per fraternam charitatem ad mutuò uos diligendos propensi. Hæ partes sunt charitatis fraternæ non simulatæ, nempe ut nullam prorsus hypocriticam palponum admittamus adulationem, quæ palpum obtrudens ita solet occæcare oculos, ut conniueamus, silentio prætereamus, non puniamus id quod supplicio dignum. Deinde ut bonum mordicus teneamus, siue id dixerit aut fecerit amicus siue hostis.

Item, ut propensi simus ad mutuò diligendum, non amore uulgari, sed ex corde profectò penitus fraterno, imò paterno atq; materno, quali parentes suos liberos prosequi solent.

Sextum, Honore alius alium præcedentes.

Septimum, Studio non pigri, ad id quod facere debetis. Hoc est, pro alijs soliciti sitis.

Octauum, Spiritu feruentes.

Nonum, Tempori seruientes, Hæ quatuor

uirtutes

uirtutes è fraterna paternaq; charitate profluunt, docentq; nos, ut alios quantumuis humiles, nobis præferamus, ducamusq; propter Deum meliores. Deinde, ut officiosi, solicitiq; pro alijs, non pigri, neq; tardi simus ad suppetias ferendas, nec in obsequijs præstandis inconstantes. Item in rebus negotijsq; diuinis non frigidi languescamus, sed alacriter opus Dei promoueamus, non delassati, sed indies magis atq; magis redditi fortiores, ardentioresq;. Cæterùm frigidioris spiritus signa sunt, quòd in orationibus & omnibus operibus nostris oscitabundi torpescimus & pigri sumus, quòd adeò facilè prolabimur in peccata, tam frigidi sumus in charitate. Quippe ubi spiritus friget, ibi carnis exæstuat libido. Contrà, ubi spiritus feruet, ibi cum affectibus suis caro supplantatur. Sic etiam tempori seruimus, & ad eiusdem rationem & usus accommodamus, scientes foro (quod aiunt) uti, & facere suo tempore quodlibet.

Decimum, Spe gaudentes.

Vndecimum, In afflictione patientes.

Duodecimum, Precationi instantes. Hæc tria declarãt, quidnam sit, Tempori seruire. Nempe ut Christianus non quærat amicos in carne, uel in rebus terrestribus, sed in solo Deo, licet etiam res infeliciter successerit. Deinde, ut patiens atq; fortis appareat in afflictionibus, cruce, atq; passione, sed perduret, maloq; resistat. Item cùm in angu

ſtijs ad Deum clamauerit, & non protinus fuerit exauditus, indeſinenter precationibus per fidem inſtet, quemadmodum ille Lucæ 11. Et uidua, Lucæ 18.

Decimumtertium opus, Neceßitatibus ſanctorum communicantes.

Decimumquartum, Hoſpitalitatem ſectantes. Hæ duæ partes ad uiuentes in terris ſanctos pertinent, quos perſequuntur, profligant, omnibusq; bonis exutos eijciunt in exilium Tyranni. Malis igitur omnibus affectos libenter hoſpitio ſuſcipere debemus, atq; omni beneficiorum genere complecti.

Decimumquintum, Bene loquamini de ijs, qui uos inſectantur.

Decimumſextum, Bene loquamini, & non malè precemini. Hæ duæ partes pro noſtris inimicis prolatæ ſunt, quibus omnia bona corporis ac animæ precari debemus, iuxta illud Luc. 6. Diligite inimicos ueſtros: benefacite ijs, qui oderunt uos. Benedicite maledicentibus uobis. Orate pro calumniantibus uos. Nulla ratione decet Chriſtianum, ut uel unicum maledicentiæ uerbum etiam hoſtibus acerrimis loquatur, cùm in ore ſemper habere debeat Dei uerbum, quod nihil aliud eſt, quàm mera benedictio. Non igitur conuenit, ut ex eodem ore maledicus ſermo proficiſcatur, unde meræ benedictiones debeant promanare.

Deci-

Decimumseptimum, *Gaudete cum gaudentibus.*

Decimumoctauum, *Flete cum flentibus.*

Decimumnonum, *Eodem animo alij in alios affecti.*

Vigesimum, *Non arroganter de uobisipsis sentientes, sed humilibus uos accommodantes.*

Hæ quatuor operum partes ad nosipsos pertinent, & ostendunt quomodo nos debeamus inter nos gerere temporibus prosperitatis, uel infortunij, gaudiorum seu luctuum. Inciuile est, *& absurdum ibi lætari, ubi tristantur alij.* Item, *frontem ibi caperare, atq; toruum uidere, ubi gaudent alij.* Debemus *non diuersorum studiorum esse, sed eundem animum in alios habere, non alijs excellentiores nos aut sanctiores reputare, uel externi status uel officij paulò dignioris respectu.* Nec *arroganter apud nosmetipsos, reuoluentes sublimiora, sentire, neq; fastu superbo turgidi eos, qui sunt inferioris cõditionis, contemnere, sed uocatione, officioq; nostro contenti, rerũ nostrarũ satagere.* Vtrũq; *Deus statum, & superiorem & inferiorem constituit. Et non minus hoc poterit mundus, quàm illo carere.* Vnde *potentes nomen suum atq; facultates habituri essent, si non pauperes subditi forent?* Quid *magni ciues essent esuri, si nullus agrum coleret squalidus agricola?* Quemadmodum *pedes corpus gestant, ita status sublimiores ab inferioribus*

portantur. Quemadmodum autem corpus ipsum sese gerit erga pedes, sic etiam ipsi potentiores sese gerere debent erga inferiores, non respicere, nec considerare, neq; magnificare sublimitatem istam, qua praecellunt, sed se applicare & accommodare ad imbecilliorum fortunas, rerumq; necessitatem. Sic etiam nobis Christus fecit, Qui quod in se magnum & excellens habuit, non reiecit, sed non magnificit, non insolens superbiuit. Qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset aequalis Deo, sed seipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominũ cõstitutus, et figura repertus ut homo, humiliauit semetipsum, & nobis sanctißima uita, preciosißimisq; suis operibus seruiuit. Ei laus, honor & gloria in secula seculorum. Amen.

DOMINICA TERTIA post Epiphaniae, Epist. Rom. XII.

FRatres, Ne sitis arrogantes apud uosmetipsos, neq; cuiquam malum pro malo reddatis, prouidè parantes honesta in conspectu omnium hominum: si fieri potest, quantum in uobis est, cum omnibus hominibus in pace uiuentes. Non uosmetipsos ulciscentes, dilecti, quin potius date locum irae. Scriptum est enim: Mihi ultio, ego rependam, dicit Dominus.

nus. Si igitur esurit inimicus tuus, pasce illum: si sitit, da illi potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius. Ne uincaris à malo, imò uince bono malum.

Quid S. Paulus in hac docet Epistola?

Fidei fructus enumerare pergit, quod fecit in praecedentibus duabus Epistolis. *Veteres enim hoc caput in tres diuiserunt Epistolas, tribus* Dominicis *diebus destinatas. Est enim omnium nobilissimũ caput, quod dici meritò posset, minor Laicorum Biblia. Enumerat autem septem adhuc bona, diligenter obseruanda Christianis, opera.*

Quodnam est primum?

Ne sitis arrogantes apud uosmetipsos. Pessimũ est in rebus humanis crimen, quod Philautia, uel arrogantia dicitur, Quae superbiae quaedam filia, qua quis multum sese persuasum habet scire, & ob id caeteros, quos infra se uidet, despicit, nedum audit. Omnia se melius nouisse putat, quàm alij dicere possint. Supercilia (quod aiunt) attollens nemini cedit, sed quamlibet capitis sui persuasionem, ut saluberrimam doctrinam sequitur. Quod crimen in Ecclesia *non debet habere locum, in qua debent alijs alij cedere honore, sermonibus atq; rebus omnibus, quae non fidei sunt, sed negotiorum externorum.*

Secundum, Ne cuiquam malum pro malo reddatis, Cùm suprà S. Paulus diceret: Ne malè precemini, uoluit eos intelligi, qui tenues ac impotentes, non possunt uindicare, aut inimicum ulcisci, qui nihil aliud faciunt, quàm mala precari potentiorib. Hoc autem loco de ijs loquitur, qui possunt nocere, atq; par pari referre, malum compensantes malo. Sed Christianis ait ipse Christus, Mat. 5. Dico uobis: Diligite inimicos uestros, Benefacite ijs, qui uos odio prosequuntur. Orate pro ijs, qui lædunt & insectantur uos, ut sitis filij patris uestri, qui est in cœlis, Qui solem suum exoriri facit super malos et bonos: & pluuiam mittit super iustos & iniustos. Et S. Paulus, 1. Thessal. 5. Videte ne quis malum pro malo cuipiam reddat, sed semper quod bonum est sectemini, tum erga uos inuicem, tum erga omnes, hoc est, etiam inimicos.

Tertium, Prouidè parantes honesta, in conspectu omnium hominum. Hoc ad externam politiam pertinet. Non cogitabit, aut sibi persuadebit Christianus, se omnia pro uoluntate sua facere posse, siue ea probentur alijs, aut displiceant. Certè in rebus aut negotijs ijs, quæ ad fidem, conscientiam, aut animæ salutem pertinent, nemini cedere debet, aut iuxta aliorum præscripta facere, sed mordicus id tenere, quod rectum, quodq; doctrina requirit. Cæterùm in rebus externis, atq; causis mundanis sic aget atq; sese geret, ut apud omnes irreprehensibilis

sibilis inueniatur, ac minimè difficilis. Hinc S. Paulus, 1. Thessa. 5. *Abstinete, inquit, ab omni specie mala.* Et ad Philip. 4. *Quod reliquum est, fratres, quaecunq; sunt uera, quaecunq; honesta, quaecunque iusta, quaecunq; pura, quaecunq; accommoda, quaecunq; boni nominis, si qua uirtus, si qua laus, haec cogitate, haec facite, & Deus pacis erit uobiscum.* Et 1. Pet. 2. *Conuersationem uestram habete honestam inter gentes, ut in hoc quod obtrectant uobis quasi maleficis, ex bonis operibus aestimantes uos, glorificent Deum in die uisitationis.*

Quodnam est quartum opus bonum?

Si fieri potest, quantum in uobis est, cum omnibus hominibus in pace uiuentes. Quod dictum est de externa concordia atq; pace: & communiter pertinet ad omnes homines, Christianos, Iudaeos, Gentes, humiliorum seu statuum sublimiorum. Q. d. *Nullam occasionem date dissidijs, nullam discordiae fenestram aperite, patimini omnia quae poteritis sufferre, cùm satius sit iniurijs affici, quàm alijs inferre.* Nolite recriminari, nec referire. Etenim qui pulsat alium, iniquè facit: qui reuerberat, infortunium quaerit, excitatq; lites atq; bellum. Addit autem S. Paulus: *Quantum in uobis est,* Hoc est, Estote pacis studiosi uos, atq; curate, ne discordiae praebeatis causam, aut à uobis dissidiorum origo proficiscatur. Q. d. Non ubiq; pax durat, & impossibile est, ut ubiq; sit ea, quoniã mundus cor

ruptus atq; malus est, Nec est in hominis potestate pax, ut iuxta prouerbiale dictum, homo diutius ea frui non poßit, quàm uicinus eius uelit. Cæterùm nobis prospiciendum erit, ne pacis fœdera per nos rumpantur.

Quòd si uoluerimus omnia pati atque sufferre, quis tandem modus erit afflictionum?

Huc quintum illud opus bonum est referendum, quo S. Paulus huic quæstioni respondet, inquiens: Non uos ipsos ulciscentes, dilecti, quin potius date locum iræ diuinæ. Nam scriptum est, Deut. 32. Mihi ultio, ego rependam, dicit Dominus. Q. d. Quòd si uobis aliqui damnum intulerint, atq; uos hoc ipsum patienter tuleritis, atq; Deo uindictam reliqueritis, experiemini uestros aduersarios iniuriosos graui nimis supplicio punitum atq; uindicatum iri, non ab hominibus, sed à Deo.

Quid S. Paulus uult per ea uerba: Non uosmetipsos ulciscentes?

Principiò Christianos omnes consolatur, & exhortatur, ut patienter omnia, quæ poterunt euenire, mala ferant propter Deum. Deinde ab omni studio desiderioq; uindicandi deterret, ne sibi uendicent, quod officium ad solum pertinet Deum, nempe retribuere & ulcisci. Porrò Deus non potest in nobis tria ferre, Iactantiam, Vindictam, & Iudicium. Postremò recenset, non sine dolore, casum

atrocem,

atrocē, atq; graue periculū, in quod inimici nostri sunt prolapsuri, nempe in iram Dei. Cuius decreto puniri solent à magistratu, non frustra gerente gladium. Aut incidunt in alia damna, aut in publica crimina, in æternam damnationem reseruata. Ad misericordiam igitur nos S. Paulus adhortatur, atque monet, ne malè precemur inimicis, neq; recriminemur, sed magis illorum nos misereſcat calamitatis impendentis, quæ longè grauior futura, quàm nos poterimus excogitare. Christianis igitur conuenerit pro inimicis orare magis, quàm imprecationibus, aut malis regestis onerare.

Sextum.

Si esurit inimicus tuus, pasce illum: si sitit, da illi potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius. Hoc loco S. Paulus dicit idem, quod Prouerbiorum 25. Salomon: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.

Quid significat, prunas super caput coaceruare?

Dupliciter explicari poterit. Primò per prunas intelligere poterimus beneficiorum multitudinem, quibus obrutus inimicus ita fuerit, ut iratus sibi, propriaq; indignatione motus secum cogitet aut loquatur: Quid iniquus homo poteris illum odisse uel persequi, qui tot in te beneficia conferre non

desinit: Tot benemeritis expugnatus in gratiam cum illo conabor redire &c. Deinde per prunas, externa supplicia poterimus accipere, quòd inimicus per tot accepta beneficia grauius peccet, atq; ingratus indies magis atq; magis incidat in atrociora crimina, mortem æternam paritura. Quasi dicat S. Paulus: Beneficijs inimicum tuum prosequere, da locum iræ, in caput eius coaceruas prunas, hoc est, Dei iudicium, iram, uindictam. Sed nemo Christianus hæc inimico suo precari debet, sed pro eo potius orare. Quod non modò faciundum præcepit, sed etiam Christus ipse compleuit, ut nobis ad imitandum præberet exemplum, Lucæ 23. Et S. Stephanus, Acto. 7.

Septimum.

Ne uincaris à malo, imò uince bono malum. Est conclusio huius capitis, & in ea omnium, quæ toto capite sunt tractata, repetitio. Quasi dicat S. Paulus: Quòd si Christiani uolueritis esse, tamen non satis erit ut uobisipsis, uestris amicis atque benefactoribus gratificemini atque bene mereamini, oportet etiam uestris inimicis benefacere, ad exemplum Christi, qui, ut S. Petrus ait, 1. Epist. 2. capit. cum maledictis incesseretur, non minabatur: Qui quum duceretur ad lanienam, nõ aperuit os suum, Esaiæ 53. Christianos igitur oportebit Christi uestigia insequi, non recriminari, aut similes inimicorum fieri. Quòd si igitur Christiani uitijs absorpti,

pti, habuerint aut fouerint odium, inuidiam, discordiam, iurgia, seditiones, maledicta, uulnera, uindictas, à uera iustitiæ uia deflexerunt. Oportet enim modis omnibus eum, qui uoluerit haberi Christianus, uel esse, pati, multasq; per afflictions tentari. Quod si noluerit, nihil arroget sibi nomen Christiani. Hæc S. Paulus docet in hoc duodecimo ad Romanos capite, & ad Christianum spectantia bona opera describit, nempe fidei fructus, charitate non ficta prouenientes. Per quos cognoscitur ac uera declaratur fides. Vtinam eius synceram doctrinam imis sensibus repositam, dignis operibus exprimere, & rebus ipsis ostendere possemus, tum proculdubiò præbituri essemus Deo rationalem hostiam, Deo acceptam. Quod ut faciamus, elargiatur nobis & adiuuet Iesus Christus, Dominus noster, Amen.

DOMINICA QVARTA post Epiphaniæ, Epist. Rom. XIII.

FRatres, Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legẽ expleuit. Siquidem illa, Non adulteraberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimoniũ dices, Nõ concupisces: et si quod aliud pręceptũ, in hoc sermone summatim comprehenditur, nempe, Diliges proximum

mum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximo malum non operatur. Consummatio itaq; legis est dilectio.

Quid S. Paulus in hac tradit Epistola?

Paucis uerbis complectitur omnes fidei fructus, eosq; una dilectione concludit, uolens ut omnes Christiani sic se se gerant erga quemlibet, ut nemo habeat occasionem conquerendi, uel accusandi. Dicit enim: Nemini quicquã debeatis, nisi hoc, ut inuicem diligatis.

Quid significant ea uerba?

Debeatis, inquit, non ut homines, sed ut Christiani, ut debitum uestrum è libera dilectione profluat, non ex coacta legis necessitate.

Quotuplex igitur est debitum?

Duplex. Vnum est quod legis naturam refert aut proprietatem habet. Quo fit ut debeamus hominib. & propter hoc ipsum homines ius in nos habeant, actionesq; instituant. Eius conditio requirit, ut reddamus magistratui quod debemus, nempe tributum, uectigal, obedientiam, & honores. Quamuis autem Christiani propter sese non debeant talia præstare, tamen oportebit eos, cũm in terris uiuant, debitis eiusmodi obnoxios esse, atq; reliquis similes fieri, ad communem Reipub. statum, atque pacem conseruandam. Sic ipse Christus staterarn dedit, Matth. 17.

Alterum,

Alterum est, quo se Christianus, cùm liber sit, alijs subijcit, atq; seruum facit omnibus. S. Paulus 1. Corin. 9. inquit: Cùm liber sim ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci, quò plures lucrifaciam: Factus sum Iudæis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrifaciam &c.

Præcipiturne per legem dilectio?

Præcipitur, Nam hoc loco dicit: Qui diligit alterum, legem expleuit.

Quomodo fit illud explere?

Quòd si pro charitatis ratione leges tractantur, & exiguntur pro dilectionis modulo, iam strictius, iam moderatius exercitæ, tum recto procedunt ordine. Nam totius legis summa, caput, ac finis est charitas, ex puro corde, ex conscientia bona, & fide non simulata, 1. Timot. 1. Atqui cùm leges contra charitatis officia detorquentur in rigidiorem usum, tum esse poterit nulla maior iniuria, nec in terris miserabilior calamitas. Etenim eo modo lex nihil aliud erit, quàm dira plaga, perniciesq; truculenta, ut ueteres bene dixerint: Summum ius, summa iniuria.

Poteruntne eius rei exempla dari?

Maximè, Cùm esuriisset Dauid & qui cum illo erant, intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, editq;, ac dedit etiam his qui secum erant, quos non licebat edere, nisi tantùm sacerdotibus, Luc. 6. 1. Regum 21. Quòd si Abimelech legis

rigorem secutus, renuisset Dauidi panes eos, quid aliud admisisset, quàm cædem homicida. Sed necessitatem respiciens, maluit ad charitatis officia, quàm ad legis duritiam deflectere.

Consimiliter Christus non solitus fuit considerare externam legis sanctificationem, aut ritus festos, sed ubicunq; necessitas atq; dilectio uidebantur requirere, legem soluit, atq; charitati subiecit. Hinc in die sabbati contractam mulierem sanauit, Lucæ 13. Et hydropicum, Lucæ 14. Et illum, qui triginta & octo annos morbo tenebatur, Ioan. 5. Et natum cæcum, Ioan. 9. Ergo quemadmodum Abimelech fecit cum panibus propositionis, & ipse Christus cum Sabbato, sic nos iuxta charitatis amorem aut necessitatem mitigare debemus & exigere leges omnes, quas oportebit charitati cedere, atq; adeò, ut si contra dilectionem fuerint, abrogandæ sint, ac è medio tollendæ.

Quid sanctus Paulus per ea uerba intelligit: Consummatio legis dilectio?

Hoc dicit: Charitas ita legem explet, ut ipsa sit legis impletio, Et fides legem explet, sed diuersa ratione. Lex enim per suum ipsius ministerium, fides autem per administratam perficiendi facultatem. Fides enim, ut S. Paulus ait, ad Gala. 5. per dilectionem operans ociosa non potest esse. Exempli gratia, Hydriam aqua replet, & pincerna replet.

plet. Aqua per se, pincerna autem per aquam. Simili modo Charitas legem explet, facit hoc idem fides, illa per se, haec autem per dilectionem, atq; spiritum sanctum. Pharisaei atq; iustitiarij credunt legi satisfactum, quum externis operibus ceremonias ac ritus illius Ecclesiasticos absoluerint, etiamsi charitatis aut in proximum officij nulla fuerit habita ratio: sed procul aberrant à scopo, Deus enim nulla uult opera, imò reijcit omnia eorum, quorum corda non fuerint repleta dilectione, & in proximum amore flagrante. Caeterùm ubi talis amor non fuerit, ibi fides erit ficta & fucata, legumq; diuinarum transgreßio scelerata. Contrà, ubi fuerit proximi dilectio non simulata, ibi omnia, quae Deo placent, fiunt spontaneis atq; uoluntarijs officijs: ibi quoque seruantur alterius Tabulae praecepta, cùm ipsa charitas prorsum mali nihil aduersus proximum operetur, sed non coacta faciat id, quod expectatum ab alio sibi fieri uelit.

Est igitur dilectio caput omnium legum atq; summa?

Maximè, Siquidem illa, ut S. Paulus ait, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, et si quod aliud praeceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur, nempe: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Quomodo hoc ipsum intelligendum?

In hoc praecepto quatuor uerba sunt, quae ostendunt quàm artificiosa ratione sit à Deo promulgatum.

Quodnam est primum uerbum?

Tu, pronomen, quod diligentis personam indicat. Tu, inquit, diliges. Quippe, Nemo legem Domini pro alio poterit explere, Quilibet suum portabit onus. Et ut Paulus, ad Gal. 6. inquit: Vnusquisq; propriam sarcinam baiulabit. Et 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisq; ea, quae fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum.

Quodnam secundum huius praecepti uerbum?

Diliges, Quo summum fidei commonstrat opus, uirtutemq; nobilißimam, nempe charitatem. Non autem dicit: proximum tuum pasces, potabis, uesties, &c. quae tamen pulcherrima sanctißimaq; sunt opera, sed ait: Diliges, quod uerbum uno tanquam fasce complectitur omnia. Est enim caput, fons, scaturigo, imò uirtutum omnium mater. Dilectio subministrat esurienti proximo cibum, potum sitienti suppeditat, nudo uestimenta donat, consolatur, & quacunq; tandem ratione potest, opitulatur. Dilectio se totam cum corpore & animo, cum omnibus uiribus, tum omnibus deniq; bonis externis ac internis tradit atq; dedit neceßitatibus & utilitatibus proximi, non respiciens siue is amicus sit, siue inimicus.

Tertium

Tertium.

Proximum tuum, Quo uerbo ostendit omnium charißimum, qui diligendus sit, amicum. Non autem dicit, Opulentum diliges, aut præpotentem, aut doctum, aut sanctum aliquem, sed proximum, nullo personarum delectu habito, uel respectu. Atqui fucatus amor, charitas simulata, uel mundana dilectio considerat & diligit illos, qui magni nominis sunt & autoritatis, & tamisper amat, dum utilitatis priuatæ spes, & lucri præmia refulserint, ijs igitur non apparentibus, euanescit omnis fauor. Quippe uulgus amicitias utilitate probat. Sed hoc præceptum requirit & exposcit liberam erga omnes dilectionem, non considerantem quales sint qui diliguntur, siue amici, siue inimici. Non enim priuatam sibi commoditatem quærit, aut diuitias, sed in alios eadem confert. Proinde omnium laboriosißima est charitas, cumprimis erga pauperes, egenos, peccatores, ægrotos, claudos, & cæcos. Hic ad iuuandum promptißima spaciosißimum inuenit campum, in quo dies & noctes uersari poterit, consolando, compatiendo, ferendo, ministrando, omnesq; denuq; beneficiorum copias explicando.

Ex prædictis intelligo, Reges & principes oportere quemlibet etiam mendicum diligere.

Maximè, Est enim Dei præceptum: Diliges pro-

ximum tuum sicut teipsum. Ergo requirente mandato diuino, Rex pauperem mendicum diligere debebit, eumq; suæ coronæ, totiq; regno præferre, imò si necessitas mendici postulauerit, pro eius salute uitam amittere. Quippe hoc ipsum ei debet, ut suo proximo. Quod coram Deo negare non potest, aut secus factum defendere.

Nobilissimum certè præceptum hoc est, quod homines tam dissimiles reddit pares.

Omnium profectò nobilissimum mandatum est, quod ipse Rex gloriæ, filius Dei Christus, non modò dedit, sed etiam expleuit. Etenim non pauperibus tantùm miserisq; peccatoribus inseruiuit, sed etiam pro ijs mortem subiuit, ut nemini Regum pudori debeat esse, pauperes diligere, & adiuuare. Quod S. Elizabetham fecisse legimus.

Quodnam est quartum præcepti maximi uerbum?

Sicut teipsum, Quo uerbo nobis proponit uerum atq; uiuum exemplum, nempe tuijpsius. Quod ipsum multò nobilius, multò clarius, multoq; manifestius, quàm omnia exempla sanctorum. Nam hi iam uita defuncti sunt, hoc autem præsens exemplum sine intermissione uiget atq; uiuit. Etenim quemlibet oportet confiteri, quàm ardente seipsum amore prosequatur, quantum pro suo corpore solicitus sit, quàm diligenter hoc ipsum curet ci-

bo,

bo, potu, uestimentis, & omnibus denique bonis subministrandis. Nunc *præsens hoc præceptum docet eadem proximo facienda, tantique putandũ corpus eius atque uitam, quanti tuam ipsius æstimas.*

Quænam est huius Epistolæ conclusio?

Dilectio, inquit, proximo malum non operatur. Consummatio itaque legis est dilectio. Hæc quidem paucißima uerba sunt, sed utinam ea sensibus insculpta bonis operibus exprimeremus: quod ipsum, si modò uoluerimus haberi uel esse Christiani, facere nos oportebit: Non facientes autem, pro Turcis & Ethnicis à Deo reputabimur. Sed ipsa charitas admodum inter Christianos est parua, & rara auis in terris, nigroque simillima cygno. Deus suam nobis det gratiam, & faciat ut in posterum illa magis atque magis apud nos crescat, & in cordibus nostris flagret ardentior, Amen.

DOMINICA QVINTA post Epiphaniæ, Epist. Coloss. III.

FRatres, Sitis induti tanquam electi Dei, sancti ac dilecti, uiscera miserationum, comitatem, modestiã, mansuetudinem, lenitatem: sufferentes uos inuicẽ, & condonantes uobis mutuò, si quis aduersus aliquem habuerit querelã, quemadmodum & Christus condonauit uo-

bis, ita & uos. Super omnia autem hæc, charitatem, quæ est uinculum perfectionis, et pax Dei palmam ferat in cordibus uestris, in quam & uocati estis in uno corpore, & grati sitis. Sermo Christi inhabitet in uobis opulentè cum omni sapientia. Doceteq; & commonete uos inuicem cantionibus, & laudibus, & cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde uestro Domino.

De quanam re præsens tractat Epistola?

De ueteris hominis, sceleratæ carnis, prauorumq; affectuum mortificatione.

Quanam in re carnis mortificatio consistit?

In duobus diuersis, sed necessarijs operibus, nempe in deponendo & assumendo, uel in exuendo & induendo.

Quid est deponere uel exuere?

Nihil aliud, quàm uestimenti pudere, nec in publicum præ pudore sese recipere, quemadmodum ille, qui uocatus ad nuptias non habuit uestem nuptialem, hoc est, non exuerat ueterem hominem, indutus nouum.

Quid est induere?

Nihil aliud est, quàm certam habere fiduciam, qua credimus omnia opera nostra Deo placere,

cere, poſtquàm nouum induerimus hominem.

Poteſtne huius rei exemplum dari?

Quemadmodum ad nuptias uocati, corpora noſtra nouis mundisq́; ueſtimentis exornare ſolemus, ut gratificaturi ſponſo atq; ſponſæ, collætari, cantare atq; ſaltare poßimus, ſcientes propterea nos uocatos, atq; ijs rebus gratam ſponſæ ſponſoq́; rem facturos: Ita nos Chriſtiani, qui gratia diuina ad uitam nouam accerſiti, debemus exuere ueterem, atq; nouum hominem induere, in Domino gaudere, atque indies in fide recta, bonisq́; operibus creſcere.

Quid abijcere debemus?

Deponite, inquit S. Paulus, omnia, iram, indignationem, malitiam, turpiloquentiam ab ore ueſtro. Ne mentiamini alius aduerſus alium, &c.

Quid ea uerba ſignificant?

Hoc eſt, ſi fuiſtis antea iracundi, malitioſi, maledici, turpiloqui & mendaces, iam ea crimina, ueteremq́; pellem atq; rancores exuite, homines noui facti, Sanctiores uobis ſint cogitationes, caſtiora uerba, & opera longè meliora. Eſtote comes, modeſti, probi, pij, ueraces, non ſitis impoſtores, proximum adducentes in periculum, uel damna, per impias ueſtras negotiationes, iudicia, menſuras, ponderationes, ulnas, literas, inſtrumenta, monetas, & reliqua. Breuiter, ueterem Adam cum omnibus ſuis iniquis operibus exuite, & nouum in-

duite, qui renouatur ad agnitionem & imaginem eius, qui condidit illum.

Quid est uetus homo?

Totus est homo carnalis, Adæ casu perditus, atque damnatus, omni uitiorum genere coopertus, in peccatis conceptus atq; natus, plenus malis affectibus & concupiscentijs, ex quibus mare (quod aiunt) malorum profluit, & exuberat intus atque forinsecus. Nam in pectore prædominantibus illis regnat incredulitas, impietas, idololatria, blasphemia, contemptus Dei, desperatio, & similia. Forinsecus exagitant corpora fastus, superbia, auaritia, immodestia, ira, furor, inobedientia, prædatio, latrocinia, cædes, et similia. Qui fructus sunt ueteris Adami atq; carnis, Christianis deponendi.

Quid est nouus homo?

Qui per aquam, & spiritum sanctum in fide atq; uerbo Dei natus est, ad ueram iustitiam, sanctitatem, atq; ueritatem, plenus bonis diuinis, refectus gratia, donisq; cœlestibus. Quæ redundant ubertim, ac erumpunt in sanctas cogitationes, pia uerba, & opera salutifera, in Christianam deniq; diuinæ conuersationis uitam, intus et extrinsecus, Intus in Dei laudem, gloriam, & gratiarum actionem. Extrinsecus in auxilia, præsidia, ministeria, atq; consolationes proximi. Qui fructus sunt hominis noui, quos induere debemus, & exercere frequenter & aßiduò.

Quid

Quid ira & indignatio?

Ira crimen horrendum est, unde promanant alia multa flagitia, nempe proximo mala imprecari, inclementer sæuire, maledicere, execrari, criminari, rixari, latrocinari, cædem facere. Quod teterrimum scelus hominem sic occæcat, ut quod bonum & æquum est non uidere, nedum possit internoscere. Quin diuinis omnibus bonis, gratia, donisq́; cœlestibus, hominem spoliat corporaliter simulac spiritualiter, tandemq́; perducit ad summū infortunium, perniciosum interitum.

Quid maledicentia?

Est turpissimus diuini nominis abusus. Ad sui nominis sancti laudem, gloriam, & gratiarum actionem Deus concedit loquelas, ora, labia, & linguas, grauiterq́; uetuit, ne diuinum nomen in uanum assumamus, neq; per maiestatem diuinam iuremus, maledicamus, et execremur. Væ igitur blasphemis, qui talia faciunt, quorum ora plena sunt maledictionibus, mendacijs, periurijs & execrationibus: quos Deus non relinquet impunitos, Exod. 29.

Quid turpiloquentia?

Turpiloquentia, est omnis sermo turpis, atque spurca uerba, quibus homines huius seculi carnales uti solent, in populi corona, conuiuijs, comessationibus, ludis, spectaculis. Quorum impuris facetijs offenduntur, commaculantur, & inficiuntur mulieres, uirgines, iuuenes, puellæ. Et iuuentus ad

deteriora proclimior, statim arripit peiora. Proin de monet Fabius, ut statim optima discantur, propterea quòd nihil hæret tenacius, quàm quod rudi bus annis percipitur. Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu. Quicquid autem puer in ætate tenera corruptus deliquerit, in senectute plectemur illi, qui malorum occasionem præbuerunt. Iis corruptoribus crudelia minatur Christus, Matth. 18.

Quid mendacium?

Mendacium est flagitium diabolicum, quia pro fectum est à Satana, qui pater eius est, Ioan. 8. Singulari autem odio mendacium prosequitur Deus. Hinc Salomon ait, Prouer. 12. Abominatio est Domino labia mendacia. Et Sapientiæ 1. Os quod mentitur, occidit animam. Quæcunq; dicit aut indicat homo uerbis, & operibus, signis, nutibus atq; gestibus, & in falso corde non sentit eadem, sunt omnia mendacia, Quorum in numero falsa dogmata, hypocritica adulatio, scripta, conciones, atque traditiones pseudochristianorum, sectarum atque schismaticorum, quia non cõueniunt cum Euangelio, sed diuinæ ueritati repugnant. Et in toto mundo crimen est pestilentissimum, quod fidem tollit, ac hominum corda prius consociata separat ac diffundit. Cordibus autem disiunctis atque dissectis, amicitia cadit peritq;. Amicitia sublata, nihil restat spei, nihil consilij, nihil auxilij. Cùm fides nulla fuerit

rit inter mercatores, tota negotiatio disperit. Cùm fœdus coniugale perfidia corruptum fuerit, dilabuntur discordia res omnes familiares. Cùm reges, principes, ciues, rustici, & nobiles literas atq; sigilla minimè seruantes, pacta resciderint, tota Respubl. uersabitur in periculo. Postremùm si mendacia conscenderint, & habuerint locum in dicasterijs, tum Satanas malorum (quod aiunt) mare profusurus erit. Quæ omnia tenebrarum atq; ueteris hominis opera nobis deponenda sunt, & arma lucis induenda.

Quibus nominibus appellantur noui hominis opera?

Sic ait S. Paulus: Sitis induti, tanquam electi Dei, sancti ac dilecti, uiscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem: sufferentes uos inuicem, & condonantes uobis mutuò, si quis aduersus aliquem habuerit querelam, quemadmodum Christus condonauit uobis, ita & uos. Super omnia autem hæc, charitatem, quæ est uinculum perfectionis, & pax Dei palmam ferat in cordibus uestris &c.

Quidnam Christianus induere debet?

Qui de mundo sunt homines, se uestibus elegantibus exornant, omnesq; cogitationes atq; sensus eò dirigunt, ut mundo placeant. Atqui ratione tali Christianus se non expolit: Nam eius ornamenta

non fluxa corporis, sed animæ sunt immortalia. Habentur autem duplicia, Quarum alterum Fides, alterum est charitas. Quemadmodum autem Christus duplici uestimenti genere fuit usus, nempe sutili, & inconsutili, Per hoc autem intelligitur inconcussa fides, Per illud charitas in proximum intensa. Sic nos Christiani per fidem Christum induere, eiq; inseparabiliter adhærere debemus, Deo placituri. Hinc S. Paulus, Roma. 13. Induamini Iesum Christum. Et pro tali indumento Psal. 131. orat, inquiens: Sacerdotes tui induantur iustitia, et sancti tui exultent. Deinde charitatis ornatum induere, ut interna iustitia, quam fides procreat, externæ, quam dilectio gignit, respondeat, præcipuè per miserationum uiscera.

Quid per uiscera miserationum intelligitur?

Preciosissimus hic est Christianorum thesaurus, qui magis illos decuerit, ac magis exornauerit, quàm omnes margaritæ, gemmæ, boloserica, uel aurum. Dicit ergo S. Paulus: Sitis misericordes, non modò per externam apparitionem, uel opera, sed ex intimis cordium medullis, imitati uerum amorē parentum, qui penitissimis animi recessibus, imisq; sensibus commouentur, cùm uiderint uel audierint necessitates, aut pericula liberorum, Quorum nomine quodlibet uitæ discrimen subire nō exhorrescunt, omnia quæcunq; habuerint facilè relicturi.

Quid

Quid est comitas?

Est amica atque gratiosa hominis conuersatio, & ciuilitas, qua se popularem atque benignum exhibet omnibus: qua neminem toruis oculis intuetur, nemini tragicè loquitur, neminem denique per Colophoniam (ut aiunt) ferociam profligat, sed omnibus ex aequo sese facilem et humanum praebet, bonamque cordis uoluntatem ostendit.

Quid est modestia uel humilitas?

Humilitas est uirtus, qua uerissima sui cognitione sibiipsi quilibet uilescit. Vel, est contemptus propriae excellentiae, Quae aliorum laudes magis praedicat, quàm proprias, Aliosque magnificit, etiam eos, qui non meruerunt, aut qui hostes sunt.

Quid mansuetudo?

Mansuetudo est depressio uel irae sedatio, qua mitis atque benignus homo non dicit conuitia, non execratur, non pulsat, neminem odio prosequitur, nec iniurias alicui infert, non etiam hosti. In summa, uirtus est, quae reluctatur irae, atque malum bono uincit.

Quid patientia?

Patientia est malorum uoluntaria & diuturna perpessio, qua toleranter iniurias sufferimus. Perseuerantia autem est in ratione bene considerata, stabilis & perpetua permansio, qua longanimis homo, non cogitat iniurias propulsare, nec alicui malum imprecatur, uindictae loco. Sed omnia boni

consulit.

consulit, æquo fert animo, & condonat omnia, imitatus exemplum Christi.

Cur S. Paulus appellat dilectionem charitatis uinculum?

Quoniam nos conseruat unanimes, facitq; concorditer idem sentiamus, imbutos eadem doctrina, atq; fide, nec facilè permittit, ut discordia sit inter nos, atque seditio, sed copula salutari corda constringit, redditq; sensum omnibus eundem, ac animum. Paria gignit corda, similemq; mentis affectum procreat inter pauperes & diuites, potentes & imbecilles, magistratum & subditos, ægrotos deniq; ac sanos. Et ut bona sua communia facit, sic aliorum mala non aliter accipit atq; dolet, quàm propria sua.

Cur S. Paulus Christianis precatur Dei pacem?

Non ignorabat hoc uinculum perfectionis, charitatem, multis persecutionibus obnoxiam fore. Ergo dicit: Pax Dei palmam ferat in cordibus uestris. Q. d. Quòd si pax mundi nulla futura erit, & uideritis omnia ad discordiam prolabi, tum uestra corda pacem Dei habeant, nullis externis impetibus ab Euangelico studio deterrita.

Quid est quod ait: Grati sitis?

Ingratitudo est crimen turpißimum. Ea est (ut ait S. Bernhardus super Cantica) hostis gratiæ, inimica salutis: quoniam nihil ita displicet Deo, quemadmo-

quemadmodum ingratitudo. Quòd si Persarum Ethnicorum gentes ingratitudinem rerum terrestrium odio tanto sunt persecuti, ut id teterrimum scelus gladio punijuerint, quantò grauius experiemur Deum nos uindicaturum, qui omnium ingratißimi sumus, beneficijs diuinis acceptis. Filium suum dilectum nobis dedit. Euangelicam ueritatem nobis aperuit. Qui fueramus iræ filij, nos adoptauit, Dei filios, æternorumq; bonorum hæredes fecit, hoc præsertim nouißimo tempore, quo nos humanæ traditiones ad deuia perditionis lustra pertraxerant, adeò ut in uiam salutis reuocati, meritò gratias æternas agere deberemus, imò ab ijs agendis nunquam desistere.

Quid est quod ait: Sermo Christi inhabitet in uobis opulentè, cum omni sapientia?

In hoc neruos, inquit, omnes intendite, atq; curate diligenter, ut Dei uerbum apud uos exuberans in aßiduo sit usu. Nam ubi uerbum diuinum est, ibi quilibet audit ea, quorum defectu laboret, & si modò curam salutis habet, cogitat de suscipienda melioris uitæ ratione. Sed tanta est hominum ingratitudo, ut in honorem uerbi nihil impendant. Proinde iam ipsum ferè cum suis prædicatoribus cogitur mendicare, & concionatores cum Leuitis sese recipere ad artes manuarias, unde uictum habere, uitamq; sustentare poßint. Olim certatim omnes

nnes immensam diuitiarum multitudinem, & bonorum (quod aiunt) Gorgona profundebant in fundanda templa, cœnobia, Missas atq; Vigilias: iam autem uix oboli tres numerantur ad conseruandum Verbi diuini ministerium.

Quid significat: Cum omni sapientia?

Verbum Dei sic apud nos tractari debet, ut ab auditoribus synceriter intellectum subministret sapientiam, ut ij, qui illud habuerint, sapienter loquãtur, canantq; gloriam Dei, intelligentes omnia, ad animæ salutem pertinentia.

Quid est, quod ait: Docete & commonete uos inuicem cantionibus & laudibus, & cantilenis spiritualibus?

Hoc loco S. Paulus officium docendi facit Christianis omnibus commune. Q. d. Docete atq; commonete uos inuicem, hoc est, alij alios instituite, & quilibet etiam seipsum, ut sic publicè atq; priuatim Verbi diuini gloria fulgeat, atq; celebretur psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus. Per psalmos peculiariter intelligit Psalmos Dauidis, Asaph, & reliquos. Per hymnos alias è scripturis depromptas cantiones sacras, ut cantica Mosi, Esaiæ, Danielis, & Abacuc: Item Benedictus, Magnificat, Nunc dimittis. Per cantiones spirituales accipe laudis omnia carmina, quæ in Dei gloriam canuntur,

tur, atq; indies componi possunt ab hominib. pijs. Et per hæc S. Paulus prohibet, dānatq; prophanas oēs & obscœnas cātilenas in mūdo cātari solitas.

Cur ait: Canentes in corde uestro Domino?

Omnes, inquit, uestræ cantiones, hymni, & gratiarum actiones proficisci debent ex intimis cordium penetralibus, penitißimoq; animorum affectu, ne uideatur hypocrisis, atq; adulatoria carmina, de quibus illud Esa. 29. dici poßit: Populus iste appropinquat ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me &c.

Quomodo S. Paulus hanc Epistolam concludit?

Et quicquid egeritis sermone, aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo, & Patri per illum &c. Hic S. Paulus nullum facit operum discrimen, sed uno ueluti constricta fasce, colligat omnia, confirmans esse bona, ut edere, bibere, dormire, uigilare, ire, stare, tacere, loqui, laborare, quiescere. Hæc, inquam, atq; consimilia omnia Christianorum opera bona & preciosa prædicat, ubicunq; tandem & quando fuerint peracta. Nam quæcunque ueri faciunt Christiani, ea omnia fiunt in nomine Domini Iesu Christi.

Quando fiunt opera nostra in nomine Domini?

Quum

Quum indubitata fide Christum in nobis credimus esse, & nos in illo, atq; adeò ut nos feriemur, quietiq; simus, & ille uiuat in nobis, atq; solus operetur. Hinc euenit ut Deum laudemus, atq; gratias agamus. Hoc uerum est, quod à nobis requirit Deus, sacrificium laudis, quo nullum melius, nec Deo acceptius præstare poterimus, non quidem per nos, sed per mediatorem nostrum Christum, sine quo nemo poterit ad Patrem uenire. Cui laus, honor, atq; gloria, in secula seculorum, Amen.

DOMINICA SEPTVAgesimæ, Epist. I. Corin. IX. & X.

FRatres, An nescitis, quòd qui in stadio currunt, omnes quidē currunt, sed unus accipit præmium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem qui certat, per omnia temperans est: illi quidem igitur, ut perituram coronam accipiant, nos autem ut æternam. Ego itaq; sic curro, ut non in incertum: sic pugilem ago, non uelut aërem feriens: uerùm subĳcio corpus meum, & in seruitutem redigo, ne quo modo fiat, ut cùm alĳs prædicarim, ipse reprobus efficiar. Nolim autem uos ignorare, fratres, quòd patres nostri omnes sub nube erant, & omnes per mare transierunt, & omnes in Mo-

sen

ſeu baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem comedebant, & omnes eundem potum ſpiritualem bibebant. Bibebant enim de ſpirituali, quæ illos comitabatur, petra: petra uerò fuit Chriſtus. Sed plures illorum non approbauit Deus: proſtrati enim ſunt in deſerto.

Quid in hac docetur Epiſtola?

Quomodo infirmi & imbecilles in fide tractandi ſint. Etenim confidentia tumeſcentes Chriſtiani admonentur, ut cùm ſtent ipſi, uideant ne cadãt. Cuius rei terribile proponitur exemplum, de ijs ſumptum, qui multi quidem currunt in ſtadio, atque complures in palæſtra pugiles certant, ſed pauci brauium, aut certaminis præmia conſequuntur, qui per omnia temperantes oſtenduntur, ut peritu ram coronam accipiant.

Quorſum ea tendit ſimilitudo?

Rerum nos duarum admonet. Principiò demonſtrat nos in graui periculo uerſari, qui deſides officio ſuo non reſpondent, nec ad quod uocati ſunt munere diligenter funguntur, ſed ignauia torpeſcentes omnia negligenter agunt. Deinde nos admonemur, ut in gratiam profectumq; infirmorum & imbecillium à multis, licet noſtri iuris ſint, aut arbitrij eſſe poßint, abſtineamus, ne in hoc ſeculo nos in fidei ſtadio curramus fruſtra, ſed æternam coro

tiam assequamur, ad metam feliciter peruenientes. Nam satis non est, in stadio currere, necesse est in cursu perseuerare, quemadmodum Christus ait, Mat. 24. Qui perseuerârit in finem, hic saluus erit.

Quidnam cursoribus aut pugilibus impedimento est, quò minus accipiant coronam?

Duo impediunt. Primò, quoniam desides atq; pigri sunt ad currendum. Deinde, quoniam aberrāt à scopo, metaq;, & obiter extra cursum alia præsumunt expedire. Sunt autem illi in cursu pigri, qui torpescunt in fide debiles, algent in charitate frigidi, trepidant in spe, trementesq; uacillant, nec cum Apostolis unquam feruenter orant, ut fides augeatur: scopum autem non attingunt hi, & aberrant à meta, qui omnia sua facta, conuersationes, opera atq; uitam non dirigunt nec instituunt iuxta Dei uerbum, nec permittunt Christum esse uiam ad cœlos ducentem, sed alias uias inueniunt, ac ingrediuntur. Illi autem extra Christum alia perficiunt, qui uocati, electiq; ad munus aliquod, & officium docendi, non satagunt rerum suarum, nec instituunt doctrina sana, nec promouent honesto uiuendi modo, sed ea negligunt, ac quærunt interim proprium honorem, gloriam, aut commodum, obliti mandatorum Dei, non curantes proximi utilitatem atq; profectū. Hi quidem in stadio currunt, aut pugnant, sed frustra, nullam accepturi coronam.

Opor-

Oportetne currentes in stadio coronam accipere?

Non satis est in stadio currere, aut in barena pugnare, aut è uallo multas sagittas, aut malleolos emittere, sed oportet quod petis attingere. Etenimqui non aberrat à scopo, sed attingit, coronam accipere solet. Ita non satis est dicere: Christianus uocor, Baptizatus sum, Audio uerbum Dei etc. Noui symbolum Apostolicum &c. sed dicere: Christianus sum, & renatus lauacro baptismatis, exui ueterem hominem, induiq; nouum: nec audio tantùm Dei uerbum, sed factis & operibus bonis exprimo. Non enim legis auditores salui fiunt, sed effectores. Hinc S. Iacobus cap. 1. Sitis, inquit, effectores sermonis, non auditores tantùm, fallentes uosmetipsos. Et Christus inquit: Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. Porrò si fides in corde fuerit, ea per opera bona debet conspicua fieri.

Suntne huius rei exempla, quæ poterimus imitari?

Maximè. S. Paulus seipsum exempli loco ponit, inquiens: Ego sic curro, ut non in incertum: sic pugilem ago, non uelut aërem feriens: uerùm subijcio corpus meum, & in seruitutem redigo, ne quo modo fiat, ut cùm alijs prædicârim, ipse reprobus efficiar. Q. d. Puram atque sanam à me doctrinam accepistis, eam adhuc mordicus teneo, atque

contendo ut incorrupta seruetur. Ad cuius præscriptum ita me geram, ut ei diuino documento mea uita respondeat, in hoc non facturus id, quod ij solent, qui feriunt aërem, sed ut ad præfixam metam strenuè magis enitar, ac laborabo ut auxiliante Deo, coronam æternæ uitæ consequar. Quid autem multa respondeam aduersarijs, uitam meam accusantibus, uelut ea dissentiat atq; discrepet à sermone meo? Verè possum affirmare, corpus meum à me subijci, & in seruitutem redigi, atq; adeò, ut in ueritate nemo crimen hoc mihi poßit obijcere. Scio quid deceat me, qui Verbi prædicatorem ago, quem sic oportet docere ac uiuere, ut mihi nemo dicere poßit illud: Medice, cura teipsum.

Ea certè præclara fiducia.

Quemadmodum S. Paulus doctrina atq; uita incorrupta confisus, sese Corinthijs exponit, et in exemplum præbet: sic omnes Verbi ministri, imò cuncti Christiani facere debent. Quod etiam Christus, Matth. 5. docet, inquiens: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum, qui in cœlis est. Quod si non fecerimus, eueniet nobis, quod in deserto Iudæis: quorum exemplo S. Paulus hîc est usus.

Quidnam Iudæis accidit?

Nolim, inquit, uos ignorare, fratres, quòd patres nostri omnes sub nube erant, & omnes per mare transierunt, & omnes in Mosen baptizati sunt

in

in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem comedebant, & omnes eundem potum spiritualẽ bibebant. Bibebant enim de spirituali, quæ illos comitabatur, petra: petra uerò fuit Christus.

Quid per ea uerba S. Paulus intelligit?

Per exemplum hoc horribile demonstrat, non omnes præmium consecuturos, qui propter illud currunt, spicula intorquent, aut certant. Non omnes item ad cœlos ascensuros, qui sese Christianos iactant. Numerus filiorum Israël, exceptis pueris atq; mulieribus, fuit circiter sexies centena millia, qui omnes in uia Dei atq; salutis stadio cucurrerunt, & sub nube ambulauerunt, quos per Mosen Deus ex Aegypto mirabiliter eduxit, è grauißima Pharaonis seruitute, in libertatem potenter asseruit, fortißima manu per mare rubrum traductos eripuit. Præceßit eos ad ostendendam uiam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris eius utroq; tempore. Quadraginta annos in deserto sustentauit eos manna, potauit eos aquis rupe productis. Et breuiter, uaria, magnaq; edidit signa atq; prodigia: sed tamen omnia fuerunt in populo tam numeroso perdita.

Sed hoc ipsum horribile simul ac miserabile exemplum.

Maximè: Considera quot in tanta multitudine, nempe sexies centenorum millium refulserint præ-

ſtantiſsimi uiri. Nónne clariſsimi prænituerunt duo, Moſes & Aaron, nónne duodecim tribuum Iſraël principes? Item illi ſeptuaginta, inter quos Moſi ſpiritus diſtributus fuit præcipuè, Eldad & Medad, aliiq́; celeberrimi uiri, qui Deo tabernaculum extruxerunt, atq; diuinum cultum inſtituerunt, maximis ingenijs, atq; ſapientia præditi. Item duodecim illi de ſingulis tribubus electi. Qui omnes incurrerunt quidem, ad terram promiſsionis contendentes, ſed duo tantùm peruenerunt, nempe Ioſua & Caleb. Reliqui omnes in deſerto perierunt.

Quidnam S. Paulus eodem horribili exemplo uoluit oſtendere?

In nos tranſtulit, dicens, ſcripta eſſe propter admonitionem noſtri. Proinde, inquit, qui ſibi uidetur ſtare, uideat ne cadat. Q. d. Quòd ſi Deus tot præſtantiſsimos uiros fruſtra currere permiſit à ſcopo præmioq́; repulſos, eos, inquam, qui in recta uia, Deiq́; palæſtra ſeſe fortiter exercuerunt, quid iam ijs boni ſperandum erit, qui nondum uiam Chriſti ſunt ingreſsi, ſed in deuijs ferarumq́; luſtris errantes, rectā ſalutis uiam relinquunt, & ſenticoſa propriarum, ultronea libidine ducti, ſequuntur opinionum ac inuentionum itinera. His omnibus certiſsima impendent pericula, Tandem enim in perditionis foueam cadent, aut ceruices præcipitati frangent. Nam ut Chriſtus ait, Ioan. 11. Si quis ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo.

Quænam

Quænam est causa, cur Iudæi aberrantes à scopo, non acceperint coronam?

S. Paulus tria peccatorum recenset genera, quæ currentes in stadio repulerint à meta. Primum est idololatria. De qua Exo. 32. *Fecerunt uitulum conflatilem, dicentes:* Hi *sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra* Aegypti. Ergo Domini *furor iratus, multos percußit, ut uno die ceciderint tria millia.*

Alterum scortatio, qua populus fornicatus cum filiabus Moab, Num. 25. *Dominus igitur excandescens, occidit uiginti quatuor millia hominum.*

Tertium peccatum, quo contra Deum *atq; Mosen murmurabant, & oppedebant, dicentes:* Cur *eduxisti nos de* Aegypto, *ut moreremur in deserto?* Deest *panis,* Non *sunt aquæ,* Anima *nostra iam nauseat super isto cibo leuißimo,* Nume. 21. Quam *obrem misit* Dominus *in populum ignitos serpentes, quorum plagis maxima Israëlitarum multitudo perijt.*

Inueniuntur ne talia peccata apud Christianos?

In tam frequenti & aßiduo sunt usu, ut metuendum ne non ad iram prouocent Deum, *eiusq; furorem iustum exasperent.* Quid *aliud est quàm mera idololatria, pro uero* Deo *alios mediatores quærere?* Loco *fidei, propriarum inuentionum ope-*

ra certatim exercere? Loco ueritatis mendacia prædicare? Vice præceptorum Christi, propriorum placitorum obseruare dogmata? Quadeniq; diuites suum iniquitatis mammona, Potentes dominationem suam, & eruditionem sapientiamq; Docti, pro Deo colunt & extollunt. Deinde quid aliud Clericorum quorundam, sacerdotum, atq; hypocritarum status atq; conditio, quàm mera fornicatio, externa simul ac interna? Forinsecus enim turpiter uiuunt, intrinsecus uerum suum sponsum Christum repudiantes, uerbumq; Dei reijcientes, suscipiunt hominum traditiones, doctrinam falsam, & Satanæ dogmata. Postmodò quid aliud cordium humanorum clamores & querimoniæ, quàm mera contra Deũ atq; uerbũ eius obmurmuratio. Quamuis enim fons & origo malorum, ut seditionum, bellorum, annonæ caritatis, pestilentiæ &c. profluat è peccatis nostris, tamen ingratißimi nos eadem omnia referimus accepta Euangelio, & adscribimus Verbo diuino, quod nostris attribuere flagitijs deberemus.

Quænam præcipuè discemus ex hac Epistola?

Tria potißimùm. Principio discemus nostram atq; Patrum fidem eandem esse rem, licet uerbum atq; signa fuerint diuersa. Deinde, quòd communiter Deus addiderit promißionibus suis externa signa, & per ea confirmauerit fidem, atq; communiuerit

uiuerit ipsam. Tertiò, quamuis fides in Christum sit spiritualis potus atq; cibus, tamen nihilominus externum bibere atq; manducare manent in Sacramento Corporis & Sanguinis Christi. Nihil enim uerba detrahunt ordinationi diuinæ & cœnæ Dominicæ, ad quam requiruntur bibere & manducare corporale, simul ac spirituale: illo corpus, hoc anima pascitur, & enutritur in uitam æternam, Amen.

DOMINICA SEXAGESIMÆ, Epist. II. Cor. XI & XII.

FRatres, Libenter suffertis insipientes, cùm sitis sapiētes. Suffertis enim si quis uos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, si quis attollit sese, si quis uos in faciem cædit. Iuxta contumeliam loquor, perinde quasi nos infirmi fuerimus. Imò in quocunq; audet aliquis (per insipientiam loquor) audeo & ego. Hebræi sunt, sum & ego: Israëlitæ sunt, sum & ego: semen Abrahæ sunt, sum & ego: ministri Christi sunt (desipiens loquor) excellentius sum ego: in laboribus copiosius, in uerberibus supra modū, in carceribus abundātius, in mortibus frequenter. A Iudæis, quinquies quadragenas plagas, una minus, accepi.

Ter uirgis cæſus fui, ſemel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi, in itineribus ſæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deſerto, periculis in mari, periculis inter falſos fratres, in labore & moleſtia, in uigilijs ſæpe, in fame & ſiti, in ieiunijs ſæpe, in frigore & nuditate, præter ea quæ extrinſecus accidunt, incumbens mihi quotidiana cura omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror? Si gloriari oporteat, de his quæ infirmitatis meę ſunt gloriabor. Deus et Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt laudandus in ſecula, nouit, quòd non mentiar. In Damaſci ciuitate gentis præfectus, nomine Aretæ regis excubias poſuerat in Damaſcenorum urbe, cupiens me comprehendere: ac per feneſtram in ſporta demiſſus fui per mœnia, effugiq; manus eius. Gloriari ſanè non expedit mihi: ueniam enim ad uiſiones & reuelationes Domini. Noui hominem in Chriſto, ante annos quatuordecim, an in corpore, neſcio, an extra corpus, neſcio, Deus nouit, raptũ huiuſmodi

modi in tertium usq; cœlum. Et scio huiusmodi hominem, an in corpore, uel extra corpus, nescio, Deus nouit, raptũ fuisse in Paradisum, & audisse arcana uerba, quæ fas non sit homini loqui. Super huiusmodi homine gloriabor, de meipso uerò non gloriabor, nisi super infirmitatibus meis. Nam si uoluero gloriari, non ero insipiens, ueritatem enim dicam: sed parco uobis, ne quis de me cogitet supra id quod uidet esse me, aut quod audit ex me. Et ne excellentia reuelationum supra modum efferrer, datus mihi fuit stimulus per carnem, nuncius Satanæ, ut me colaphis cæderet, ne supra modum efferrer. Super hoc ter Dominum rogaui, ut discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus mea per infirmitatem perficitur. Libentissimè igitur gloriabor potius super infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi.

Quid S. Paulus in hac efficit Epistola?

Apologetica utitur oratione, atque defensione, contra falsos Apostolos. Quandoquidem autem Corinthijs ostenderat, Pseudapostolos, doctoresq; falsos solere pijs imponere, & imperitos in fraudem

fraudem illicere per suas falsas gloriationes, monet ut eorum memores sibi caueant ab eiusmodi iactatorum uaniloquentia. Precatur etiam Corinthios, ut qui stultas falsorum Apostolorũ gloriationes sufferre potuerint, suam quoq; stultam iactantiam aequiore animo ferre, et si gloriatus fuerit, inde non uelint offendi. Quamuis inuitò faciat, tamen se ad gloriandum ueluti compulsum innuit, & ad stultitiam, licet non sua sponte, designandam. Se autem id facturum, ut falsis Apostolis obstructurus ora, gloriam Dei, suumq; Verbi ministerium ab illorum insultu defenderet.

Estne cuilibet concessa gloriatio?

Modum ponit S. Paulus, atq; metam praefigit ijs, qui gloriari uoluerint. Qui gloriatur, inquit, in Domino glorietur, 1. Corinth. 1. Et Deus inquit Hiere. 9. Non glorietur sapiens in sapientia sua: & non glorietur fortis in fortitudine sua: & non glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra. Quibus è uerbis duplicem gloriationem esse colligimus, Alteram diuinam, alteram humanam.

Quid est humana gloriatio?

Humana gloriatio est, qua homines gloriantur de suis diuitijs, potestate, honoribus, meritis, artibus, scientijs, operibus, atq; similibus. Haec momentanea

tanea finem breuiorē habet. Nam quale fundamentum est, tale etiam in eo structum ædificium, nempe ruinosum.

Quid gloriatio diuina?

Est uiua Christianorum confeßio, qua confirmant sese Deum habere propitium. Et ea gloriatio est laus atq; gratiarum actio præcipua, diuinæ bonitatis atq; beneficiorum. Est item singularis in afflictionibus & paßionibus omnibus consolatio, qua cor in spem summam erectum lætificatur, animus alacrior redditur, conscientia placata fit, & omnia denique nobis obstantia contemnuntur.

De quibus rebus Christiani debent gloriari?

Principiò de gratia Dei, qua possunt iactare se patrem in cœlis clementem habere, cuius adoptione gratiosa facti sint hæredes æterni regni, ad quod uocati, mero fauore atq; gratia diuina, non humanis meritis.

Deinde, de tribulationibus suis atq; paßionibus, in quibus habentur argumenta certa, signaq; beneuolentiæ diuinæ, fauoris, gratiæ, atq; misericordiæ. Hinc Galat. 5. Ego uerò absit ut glorier, nisi in cruce Domini &c.

Tertiò, gloriari possunt Christiani de ministerio suo uel officio, ad quod à Deo sint uocati, quemadmodum hoc loco facit S. Paulus.

Cur S. Paulus gloriatur?

Zelo-

Zelotypus sum, inquit, erga uos Dei zelo. Adiunxi enim uos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo: sed metuo ne quà fiat, ut quemadmodũ serpens Euam decepit uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate, quæ erat erga Christum. Nam uideo uos quoslibet citra delectum audire atq; suscipere, siue prædicent ueritatem, seu fabulas. Omnia uobis, modò noua sint, preciosa uidentur contemplor. Ergo si pseudapostolos sufferre potestis, & eorum audire commenta, quæ carnalia sunt, & me sufferetis, stultè gloriantem, sed interim uestræ saluti prospicientem.

Sed in mundo stulta res habetur gloriatio.

In mundo stulti reputantur iactatores gloriosi, quoniam propriæ laudis (quæ uulgò sordere dicitur) præcones. Hos & inuidia, quæ, iuxta prouerbium, iactantiæ comes est, sequitur. Hinc rectè Salomon, Prouer. 17. monet, inquiens: Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. Et Christus, Ioannis 8. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Sed quoniam pseudapostoli (inquit S. Paulus) ministri Satanæ transferentes in se personam angeli lucis, imperitos seducunt oratione fucata, dolosisq; persuasionibus euertunt, sua dogmata miris artibus extollentes, nostra autem deprimentes, ac reddentes odiosa despectaq; populo, nolens uolens cogor & ego facere quod

quod possum, atque gloriando stultitiæ specimen præbere.

Quomodo S Paulus in gloriando se gerit?

Vt maximi spiritus uir S. Paulus fuit, ita artificiosa gloriationis utitur ratione, qua pseudapostolorum fastuosam iactantiam deijcit, atq; proculcat. Non duris aut asperis uerbis eos aggreditur, sed insinuatione modesta ciuiliter adoritur. Se stultum simulat, & induto fatui cucullo stultioribus illis (ut dicitur) Corœbo uel Morycho, speculum sese proponit, in quo uideant ac considerent, quales sint, qui gloriari soleāt, hoc est, stultissimi. Q. d. Perpendite uos magni stultorū principes, & in me contemplemini, quàm contra decorum meum sit gloriari. Quemadmodum hoc mihi conuenit, sic uobis item competit: tametsi uobis præstem, & in hoc præcellam, quòd mea gloriatio uera, uestra autem sit falsa. Hoc præclarum est, uti argumento stultitiæ, ad aliorum exemplum & emendationem.

De quibus igitur S. Paulus in hac Epistola gloriatur?

De rebus sex. Primò gloriatur de molestijs suis atq; laboribus, nempe quòd multò plus quàm alij laborauerit in uinea Domini, prædicando, docendo, atq; peregrinando.

Secundò de cognitione & intelligentia diuinæ ueritatis.

ueritatis. Licet, inquit, imperitus sim sermone, non tamen scientia. Cuius rei testis est S. Petrus, qui ait: Dilectus frater noster Paulus, iuxta sibi datam sapientiam scripsit uobis, &c. 2. Pet. 3.

Tertiò gloriatur de continentia sua, longanimitate atq; patientia. Gratuitò, inquit, Euangelium uobis prædicaui. Et cùm apud uos essem, & egerē, nō onerosus fui cuiquā. In omnib. sic me seruaui, ne cui essem onerosus &c. Esurimus & sitimus, inquit, 1. Corin. 4. & nudi sumus, & incertis uagamur sedibus, & laboramus, proprijs operantes manibus &c.

Quartò de stemmate, Hebræi sunt, inquit, sum & ego: Israëlitæ sunt, sum & ego: Semen Abrahæ sunt, sum & ego. Q. d. In quibus pseudapostoli poterunt gloriari, & insolenter sese iactare, in ijsdem & ego gloriari possum, sed ea nihil conducunt ad animæ salutem. Nō enim faciunt apud Deū iustos, stemmata, sanguis, progenies, aut amicitiæ.

Quintò gloriatur de ministerio, cruce, atq; passione sua. Christi, inquit, ministri sunt (delirans loquor) excellentius sum ego, in laboribus copiosius, in uerberibus supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadraginta plagas, una minus, accepi: ter naufragium feci &c. Sed huius gloriationis pudet pseudapostolos, qui meram suis prædicationib. gloriā quærunt, honorem, pacem, & tranquillam uitam.

Sextò

Sextò gloriatur in uiſionibus atq; reuelationibus Domini. Noui, inquit, *hominem in Chriſto, ante annos quatuordecim, an in corpore, neſcio, an extra corpus, neſcio,* Deus *nouit, raptum huiuſmodi in tertium uſq; cœlum; & ſcio huiuſmodi hominem, an in corpore, an extra corpus, neſcio,* Deus *nouit, raptum fuiſſe in paradiſum, & audiſſe arcana uerba, quæ fas non ſit homini loqui.*

Quomodo contigit ea reuelatio?

Quandoquidem *ipſe qui fuit expertus,* S. Paulus *non indicat, quomodo res acciderit, imò dicit arcana eſſe, quæ fas non ſit homini loqui, uel quæ non poßit homo eloqui: & nos humiliari debemus, atq; confiteri nos ea neſcire.* Et *nihil eſt in eiuſmodi ignorantia periculi.* Nec *ideò gloriatur in ijs* S. Paulus, *ut nos eadem ſcire debeamus, ſed ut pſeudapoſtolis obturet ora, & ſuperbiam eorum compeſcat, ſimul indicet, quàm nullius momenti ſit illorum gloriatio, ad ſuam comparata.*

Quomodo concludit hanc S. Paulus Epiſtolam?

Ne, *inquit, excellentia reuelationum ſupra modum efferrer, datus mihi fuit ſtimulus per carnem, nuncius* Satanæ, *ut me colaphis cæderet, ne ſupra modum efferrer.* Q. d. Quemadmodum *collo canis alligatur baculus, equo frenum aut piſtomis iniicitur, ferreus annulus urſo per nares trahitur, & in os porco ſudes inſeritur, ne nimium currant, more*

deant, nimiumq; ferociant, sic Deus meo corpori stimulum apposuit, nempe secretas tentationes, atq; passiones, ne reuelationum excellentia supra modum efferrer. Super hoc ter, inquit, Dominum rogaui, ut discederet à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam uirtus mea per infirmitatem perficitur. Quibus ex uerbis intelligimus, ad quidnam prosint, atq; conducant tentationes, nempe, ut nobis occasionem præbeant, atq; causam inuocandi Deum, eumq; adiutorem in necessitatibus nostris implorandi. Quippe Christus in nobis potens esse non ualet, nec uerbum, neq; fides efficax, si corpus nostrum non infirmitate, nec tentationibus fuerit diuexatum. Dum humanæ uires, aut creaturarum auxilia uel consolationes nobis adsunt, non potest opus suum in nobis operari Deus. At si posthabitis omnium humanarum uirium præsidijs, nos Deo totos dediderimus, tum per diuinam operationem nostra imbecillitas augescit in æternam fortitudinem, nostra passio transferetur in sempiterna gaudia, & mors deniq; temporalis transmutabitur in æternam uitam, Amen.

DOMINICA QVINQVAgesimæ, Epist. I. Corinth. XIII.

FRatres, Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem nõ habeam, factus sum æs resonans, aut cym

balum

balum tinniens. Et ſi habeam propheti-
am, & nouerim myſteria omnia, omnēq;
ſcientiam: & ſi habeam omnem fidem,
adeò ut montes loco dimoueam, chari-
tatem autem non habeam, nihil ſum. Et
ſi inſumam in alimoniam pauperum o-
mnes facultates meas: & ſi tradā corpus
meum, ut comburar, charitatem autem
non habeam, nihil utilitatis capio. Chari
tas patiens eſt, benigna eſt: charitas non
inuidet: charitas non eſt procax, non in-
flatur, non eſt faſtidioſa, non quærit quę
ſua ſunt, non irritatur, non cogitat ma-
lum, nō gaudet de iniuſtitia, ſed congau
det ueritati, omnia ſuffert, omnia credit,
omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas
nunquam excidit, ſiue prophetiæ abole-
buntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcien-
tia abolebitur. Ex parte enim cognoſci-
mus, & ex parte prophetamus. Aſt ubi
uenerit quod perfectum eſt, tunc quod
ex parte eſt, abolebitur. Cùm eſſem pu-
er, ut puer loquebar, ut puer ſentiebam,
ut puer cogitabam: at ubi factus ſum uir,
aboleui puerilia. Cernimus enim nunc
per ſpeculum in ænigmate, tunc autem
facie ad faciem. Nunc cognoſco ex par-
te, tunc uerò cognoſcam quemadmodū

& cognitus sum. Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc: sed maxima in his charitas.

Quid S. Paulus in hac docet Epistola?

Quum in duodecimo capite præcedente uaria spiritualium donorũ officia recensuisset, paucißimosq; uideret, qui uerè atq; rectè donis illis uterentur, & eorum beneficijs proximo gratificarentur ac inseruirent, sed iniquis rationibus omnes adductos ad quærendam utilitatem propriam, honorem, atq; gloriam. Nunc igitur in hoc decimotertio capite tam grauiter ac seuerè charitatis opera docet, euehitq; tantis laudibus, ut ea supra fidem extulisse uideatur, imò parum in fide ponderis reliquisse. Fert item acerrimã in omnes homines sententiam, asserens eos nihil esse, nihil ualere prorsum, etiam præcellentes summa sapientia, diuinarum rerum cognitione, donorumq; cœlestium opulentia supereminentes, si non fuerint ijsdem usi ad aliorum utilitatem, atq; commoditatem proximi. In summa, confirmat omnia dona, quantumlibet excellentia, nullius esse precij, si non per charitatem ueram exercita fuerint, in rectum bonorum operum usum deducta.

Quo nomine S. Paulus appellat charitatem?

Viam excellentem uocat, eamq; mirabiliter extollit,

tollit, summisq; laudibus euehit, inquiens: Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens. Et si habeam prophetiam, & nouerim mysteria omnia, omnemq; scientiam: et habeam fidem, adeò ut montes loco dimoueam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si insumam in alimoniam pauperum omnes facultates meas: & si tradam corpus meum, ut comburar, charitatem autem non habeam, nihil utilitatis capio.

Quid est linguis loqui?

Nihil aliud, quàm Psalmos, Prophetas, adeoq; totam scripturam legere, canere, atq; dilucidis explicationibus interpretari.

Quid propherari?

Prophetiam habere nihil aliud est, quàm prædicare Dei uerbum, atq; hoc ipsum pro dignitate atq; ueritate tractare. Iam necesse est rem omnium excellentißimam esse charitatem, cùm quod in mundo sanctißimum est officium, pro nihilo reputatur à Paulo, si non fuerit è charitate profectum.

Quid est uerbi minister expers charitatis?

Est resonans æs, atq; cymbalum tinniens. Nam ut exiguam admodum utilitatem in Ecclesia fecerunt æra sonantia, cymbalorumq; tinnitus: ita parum promouent, nihil ædificant Verbi prædicato-

res, qui alieni à charitate quærunt priuatam gloriam, aut commoda, non ex intimo corde sitiunt proximi salutem. Auditorum quidem poterunt aures implere, sed parum emolumenti præbere.

Quid est omnia mysteria nosse?

Scripturam posse spiritualiter interpretari, & consentaneos atque salutares ex ueteris Testamenti figuris elicere atque proferre sensus, qui sacris literis conuenientes erudire poterunt, ac instituere populum.

Quid est, omnem scientiam nosse?

Est in rebus externis, ac in libertate Christiana sic gerere atque seruare sese, ne Deus ad iram prouocetur, nec offendatur proximus.

Quid, facultates omnes in alimoniam pauperum insumere?

Eximium proculdubiò, atque præclarum opus est eleemosynas præstare. De quibus ipse Christus ait: Date & dabitur uobis. Et de eleemosynis Cornelij legimus, quòd ascenderint in memoriam coram Deo, Actor. 10. ca. Et Iesus Syrach cap. 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Et Daniel. 4. Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Quamuis autem tam egregia passim dicamur de Eleemosynis, tamen à nobis tam seuerè Deus requirit amorem proximi, ut ea, quæ ipse præcipit, opera penitus reijciat, si non adiuncta charitas accesserit.

fesserit. Hæc etiam ad eum referuntur, qui suum corpus tradit, ut comburatur.

Hoc maximum charitatis præconium.

Nimirum. Quòd si damnandos omnes arguit S. Paulus, qui tot opera bona faciunt, & per propriorum corporum afflictiones tot pietatis exempla præbent, non habentes charitatem, Vbi tandem illi mansuri sunt, qui uitam suam omni turpitudine conspurcatam, odio, iraq; contaminatam exigunt? Cum anima simul ac corpore proculdubio damnabuntur. Nihil enim boni facere possunt, qui neq; fidem neq; charitatem habent. Iam qui utroq; carent, quid aliud præmij loco poterunt habere, quàm æternam damnationem? Cæterùm ubi fides est, ibi etiam charitas, & ex utroq; certa spes æternæ uitæ.

Estne uerum, quod Sophistæ dicunt, Fidem non sufficere ad delenda peccata, sed oportere eam, si modò iustificans esse debeat, exornari per charitatem?

Illi nesciunt à charitate iustificationem distinguere. Nam iustificatio per fidem prior est, atque præcedit charitatem. Et nemo ueram charitatem habet, nisi fuerit antea iustificatus per fidem. Nec pium iustumq; reddit charitas: sed is amat proximum, qui pius atq; iustus fuerit antea per fidem red

ditus.Est itaq; charitas fidei, spiritus, & iustitiæ fructus, & indiuidua comes, non uelut expolitio, uel emblema. Hinc ergo uera sequitur conclusio: Solam fidem iustificare. Ne autem nosipsos decipiamus, & falsa fide suffulti confidenter uiuamus, à nobis Deus exigit charitatem, eiusq; præcipit opera misericordiæ, quibus fidem ostendamus, ipsiq; reddamur certi ueram adesse fidem.

Quidnam est charitas, aut quænam eius natura?

Charitas est patiens, benigna, non inuidet: charitas non est procax, non inflatur, non est fastidiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, &c. Hoc loco S. Paulus *enumerat sedecim charitatis* proprietates, *è uera fide profluentes.*

Quænam prima?

Charitas, inquit, est patiens: non procliuis, nec præceps ad iram, impatientiam, uindictam, sed omnibus omnia condonat, atque suffert omnia patienter.

Secunda.

Est *benigna, neminem intuetur oculis taurinis, aut, quod aiunt, aspectu* Titanico, *neminem refugit, sed omnibus ex æquo se facilem, affabilem, & mitem exhibet, uerbis, gestibus, ac operibus suis omnibus.*

Tertia.

Charitas

Charitas non inuidet: neminem inuidioſa proſequitur odio, non carpit Zoili more, non piget alienæ ſortis, non ringitur, ſi meliorem aliorum fortunam aſpexerit.

Quarta.

Non eſt procax: non agit perperàm, non uallus (quod aiunt) uitem decipit, non tragulam inijcit, non in tranſennam inducit, Nemini ponit inſidias, ſed omnia facit iuſtè, & apertè, animoq; candido.

Quinta.

Non inflatur, non turget, nec tumet, ut inflata ueneno ſerpens.

Sexta.

Non eſt faſtidioſa, neminem contemnit, non irridet, non balatro ſuſpendens omnia naſo, nec uncis naribus indulgens.

Septima.

Non quæ ſua, ſed quæ proximi ſunt, quærit, nempe bona, commoditatem, honores, atq; tranquillitatem.

Octaua.

Non irritatur, ſed longanimis atq; manſueta ſuffert omnes moleſtias.

Nona.

Non cogitat malum, nullius bonam famam prauis figmentis atq; ſuſpicionibus doloſis contaminat, aut in periculum adducit, ſed omnia bonam in partem interpretatur.

Decima.

Non gaudet de iniustitia, quemadmodum Pharisæus ille de peccatrice uita publicani, sed compatitur, oratq; pro peccatoribus.

Vndecima.

Congaudet ueritati. Lætatur cùm omnia recto procedunt ordine: cùm ueritatis lux oritur, & occiduunt tenebræ atq; mendacia.

Duodecima.

Omnia suffert: omnia facilè decoquit, nullam dißidij quærit occasionem, nec aliquam aperit discordiæ fenestram.

Decimatertia.

Omnia credit: omnibus confidit, arbitrata sui similes omnes esse, hoc est, rectos, æquos, atq; iustos, permittit se ab omnibus pro arbitrio tractari, & tanquam stulta foret, patitur haberi se ludibrio.

Decimaquarta.

Omnia sperat: non metuit tesseram (ut aiunt) confractum iri, de nemine desperat, indies expectat meliora.

Decimaquinta.

Omnia sustinet, patitur omnia, quibuscunq; tandem fuerit affecta malis, animæ, corporis aut honoris. Nouit sibi nihil nocere posse, cùm habeat Dominũ protectorem, nempe Deum omnipotentem.

Decimasexta.

Nunquam excidit: non delassatur, non exolescit,

ſcit, manet æterna in futuro etiam ſeculo. Omnia ceſſabunt & abolebuntur dona, ut prophetiæ, linguæ, ſcientiæ, uerbi miniſteria, atq; cognitio Chriſtianæ libertatis. Sed charitas non ſolùm in hoc, ſed etiam in futuro permanebit ſeculo.

Eſt igitur eadem res, quam hic habemus, & poſt hanc uitam habebimus?

Nullum eſt diſcrimen eorum bonorum, quæ per fidem in hoc ſeculo credimus, & in futuro ſumus uiſuri. Non ipſa fides, ſed una cognitio facit diſcrimen. Non uidemus hîc Deum, ſed per fidem credimus. In futuro autem ſeculo non credemus, ſed coràm uidebimus: ibi uerbum & eius prædicatio ceſſabit. Hoc eſt quod dicit S. Paulus: Cernimus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Vbi uenerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt abolebitur.

Quomodo probat id S. Paulus?

Duobus utitur argumentis, à ſimili ductis. Alterum à pueritia ſua, alterum à ſpeculo mutuatus eſt. Q. d. Non aliter atq; pueri iam ludimus, & exercemur in fide. Contemplamur item modò ſpeculum, & in eo uidemus uelut in ænigmate Deũ: Atqui poſt hanc uitam aperientur oculi noſtri, ut clariſſimè poterimus facie ad faciem inſpicere.

Quomodo præſens Epiſtola concluditur?

Sic

Sic ait S. Paulus: Fides, spes, charitas. Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc, sed maxima in his charitas.

Constat igitur inde, maiorem fide charitatem esse?

Durationis, æternæq; permansionis ratione maior est fide charitas. Fides enim solummodò sese extendit atq; dirigit in Deum, sed charitas in Deum & omnes homines. Illa finem accipit, & in hoc seculo desinit, Hæc autem in hac uita sumit exordium, & permanet in æternum.

Atqui dignitatis & excellentiæ ratione, maior est fides quàm charitas. Nam fides apud Deum homines iustificat, & saluat. Hinc Abacuc 2. Iustus, inquit, ex fide uicturus est. Et ipse Paulus soli fidei attribuit iustificationem atq; saluationem. Eius autem fructum & asseclam charitatem esse confirmat. Hanc uerò supra fidem extulit in hoc capite, summisq; laudibus euexit, propter pseudapostolos & hypocritas. Qui cùm nullam in pectoribus haberent charitatis scintillam, tamen in fide solebant gloriari, uecorditerq; se fideles iactare. Deus omnipotens per gratiam suam nobis concedat, ut in utroq; nempe fide, atq; charitate, non futiles, nec uani gloriatores inueniamur, sed iusti, ueriq; possessores, Amen.

DOMINICA PRIMA
Quadragesimæ, Epist. II. Cor. VI.

Fratres,

FRatres, Adiuuantes obſecramus, ne in uacuum gratiam Dei receperitis. Dicit enim: In tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis ſuccurri tibi. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies ſalutis. Ne quam uſquam demus offenſionem, ne reprehendatur miniſterium: ſed in omnibus commendemus noſipſos, ut Dei miniſtri, in tolerantia multa, in afflictionibus, in neceſsitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in puritate, in ſcientia, in animi lenitate, in benignitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ſimulata, in ſermone ueritatis, in potentia Dei, per arma iuſtitię, dextra ac ſiniſtra, per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes: quaſi impoſtores, & tamen ueraces: quaſi ignoti, & tamen noti: quaſi morientes, & ecce uiuimus: quaſi correpti, & non occiſi: quaſi dolentes, ſemper tamen gaudentes: quaſi pauperes, multos tamen ditantes, ut nihil habentes, & tamen omnia poſsidentes.

Quid in hac Epiſtola docet S. Paulus?

Tria præcipuè tradit, Principiò laudat Verbi miniſterium,

ministerium, se, aliosq; Euangelij prædicatores appellando ministros Dei, & cooperatores Christi. Deinde cohortatur auditores, ne uerbum negligenter audiant, aut in uanum gratiam Dei recipiant. Tertiò ueros Christianos describit, uerumq; Dei cultum explicat, demonstrando quænã esse debeant Christianorum festiua & indumenta & arma.

Quomodo Verbi ministerium laudat?

In quinto capite præcedente sic ait: Nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo uos hortante per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo: eũ enim qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei per illum. Quibus ea, quæ sequuntur in hoc sexto capite, subiungit, inquiens: Quin & adiuuantes adhortamur &c. Sic autem 1. Corin. 3. Dei sumus cooperarij, Dei agricolatio, Dei ædificatio estis. Hoc est, nos per externum uerbi ministerium laboramus, & in uobis ædificium erigendo fatigamur doctrina, precibus, admonitionibus, & obsecrationibus instantes, sed Deus per suum spiritum internamq; gratiam dat benedictionem, & incrementum, ne externum Verbi ministerium frustra fiat, & in uacuum exeat, iuxta illud Esa. 55. Non reuertetur ad me uacuum. Deus est uerus architectus, qui primum lapidem ponens dirigit ædificium, atq; gubernat, concionatores autẽ coadiuuãt,

plan-

plantant, atq; rigant, sed Deus dat incrementum. 1. Corinth. 3.

Cur S. Paulus appellat Verbi concionatores cooperarios Christi?

Propterea facit, ne auditores Verbi, ministerium externamq; diuini sermonis prædicationem eleuent atque contemnant, tanquam eo non habeant opus, aut ipsi (quod nonnulli satis arroganter audent dicere) melius scire uisi, repudient. Quamuis autem Deus omnipotens omnes homines interna spiritus sancti potentia docere poßit, atq; saluare, citra prædicationem externam, non tamen id facere contendit, sed opus suum implere uult per suos cooperarios concionatores, atque Verbi doctores. Qui cùm id honoris habeant & officij, ut ministri Dei uocentur, atq; cooperarij Christi, nemo se tam doctum, tam sapientem, tam deniq; solertem reputare debet, ut uel infimi concionatoris prædicationem negligere, nedum contemnere præsumat, præcipuè cùm nesciat horam, qua Deus opus suum in ipso per concionatoris officium uelit perficere, atq; gratiam impertiri.

Estne periculosum, Dei uerbum ore concionatoris prolatum, negligere uel contemnere?

Periculosißimum est. Nam à Verbi ministro diuinus sermo prolatus, non est æterna doctrina, nec

nec semper durat, neq; permanet, sed quasi nimbus aut repentina pluuia, quæ demissa, citò præterit, & quod attingit, humectat, quod uerò non apprehendit, aridum relinquit. Et quæ decidit aqua non redit, nec perpetuò manet. Sic Euangelij *doctrina. Quemadmodum enim pluuia, quam terra uel sol lambit, subitò interit, ita repentè transit enũciatus* Dei *sermo. Quod experientia planum facit.* Nam *post homines natos, patrumq; memoriam in nullo terrarum orbis loco prædicatum* Euangeliũ *perpetuò purum & incorruptum permansisse uidemus, Quorum corda tetigit, salutis humorem attulisse, quos uerò non attigit, infelices reliquisse. Postquàm autem illi, qui synceriter prædicarunt, uita defuncti fuerunt, protinus quoq; fuit extincta lux, insecutæq; doctrinarum tenebræ.*

Suntne in promptu exempla?

Maximè. Post *defunctum* Mosen *atq;* Iosuam, *protinus filij* Israël *à doctrina sana deflexerunt, ad impiam desciscentes. Et cum* Iudice *uel* Rege *quolibet præceptorum diuinorum conseruatore uita defuncto, cecidit* Dei *uerbum. Quod perspicuè demonstrat* Iudicum *liber. Et* Saul *tantisper egit bene, dum uiueret* Samuel. *Et* Rex Ioas *tantisper iustitiam coluit, dum* Ioiada *summus sacerdos esset superstes: quo extincto, pietas etiam illius obtenebrata fuit.*

Sic post Apostolorum *tempora repletus fuit terrarum*

nerum orbis pſeudoprophetis, Hæreticis, ſectarum ſchiſmatumq; productoribus, quos ipſe Chriſtus, Paulus atq; Petrus uenturos prædixerant. Et poſt hæc tempora noſtra, non melior rerum in Germania ſtatus futurus eſt, quàm eorum fuit, qui poſt ſecula uenerant Apoſtolorum. Temporibus S. Pauli floruit Euangelium in Aſia, paßim floruit ubertim in Græcia, ſed hodie Satanas & Mahomet eadem occupant loca. Iam in Germania ueritas Euangelica caput exerit, potenter etiam uires explicat, ſed ingratitudo, contemptus & abuſus faciunt, ut diu manere non poßit. Proinde quilibet bene utatur oblata ſalutiferi temporis opportunitate. Quilibet dum meßis eſt, metat, dum ſol dat ſplendorem, colligat. Quilibet emat, dum feriæ durant, atq; nundinæ. Qui poterunt, ſeſe moueant impigrè. Etenim damnum ſentient, quibus obtorpuerint manus. Inedia contabeſcent, quibus deſidioſis inutiliter aurei lapſi fuerint anni. Poſt maximam iſtam rerum precioſiſsimarum, opumq; diuinarum abundantiam, maxima proculdubiò penuria ſequetur, ac teterrima fames.

Quomodo S. Paulus admonet Chriſtianos?

Adiuuantes, inquit, obſecramus, ne in uacuum gratiam Dei receperitis. Q. d. Cùm Deus eiuſmodi nobis dederit medium, per quod poterimus ad fidem peruenire, nempe per auditam Verbi prædi-

cationem, negligere nullo modo debemus, sed potius omnem mouere lapidē, ut libenter audiamus atq; custodiamus. Quòd si premente externa fame poterimus summo studio uitæ necessaria quærere, cur non magis currimus ad acquirendum animæ cibum, panem cœlestem, quod est Dei uerbū? Quòd si corporalibus in necessitatibus omnes poterimus sensuum neruos intendere, omnesq; animi uires in id expromere, ut mortale corpus enutriamus, quantò magis in rebus spiritualibus omnia rationis studia debemus ad ea dirigere, omniaq; media quærere, quibus anima pascatur, atq; conseruetur in æternum.

Quænam ea sunt media?

Sunt, audire uerbum Dei, atq; illud custodire, Luc. 11. illud uerum granum est, atque semen, per quod uera fides in auditorū corda uenit. Ea enim affert sanctum spiritum, quem credentes accipiunt, Ioan. 1. Qui iam ea media, uiasq; ad salutem negligit, ijsq; contemptis aliò digreditur, nunquā ad fidem ueram perueniet.

Quid significat, Dei gratiam in uanum recipere?

Est salutiferum Dei uerbum, atq; gratiam, in illo quæ offertur, audire, sed nullis bonis operibus exprimere. Nam qui non curat auditam Euangelij doctrinam, nec eius nomine solicitus est, in eadē uitæ turpitudine permanens, is audit frustra. Quē con-

contemptum non potest pati Deus, Iratus igitur auferre solet ab ingratis Euangelij splendorē, & contemptores in tenebris relinquere.

In promptu ne habentur exempla?

Qui uocati fuerunt ad nuptias filij Regis, ac nō uenerunt, sed alijs rebus impliciti neglexerunt, abierūtq; alius ad uillā, alius ad negotiationes suas. Iratus igitur Rex ait: Nemo uirorum illorum, qui uocati fuerunt, gustabit cœnam meam, Matth. 18. Lucæ 14. Numeri 14. Viuo ego, inquit Dominus, Omnes homines, qui uiderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerunt iam me per decem uices, nec obedierunt uoci meæ, non uidebunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Sic comminatur S. Paulus, & adhortatur seuerè, ut summa animi gratitudine Euangelium accipiamus. Quemadmodum & Christus, Ioan. 12. Ambulate donec lucem habetis, ne uos tenebræ occupent, Hoc est, ne in uanum gratiam Dei recipiamus, & quod adest acceptum tempus contemnamus.

Quodnam tempus acceptum, atq; dies salutis?

Est tempus Euangelij. Nam ubi prædicatur illud, ibi mera est gratia, & auxilium. Nulla prorsum adest ira, nec pœna, sed ubiq; misericordia, fœlicitas, atq; salus.

Quid est, quod ait: In tempore accepto exaudiui te?

Hoc est, in die salutis, quo Dei *uerbum prædicatur, omnem in te gratiam meam effudi.* Omni *te beneuolentia complector.* Quicquid *peticris, auferes.* Ne *te ipsum negligas.* Ne *sinas gratiæ tempus in uacuum præterlabi.* Ad *fores sto pulsans, clamansq́;:* Venite *ad me omnes, qui onerati estis, & ego refocillabo uos. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat,* Ioan.7.

Quid significat: In die salutis succurri tibi?

Hoc dicit: Fauorem *atq; gratiam meam erga te modò rebus ipsis confirmabo,* Iam *enim est gratiæ tempus, & dies auxilij.* In *hoc seculo tibi gratiam impertiar, in futuro conferam salutem æternam.* Quod *offertur igitur beneficij, ne modò negligas.* Quicunq; *enim in hoc tempore salutifero præterierit aut contempserit exundantem misericordiæ fontem, is in se transferet indignationis æternæ pœnas, & iræ diuinæ supplicia.*

Quid est quod ait: Ne quam usquàm demus offensionem?

Quandoquidem, *inquit, felix atq; salutiferum adest tempus, eo bene utamur, non in uacuum* Dei *gratiam recipientes.* Deinde *solerter prospiciamus, ne cui simus offendiculo, sed ita uiuamus, ne ministerium nostrum poßit reprehendi.*

Quisnam

Quisnam prohibere potest, ne uerbi ministerium reprehendatur, cùm Dei uerbum semper oporteat persecutionem pati?

Quòd Iudæi, Turcæ, ac Gentes, nostrum Euangelium reprehendunt, & offensi repudiant, ac propter ueritatem Euangelicam, uerumq; Sacramentorum usum nos hæreticos appellant, idipsum prohibere non possumus. Christus enim est signum, cui contradicetur, Lucæ 2. Hæc est offensio fidei, quæ suum habet progressum, non per nostram culpam, neq; uoluntatem procreata. Atqui sanctus Paulus ait, nemini dandum offendiculum, quod charitatis est, quo nostra turpißima uita, & peßimis exemplis offendimus Turcas, Iudæos, Ethnicos. Nam flagitiosa uiuendi ratione gloriam dei remoramur & impedimus apud aduersarios, qui dicunt: Quis persuasum habeat rectam atq; ueram esse fidem, & à Deo profectam religionem Christianorum, cùm ipsi adeò procaces, feri, crudeles atq; scelerati sint? Quis ad eorum Euangelium sese conuerterit, turpißimè uiuentium? Faciunt ita, ut Dei uerbum peßimè audiat, cogaturq; nostra scelera sufferre. Monet igitur ipse Christus, inquiens Matthei 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum, qui est in cœlis, &c.

Quid est quod ait: In omnibus commendemus nosipsos, ut Dei ministri, in tolerantia multa, in afflictionibus &c.

Hoc loco S. Paulus graphicè describit militem Christianum, indicatq; uerum Dei cultum, in quo Christianus exerceri debet, atq; frequenter inueniri, nempe in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in puritate, in scientia, in animi lenitate, in benignitate, in spiritu sancto, in charitate non simulata, in sermone ueritatis, in potentia Dei.

Faciuntne hæc opera bona Christianum, aut uerbi ministrum?

Non faciunt, sed ostendunt esse, & approbant à fructibus, signis, atq; testimonijs, Christianos ac Dei ministros esse: ut bona poma significant bonā arborem esse, quæ protulerit illa.

At crucem hîc nobis S. Paulus ante oculos ponit, Christianis ferendam. Nihil efficitur per ligneas, argenteas, uel aureas cruces. De ijs autem dicit, quibus Deo gratias agimus, Deum laudamus, ac glorificamus, Euangelium prædicamus, manū porrigimus proximo, & inseruimus, ueterem hominem carnificamus, & omnia deniq; crimina deuitamus.

Cur meminit armorum iustitiæ?

Quan-

Quandoquidem undiq; & ubiq; tentamur & affligimur, arma profert, quibus Christiani debẽt communiri.

Quisnam à latere sinistro tentat Christianos?

Inimici uituperant nos atque calumniantur. Accusant nos impietatis, appellant hæreticos, atq; maleficos, reos mortis. Nemo nobis patrocinatur. *A nobis omnes desciscunt, fugiunt omnes, nostriq; pudet.* Nos *interim nõ aliter habiti ac oues mactationi destinatæ.* Oportebit *igitur aduersum tales hostes armemur, atq; præmuniamur indumentis diuine potentiæ, firma fide, maxima uerbi diuini consolatione, & indubitata spe uitæ æternæ.*

Quisnam à dextra Christianos tentat?

Amici nostri, qui nomen nostrum celebrant atq; laudibus euehunt. Quemadmodum *enim Christianus hostes habet, sic etiam amicos, quorum præconijs attollitur.* Ad *quam tentationem supplantandam opus erit uera humilitate, extenuatione, atq; cognitione sui, ne laudatorum encomijs inflatus, cristas tollat, aliosq; fastidiat.* Ergo *siue laudibus celebremur, seu cõuitijs proscindamur, oportebit nos ad utrumq; præmunitos esse, ne per illud efferamur, per hoc autem prosternamur.*

Quænam huius Epistolæ summa?

Quæ Christo capiti nostro contigerunt in hoc

mundo, eadem omnis expectabit Christianus. Non enim est seruus Domino maior, nec magistro discipulus. Quemadmodum Satanas Christum in tentationem (ut hodiernum docet Euangelium) induxit, & insultauit, ita futurus omnis Christianus in periculo. Exemplũ igitur Christi nos imitati, gladium spiritus, qui est uerbum Dei, accipere debemus, in omni deprecatione: & assumere fidei scutum, quò poßimus omnia iacula mali illius ignita extinguere. In summa, quemadmodum Christus, Rex noster, in ferenda cruce, paßione, omnibusq; tentationibus præceßit: ita nos, ut milites atq; stipendiarij fideles subsequi debemus, iuxta illud S. Petri, 1. Petri 2. Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremur uestigia ipsius, qui peccatum non fecerat, nec inuentus est dolus in ore illius. Et S. Paulus, Roma. 8. Cum eo patimur, ut simul cum eo glorificemur, & ad uitam æternam conseruemur. Ad quam nos perducat Dominus noster Iesus Christus, Amen.

DOMINICA REMINISCERE. Epist. I. Thessal. IIII.

FRatres, Rogamus uos & adhortamur per Dominum Iesum, quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat uos uersari, & placere Deo, ut abundetis magis. Nostis enim quæ præcepta

cepta dederimns uobis per Dominum Iesum. Hæc enim est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisq; uestrum suum uas posside re, cum sanctificatione, & honore, non cum affectu concupiscentiæ: quemadmodum & gentes, quæ non nouerunt Deum. Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem suum, propterea quòd ultor est Dominus de omnibus his, quemadmodum & antè diximus uobis, ac testati sumus, Non enim uocauit nos Deus immunditiæ causa, sed ad sanctificationem.

Quid in hac Epistola S. Paulus tradit?

Duo facit: Rogat, & adhortatur.

Quomodo?

Fratres, inquit, rogamus & adhortamur per Dominum *Iesum, quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat uos uersari, & placere* Deo, *ut abundetis magis.*

Nónne præcipit, aut mandat?

Non facit quemadmodum Moses, ut seuerus legislator, qui pertinaciter instat, urget, premit: sed Euangelistæ, Apostoli, atq; Christi functus officio, rogat, deprecatur, & adhortatur. Nam Christiani liberi, sua sponte quod bonum est efficere debent,

non impulsi, nec coacti. Nec Deus uult coactos, sed uolentes. Inuitũ enim seruare quis uoluerit? Et qui coactè, nõ sua sponte Dei præcepta seruant, hypocritæ sunt, non ex animo quæ debent facientes, sed metu. Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ. Porrò coacta ministeria, quod uulgò dicunt, odio prosequitur Deus.

Quid S. Paulus rogat?

Vt in Euangelica ueritate, fide, atq; charitate, quemadmodum accepimus ab ipso, progrediamur, & abundemus magis, ut tandem perfecti reddamur, non ut sus ad luti uolutabrum reuertentes, Aegyptum respectemus, recidamusq; in pristinam idololatriam, quemadmodum Iudæi, à Pharaonis captiuitate liberati, sed strenuè faciamus progressus, ad terram promißionis acceleraturi.

Sed ad quidnam adhortatur?

Ad Euangelicæ ueritatis agnitionem, atq; sanctificationem, Dei uoluntate nos uocatos & assumptos, adhortatur, ut pietatem colamus, sanctiq; simus ac irreprehensibiles doctrina simul ac uita: ut sanctæ semper in nobis cogitationes sint, ac opera. Hæc enim est (inquit) uoluntas Dei, sanctificatio uestra. Et Romanos 12. Vt præbeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo, &c.

Estne adhortatio hæc necessaria?

Maximè: Cùm enim sine intermißione non admone

monemur per Dei uerbum, ac impellimur, facilè pigriores reddimur, faciliusq; deteriores, quàm meliores euadimus.

Quasnam res præcipuè S. Paulus ait nobis euitandas?

Duo potißimùm fugienda crimina monet. Affectum concupiscentiæ, & fraudem, iniuriamq; proximo factam. Quibus flagitijs totus iam mundus est coopertus.

Quænam prior est admonitio?

Hæc est, inquit, uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, et sciat unusquisque uestrũ suum uas poßidere cum sanctificatione & honore, non cum adfectu concupiscentiæ, quem admodum & Gentes, qui non nouerunt Deũ. Quibus uerbis S. Paulus adhortatur, ut omnem fugiamus immunditiam, scortationem, adulterium, & omne spurcitiæ genus: liberè pronuncians, omnes immundos & impuros homines, qui (tanquam bestiæ atq; sues in uolutabro cœni) iactantur in profundo libidinum atque uoluptatum obscœnarum, qui manifestis sceleribus atq; flagitijs absorpti uiuunt contra uoluntatem atq; præcepta Dei, contraq; omnem modestiam, & honestatem hominum, uiolant conspurcantq; matrimonij statum, quem Deus omnipotens sacrosanctum instituit in paradiso, multisq; miraculis atq; diuinis donis confirmauit, exornauitq;. Eos omnes, inquam, S. Paulus

asse-

asserit in maximo uersari periculo, quòd de omnibus istis ultor sit Dominus futurus. Etenim quia contra Dei uoluntatem quælibet in hoc seculo flagitia designant, & Deus in futuro contra eorum uoluntatem acturus, ipsosq; præcipitaturus in æternum ignem. Hinc 1. Corinthiorum 6. Neq; scortatores, inquit, neq; cultores simulachrorum, neque adulteri, neq; molles, neq; qui concumbunt cum masculis, neq; fures, neq; auari, neque ebriosi, neque maledici, neq; raptores, regni Dei hæreditatem accipient. Non enim uocauit nos Deus immunditiæ causa, sed ad sanctificationem. Proinde qui reijcit, non reijcit hominem, sed Deum, qui dedit spiritum suum in nos.

Quid hisce uerbis S. Paulus intelligit?

Mollibus & uoluptarijs illis atq; beluinis hominibus incutere metum, atque terrorem inferre contendit, ut perculsi metu cessent eiusmodi flagitia patrare. Nam omnino uult Deus, ut quilibet Christianus honestam & castam uitam agat, etiam in statu coniugali, ne corpus suum contaminet, atq; crassis immunditiæ peccatis inquinet, quemadmodum fecerunt ante diluuium homines spurci, atque Sodomitæ, & iam non pauci Romani atque Itali, plurimos immunda uiuendi ratione offendentes, in Ecclesiæ contemptum & offendiculum maximum. Quod ubi fit, ibi propè futura est Domini uindi-

ctæ,

cta,qui ait, 1.Samuel.2. Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Quænam sunt alterius admonitionis uerba?

Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem suum, propterea quòd ultor est Dominus de omnibus his. Quibus uerbis S. Paulus monet, ut caueamus ab omnibus dolis, fraudibus ac imposturis, quibus proximo damnum infertur: pronunciat item liberè fraudulentos omnes auaros, impostores, fœneratores, atq; similes, qui proximo fucum faciunt, expilant in omnibus negotiationibus, emungendo plus quàm æquum sit. Eos omnes, inquam, dicit in iram atque uindictam diuinam incidere, nullam habituros partem in regno cœlorum. Qui, inquit, opprimit atque fratrem suum fraudat in negotio, mensuris, ponderibus, ulnis, literis, sigillis, monetis, atq; similibus, de omnibus his ultor est futurus Dominus.

Quid per ea uerba S. Paulus efficere uoluit?

Auaros deterrere studuit à nimia habendi cupiditate, cùm Deus omnino requirat, ut quilibet Christianus agat cũ suo proximo synceriter, atq; iustè, non fraudet eum, nec decipiat, neq; damnum adulterinis mercibus, fœnore, aut sycophanticis artibus inferre præsumat, aut in laqueum (ut aiunt) inducere,

cere. Quod iam est apud homines in usu frequenti, cùm alios alij priuatæ commoditatis studio, circum ducunt, atque spoliant. Quæ sic parta bona reputantur apud Deum iniustæ diuitiæ, imò furta, atq; rapinæ. Fiunt enim omnia contra charitatem, amoremq; proximi. Item contra naturæ legem, & contra Euangelium Christi. Qui ait Matthæi 7. Omnia quæcunque uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis.

Quænam est summa prioris admonitionis S. Pauli?

Hæc dicit: Væ hominibus, qui extra matrimonium in affectu concupiscentiæ perdurantes spurcam & impuram ætatem exigere non cessant. Væ etiã coniugatis, qui matrimonij pacta rescindunt, atq; fidei tesseram confringentes, scortantur & adulteria committunt, plagiarij, raptoresq; hominum facti. Nam alij coniuges aliorum prædantur, furantur atq; rapiunt. Væ item illis, quorum consensu, auxilijs, consilijs, studijs, aut promotionibus eiusmodi crimina contingunt. Qui non prohibent, nec impediunt, sed ad ea conniuent, lucrum inde facientes, illorum consortes.

Quænam alterius admonitionis S. Pauli summa?

Hæc intelligit: Væ illis hominibus, qui peccant in fraternam charitatem, proximum decipiendo, fallendo, fraudando, siue sint Ecclesiastici negotiatores,

tores, seu mundani opifices, fabri, pistores, sutores, agricolæ, operarij uel mercenarij. Deus enim non inultos relinquet, sed in talibus flagitijs perseuerantes æternis supplicijs afficiet eos, qui proximo qualibuscunq; modis iniuriam faciunt, aut damnum inferunt. Proinde ualde prudenter uitam instituerent, si in omnibus causis, atq; negotijs sibi proponerent, & sensibus imis repositam imitarentur legem naturæ, legem Moysi, & Euangelium Christi. Quod si fieret, certè non opus esset in Christiana Republica externo iure, nec iudicibus, nec immensis tot Iurisperitorum uoluminibus. Omnes enim causæ, atq; controuersiæ facilè componerentur iuxta naturæ, Moysi & Euangelij præclara documenta. Et conscientia, quæ surdo, quemadmodum inquit Satyricus, uerbere solet cædere, dictaret unicuiq;, quid facere, & quid omittere deberet. Quibus ex rebus uerus Christianismus, uera in deum fides, ueraq; charitas, et amor proximi promanaturus esset, atq; tandem gratia diuina, clementia, misericordia, et æterna uita. Amen.

DOMINICA OCVLI.

Epist. Ad Ephesios V.

FRatres, Sitis imitatores Dei, tanquã filij dilecti, & ambuletis in dilectione, quemadmodum & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis

obla-

oblationem & uictimã Deo, in odorem bonæ fragrantiæ. Cæterùm scortatio, & omnis immunditia, aut auaritia, ne nomi netur quidem inter uos, sicut decet sanctos, aut obscœnitas, aut stultiloquium, aut urbanitas, quæ non conueniunt, sed magis gratiarum actio. Non hoc scitis, quòd omnis scortator, aut immundus, aut auarus, qui simulachrorum cultor, nõ habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. Ne quisquam uos decipiat inanibus sermonibus. Propter hęc enim uenire solet ira Dei in filios inobedientes. Ne sitis igitur consortes illorũ. Eratis enim quõdam tenebræ, nunc autẽ lux in Domino. Vt filij lucis ambulate. Nam fructus spiritus situs est in omni bonitate, & iustitia, et ueritate.

Quid in hac Epistola S. Paulus efficit?

Tres parænetica ad Christianos habet orationes.

Quęnam prima paręnesis?

Sitis, inquit, imitatores mei, tanquam filij dilecti, & ambuletis in dilectione, quemadmodum & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac uictimam Deo, *in odorem bonæ fragrantiæ. Quibus uerbis Ephesios, atque omnes*

mnes simul Christianos admonet S. Paulus, ut qui modò per diuinam gratiam adoptati, per regenerationis sacrosanctum lauacrum filij Dei facti, per fidem uerbo diuino conceptam iustificati, sancto denique promißionis spiritu, qui est arrabo æternæ hereditatis, obsignati, patrem Deum, ut obedientes filij per charitatē imitari non detrectent. Verbis autem ut omnium suauißimis, ita gratißimis utitur, appellans nos dilectos filios, ut ineffabili diuinæ dilectionis, quo nos pater cœlestis prosequitur, amore prouocemur ad illum mutuò redamandum.

Quomodo nos Deus pater dilexit?

Non uulgari amore, quo creaturas omnes diligit, omnes item homines, bonos & malos, super quos solem suum exoriri sinit, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. Sed amore singulari nos complectitur, quo sic nos dilexit, ut filium suū unigenitum pro nobis tradiderit, & per eum tot bona, corporalia simul ac spiritualia profuderit, ut maiora non dare, nec ampliora præstare poßit.

Cœlestis igitur pater amore mutuo diligendus erit?

Maximè. Sed quos homines flagrans ille diuinæ dilectionis ardor non accenderit, & quos tot bona Dei, totq; beneficia in nos collata non solicitauerint, commouerint, ac impulerint ad amorem

erga Deum mutuum, eos profectò legum praecepta, nedum coacta necessitas ad Deum redamandum nunquam prouocauerit, nec adegerit. Vulgò dicunt, Factitium atq; coactum amorem non diu duraturum.

Suntne eius rei exempla?

In Testamento ueteri, Deus uoluit Iudaeos per legem iustos reddere, sed fiebant deteriores. Fingebant quidem externo ritu, se Dei amatores esse, uerùm ab intimo corde non proficiscebatur amor, fuit enim mera simulatio & hypocrisis. Quod cùm Deus uideret, ac animaduerteret, legem, minas atq; terrores nihil prodesse, nihilq; iuuare, cõstituit aliam inire rationem, qua in amorem sui homines alliceret, ac inflammaret, singulari dulcedine, & ineffabili humanitate permollitos.

Quid igitur benignissimus pater cœlestis fecit?

Immensam cordis paterni misericordiam aperuit, & semel omnem effudit suã gratiam, clementiam, beneficia, & omnia deniq; miserationum suarum uiscera. Etenim de cœlis, quod charissimum, optimumq; habuit, nobis misit, nempe filium suum unigenitum, Hunc pro nobis tradidit, ac uoluit eum solũ, qui potuit, pro nobis satisfacere, legem implendo, pœnitentiam pro nobis agendo, iramq; Dei tollendo, 1. Ioan. 4. misit Deus filium suum propitiationem pro peccatis. Mortuus enim in cruce nos

preciosa

precioso sanguine suo purificauit, & ab omnibus delictis emundauit. Reconciliauit igitur nos patri, & per suam resurrectionem impetrauit nobis ac restituit innocentiam atq; iustitiam, aperuit oculos, atq; dedit uitam æternam.

Est igitur Christus oblatio beneplacita & accepta uictima Deo, in odorem bonæ fragrantiæ?

In Testamento ueteri sacrificia, holocausta, & uictimæ boum, uitulorum, caprarum, hircorum & agnorum plurimis laudibus refulgent, quòd accepta fuerint Deo propter fragrantiam odoris suauissimi, idq; non illorum nomine, sed propter futuram oblationem atq; uictimam, nempe Christum, cuius figuram atq; typum omnia gerunt illa ueteris Testamenti scriptis inclusa. Cùm igitur iam Christus uenit, omnia illa sunt è medio sublata, nec ullum amplius quid ponderis habent. Nullam ergo iam nouerunt hostiam aliam Christiani, quàm eam, de qua S. Paulus Roma. 12. dicit, inquiens: Obsecro uos, ut præbeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptamq; Deo, &c.

Quænam secunda parænesis?

Scortatio, & omnis immunditia, aut auaritia, ne nominetur quidem inter uos, sicut sanctos decet. Quibus uerbis S. Paulus admonet nos, ut abstineamus ab omni carnis spurcitia, & affectu concupiscentiæ, ac libidinis, quæ fit extra matrimoni-

um. Propter quæ peccata Deus olim totum mundū diluuio perdidit. Et pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem de cœlo, & subuertit eas ciuitates, Gene. 19. Et in deserto iußit occidi uigintiquatuor Iudæorum millia, Numeri 25. Quæ exempla satis indicant ac testantur, quàm iniquus, & infensus sit illis flagitijs Deus. Hæc etiā certißima causa est, cur in exercitibus & Christianorum & Turcarum tot hominum millia crudeliter intereant, quòd in libidinis omne genus stuantes, turpißima designent immunditiæ crimina. Et quid aliud Epicureos quosdam indurat, & occæcat adeò, ut Euangelicam ueritatem non possint aspicere, imò prosequantur eam odio, quàm q; immunditia prorsum absorpti sunt. Quamuis autem ipsos propria accuset conscientia, testeturq; eos probrosa Ecclesiæ offendicula esse: tamen crimina sua non aliter atq; honesta opera defendere præsumunt. Quod propositum nihil boni poterit insequi.

Quid est auaritia?

Auaritia est inordinatus amor habendi. Quæ ut deficit in dando, sic superabundat in amando, retinendo, & acquirendo pecuniam, aut quaslibet res alias, ut alimenta, uestes, agros, prædia, armenta &c. Semper in augenda festinat, & obruitur se, Nunquam exaturatur. Neminem reueretur aut metuit, fidem nemini seruat, omnia iustitiæ iu-

ra uiolat, opprimit uiduas, contristat orphanos atq; pupillos. Auarus est regionum calamitas, ciuitatum pernities, & omnium hominum uiuentium plaga. Quod crimē S. Paulus infensius odit, uocans id Idololatriā, & idololatras obnoxios auaritiæ. Nam in quo confidit homo, id eius est idolum. Qui spem omnem ponit, ac fiduciam habet in pecunijs, atq; diuitijs, is ea bona tanquā Deū obseruat, adorat, & ex eo iniquitatis mammona totus corpore simul ac animo pendet. Hinc Christus Matthæi 6. Vbi thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Tantisper credunt auari, dum in granario plurimum habent frumenti, dum magnus in apotheca numerus est uini, plenaq́; Erychthæis turgescit uulgula numis. Sed quales hi ducendi sunt, non certè Christiani fideles, sed frumento, uino, pecunijs confidentes, atq; mammonæ soli credentes, De quibus Christus, Lucæ 6. dicit exclamando: Væ uobis diuitibus, qui habetis consolationem uestram. Væ & uobis qui saturati estis, quia esurietis. Et S. Paulus 1. Timoth. 6. Qui uolunt ditescere, incidunt in tētationem, & laqueum, & cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum.

Quænam tertia parænesis?

Obscœnitas absit, aut stultiloquium, aut urbanitas, quæ non conueniunt, sed magis gratiarum actio. Quibus uerbis S. Paulus monet, ut deuitemus

omnem occasionem, quæ nos prouocare poßit ad impudicitiam, ac omne genus obscœnarum facetiarum.

Quid est obscœnitas?

Sunt omnia uerba turpia, atq; fœda, quæ in hominum consessu prolata alios offendunt, contaminant, ac inficiunt, quemadmodum S. Paulus inquit: Bonos mores corrumpunt colloquia praua.

Quid stultiloquium?

Sunt aniles fabulæ, atq; figmenta, quæ mulieres atq; puellæ nentes solent effutire. Item rythmi, atq; dicteria scurrilia, quæ circulatores atq; parasiti solent ad magnorum heroum mensas recitare. Item camilenæ futiles, atq; libelli famosi, in alios effusi, nihil utilitatis afferentes, Item inanes historiæ de Marcolfo & Eulenspiegel. Item exempla nocturnorum lemurum, de purgatorio atq; peregrinationibus instituendis. Item omnia colloquia leuia, & superuacui sermones, quibus inutiliter preciosum tempus disperditur.

Quid urbanitas?

Sunt omnes ludicræ atq; leues facetiæ, quibus homines huius seculi solent uti in nuptijs, puerperijs, atq; conuiualibus conuentibus, exhilarandi conuiuas studio. Quæ si breues fuerint, & apophthegmatis gratiam habuerint, non multum inferunt incommodi, maximè si pueris non fuerint offendiculo, quibus parcendum esse monent etiam

Ethnici poëtæ. Hinc illud: Ne *tu pueri contempſeris annos. Sed admodum graue & aſperum in Chriſtianos dictum prolatum eſt. Matth.* 12. *ubi Chriſtus ait:* Dico *uobis, quòd de quocunq; uerbo ocioſo, quod locuti fuerint homines, reddituri ſunt rationem in die iudicij.*

Quomodo S. Paulus hanc concludit Epiſtolam?

Ne *quiſquam, inquit, uos decipiat inanibus ſermonibus: propter hæc enim uenire ſolet ira* Dei *in filios inobedientes. Ne ſitis igitur conſortes eorum.* Eratis *enim quondam tenebræ, nunc autem lux in* Domino. *Vt filij lucis ambulate.*

Quinam dicuntur inanes ſermones?

Sunt ea futilia dicta, quæ peccatis prætexuntur: ut cùm iuuentuti perſuadetur, non magnum eſſe peccatum impudicitiam atq; ſcortationes, tolerabilia fragilitatis humanæ uitia, quemadmodum falſi concionatores prædicant, naturalia eſſe. Neminem *ſeſe apprehenſo cœlo ſuffulcire poſſe.* Idem *in uulgus ſpargunt. Magnis curis, & amore habendi diuitias acquirere, per uarias artes atq; doloſum aſtum, non eſſe peccata, ſed euidentia induſtriæ atq; prouidentiæ domeſticæ argumenta. Sed inſpiratores iſti naturam referunt ſerpentis infernalis,* Qui *ſtrenuè regnum domini ſui Satanæ adaugent, criminibus patrocinando, atq; flagitioſa*

facinora promouendo, regnum autem Christi deuastando, atq; eius diuina mandata proculcando. Sed accepturi sunt mercedem, quam omnes impij consecuti sunt Hypocritæ.

Quid est, quòd ait: Ne sitis consortes illorum?

Hoc dicit: Quòd si peccatis uixistis, iam resipiscite, atq; pœnitentiam agentes uiuite Christo. Quòd si aliquando errastis, et ambulastis in tenebris, in uitam redite, ad lucem Euangelicã uos recipite, atq; gratias agite misericordi Deo, quòd ex densißima incredulitatis caligine, atq; peccatorum tenebris misericorditer uos eripuerit, atq; mirabiliter ab horrendis errorum seductionib. liberatos transtulerit in euangelicam lucem. Ergo iam fide purificati fugite atq; cauete falsam doctrinam, atq; mendacia, omniaq; carnis opera, quæ sunt ira, lites, concertationes, odia, furtum, rapina, criminatio, execratio, usura, scortatio, immunditia, obscœnitas, stultiloquium, scurrilitas, & praua colloquia, quæ nihil in uobis efficiunt boni, sed corpus & animam perdũt. Contrà spiritus amplectimini fructus, qui sunt benignitas, bonitas, pax, ueritas, amicitia, mansuetudo, temperantia, misericordia. Quod si feceritis, aderit uobis ut filijs suis dilectis ipse pater æternus, atq; uos ab omni malo liberabit, daturus omnem gratiam, benedictionem, & tandem post hanc uitam æterni regni gaudia, Amen.

DOMI-

DOMINICA LAETARE.

Epistola, Galat. IIII.

FRatres, Dicite mihi qui sub lege uultis esse, legem ipsam non auditis? Scriptum est enim, quòd Abraham duos filios habebat, unum ex ancilla, & unum ex libera. Verùm is qui ex ancilla natus est, secundum carnem natus est: qui uerò ex libera, per repromissionem. Quæ per allegoriam dicuntur. Nam hæc sunt duo Testamenta: unum quidem à monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar. Nam Agar Sina mons est in Arabia, con finis est autem ei, quæ nunc uocatur Hierusalem: seruit autem cum filijs suis. At quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrûm. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quoniam multi liberi desertæ, magis quàm eius quæ habet uirum. Non autem fratres, secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quemadmodum tunc is, qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum, qui natus erat secundum spiritum, ita & nunc. At quid dicit scriptura? Ejce ancillam & filium illius. Nõ enim hæres erit filius ancillæ cum filio

liberæ. Ita fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ.

Quid S. Paulus in hac docet Epistola?

Ex ueteri Testamento producit historiam, Gene. 16. de Abraham, atq; duabus eius uxoribus, Sara & Agar: de duobus item filijs, Isaac & Ismaël. Quibus ostendit Legis ac Euangelij discrimen, imò differentiam inter filios promißionis, ac eos, qui secundum carnem nati sunt. Agar ancilla fuit, Sara domina. Hæc nouit à Deo promissam Abrahæ benedictionem, ac hæredem, cuius se matrem longo tempore optauerat futuram, sed sterilis fuit. Dedit ergo Abrahæ marito uxorem ancillam Agar, ut ex illa filios consecuta, promissum semen adipisceretur.

Quid accidit?

Agar peperit filium, & uocauit nomen eius Ismaël: Cùm autem dominam suam Saram haberet despicatui, dixit Deus Abrahæ: Ecce Sara uxor tua filium tibi pariet, & uocabis nomen eius Isaac. Quod ita contigit. Et Isaac & Ismaël Abrahæ filij, sed non hæres uterq;.

Cur non hæredes ambo? Quid in causa?

Ismaël secundum carnem ex Agar ancilla natus fuit, sine uerbo Dei, atq; promißione. Isaac autem ex libera per diuinam promißionem. Ismaël

solùm

solùm ex Agar natus fuit, instinctu Saræ. Qua in re non Dei uerbum erat, nec promißio. Sed Isaac ex Sara, uera matre libera, procreatus per Dei uerbum, atq; promißionem, ut dictum est. Ergo non omnes Abrahæ sunt filij, qui semen Abrahæ sunt, Rom. 9. Et Christus Iudæis obijcit, inquiens: Vos non filij Abrahæ, sed ex patre diabolo estis.

Quomodo S. Paulus hanc interpretatur historiam?

Abraham duos (inquit) filios habebat: Vnum ex Agar ancilla, & unum ex libera Sara. Per illos intelliguntur duo populi: per has Vetus atq; Nouum testamentum. Ait autem illud, nempe Legem Mosi datam in monte Sina, quem Arabes & Aegyptij Agar appellant, hoc est, ancillam. Elegit enim sibi proprium populum, nempe Iudæos, qui quoniam carnales, præfracti, atq; contumaces erant, Lege Mosi constringebantur, & ut Asini fustibus adacti, impellebantur. Quamuis autem eorum natura quasi furca expelleretur, tamen usq; recurrit. Atqui nouum Testamentum, hoc est, Euangelium Christi, datum est Hierosolymæ, in monte Sion. Vnde per Apostolorum conciones profluxit & exiuit in omnem terrarum orbem, quemadmodum Esaias inquit, ca. 2. Quia de Sion exibit Lex, & uerbum Domini de Hierusalem.

Quænam differentia ueteris & noui Testamenti? Et quod discrimen Legis & Euangelij?

Lex

Lex detegit peccatores, scelera demonstrat, efficitq; filios iræ, mortis & inferni: redigit item in seruitutem, mercenarios reddit, hypocritas, atque iustitiarios. Qui non hæredes sunt, sed eijciuntur è domo. Atqui Euangeliũ iustos efficit homines, filios gratiæ & uitæ, procreat ueros Christianos, electos Dei filios, qui manẽt hæredes in domo.

Quid utilitatis in Ecclesia Lex affert?

Lex speculum est humanæ uitæ, in quo contemplamur quæ desiderentur in nobis. Videmus quænam agere, & quæ debeamus omittere. Sed in hoc non perdurabimus, neque perpetuò hærebimus. Quàm primùm enim ad peccatorum nostrorum agnitionem peruenerimus, statim per fidem assumemus Euangelium, in quo nobis per Dei filium Christum promissa est gratia, saluatio, remißio peccatorum, & æterna uita.

Quid S. Paulus ex hac historia Galatis præcipuè notandum proponit?

Sic ait: Insipienter agitis, ô Galatæ. Nam exempla Patrum imitati meritò deberetis è deserto, & de monte Sinai Hierosolymam proficisci, ex Iudæis Christiani facti iam. Vos econtrà Hierosolymam relinquitis, & in desertum proficiscimini, ex Christianis Iudæi redditi. Per fidem fueratis facti filij Dei, atq; Euangelium susceperatis: sed eo misso facto

cto serui Mosis redditi estis, & posthabita libertate euangelica, resiluistis ad Iudaismum atq; legis seruitutem. Quod est iniquum, & peruersum. Rectus autem est ordo, uel, ut dicitur, processus, ut primùm uos cognoscatis, iuxta illud uulgare dictum: γνῶθι σεαυτὸν: *Deinde, ut cognoscatis Christum. Hoc docet Euangelium, Hæc uera in coelum uia, quam qui peruertit, omnia confundit, ac ordinationi diuinæ resistit.*

Quosnam significant Ismaël & Isaac?

Ismaël iustitiarios & hypocritas designat, sed Isaac denotat ueros Christianos. Sed Ismaël unà cum matre domo eijcitur. Tollens enim Abraham panem & utrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradiditq; puerum, & dimisit eam, Gene. 21. Atqui Isaac filius dilectus in domo permanet hæres. Iustitiarij & hypocritæ sunt hospites in domo Dei, quicquid faciunt, id operantur, ut mercenaria mancipia, & ut conducti serui, qui comendum cum Deo permutare, reddere opus pro opere, atq; beneficia pensare beneficijs, ut nihil gratuitò fiat. Ergo digna retaliatione Deus ijs retribuit egregiè, honorē huius mundi, potestates atq; diuitias, ut Iudæis donauit Canaan lacte atq; melle fluentem. Et Christus Matth. 6. de Pharisæis & Hypocritis, qui sæpius ieiunabant, longas orationes habebant, & eleemosynas præstabant, Amen, inquit, dico, habent mercedem

cedem ſuam. Atqui ueris Chriſtianis qui nullo metu coacti, nulla emolumenti ſpe producti, nullaq́; ratione mercedis impulſi faciunt quod bonos Chriſtianos decet, ac ut obedientes filij ſuam patriæ cœleſtis hæreditatem, Chriſtiq́; regnum pro uirili parte promouent, augent, & ædificant: ijs, inquam, Chriſtianis Deus elargitur & huius ſeculi, & æternæ uitæ ſatis amplas facultates, ut pijs Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, atq; credentibus donauit, & adhuc hodie donat.

Quid ſignificat Iſmael?

Iſmaël dicitur auditor Dei. Quo nomine tituloq́; gloriantur omnes Iuſtitiarij & Hypocritæ, Qui ſolos ſeſe uenditant, atq; prædicant auditores Dei, & imitatores Chriſti, imò ſeſe iactitant Eccleſiam, Chriſtianorum capita, Vicarios Chriſti & Apoſtolorum. Adſcribunt ergo ſibi omnem poteſtatem in cœlis & in terris, perſuadent ſeſe non poſſe errare, Se ſpiritu ſancto duci, gubernariq́;, imò iuramento confirmarent, ſeſe in gremio Chriſti, aut pectore quieſcere, adeò ſe pios, iuſtos, atq; ſanctos exiſtimant. Alios igitur homines omnes, qui non eorum ſimiles ſunt, nec ijſdem doctrinis inhærent, neq; diabolicis ſuperſtitionibus, humanisq́; traditionibus, atq; ſomnolentorum monachorū figmentis adhibent fidem, apoſtatas & hæreticos appellant, omni ſtudio in corporis atq; uitæ diſcrimen adducunt atq; perſequuntur aßiduò, ut Iſmaël pium Iſaac,

Sed quid ait ad ista Deus?

Eijce, inquit, ancillam hanc, & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac: In hoc tibi uocabitur semen, Gene. 21. Hanc Deus ipse contra illos sententiam tulit, atq; iudicium, quod tam certum illis futurum, quàm uerè Christus in cœlis uiuit. Certum non poterunt effugere supplicium.

Quid significat Isaac?

Isaac interpretamento redditur lætitia, gaudium, uel risus. Intelliguntur autem per eum omnes pij Christiani, qui rident atq; lætantur in Domino, etiamsi ab Ismaëlitis persecutionem patiantur. Quinetiam habent & alacrem conscientiam, permittunt omnia Deo, non ignorantes ab eodem ita constitutum, ut uarijs Christiani tribulationibus affligantur, ab impijs Hypocritis & iustitiarijs præcipitentur in uaria pericula, angustias & ærumnas, habituri autem post afflictiones æternam pacem atq; gaudia. Contrà sciunt, suos persecutores in hoc seculo fruituros bonis, securitate, gaudijs atque delitijs, & habituros omnia pro uotis, atq; cordis desiderio, uicturos tanquam in terreno paradiso, sed post hanc uitam prolapsuros in æterna supplicia, & flammæ infernalis ignem. Quod ut à condito mundo contigit semper, sic item euenturum erit ad finem usq; mundi.

Præstò ne sunt exempla?

Cain

Cain persecutus est fratrem Abel, Ismaël Isaac, Esau pium Iacob, Saul Dauidem, Ietzsabel Heliam Prophetam, Herodes Ioannem Baptistam, Caypbas Christum, Nero S. Paulum, Et hodie Hypocritæ ueros Christianos. Quæ omnia fiunt Satanæ instinctu. Qui primùm illos peccatis atq; flagitijs omnibus sic obruit, ut iram Dei, et omniū hominum odiū in se deriuent. Hinc consequuntur malas cauteriatasq; conscientias, tandemq; condemnationem æternam. Interim Isaac, hoc est, pij Christiani, dilecti Dei filij, tranquillo sunt animo, & lætitia perfusi, committunt omnia Christo, qui præsens auxiliabitur, atq; perducet eos in uitam æternam, Amen.

DOMINICA IVDICA.

Epist. Ad Hebræos IX.

FRatres, Christus accedens pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum, non manu factum, hoc est, non huius structuræ, neq; per sanguinem hircorum ac uitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione reperta. Nam si sanguis taurorum et hircorum, & cinis iuuencę, aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis purificationem, quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit

immaculatum Deo, purgabit conſcientiam ueſtram à mortuarijs operibus, ad ſeruiendum Deo uiuenti? Et ob id Noui Teſtameni conciliator eſt, ut morte intercedente, ad redemptionem earũ præuaricationum, quæ fuerant ſub priori teſtamento, ij, qui uocati ſunt, ut promiſſionem accipiant æternæ hæreditatis.

Quid hæc præſtat Epiſtola?

Per artificioſam rationem opponit Nouum teſtamentum Veteri, & inter ſeſe confert Iudæorũ atq; Chriſtianorum ſacerdotia, templa, ſacrificia atq; ceremonias. Vetus teſtamentum eſt decretum legis Moſaicæ, quod habebat externum ſacerdotium Aaronis, atque filiorum eius. Hoc conſtabat externis ceremonijs, aderat corporalis cultus & ornatus, tabernaculum manu factum, externum ſacrificium, externaq; purificatio. Atqui Nouum teſtamentum eſt Euangelij teſtamentum, quod habet ſpirituale ſacerdotiũ, à ſummo pontifice Chriſto inſtitutum, & omnibus Chriſtianis communicatum, id eſt, internum, conſtans fide, ueritate, & iuſtitia. Habet ſpirituales uictimas, acceptas Deo per Chriſtum. Spirituales item ceremonias, cultũ, ac templa requirit, & internam ab omnibus peccatis purificationem.

Quomodo hæc Epiſtola ſummum pontificem Chriſtum deſcribit?

Christus accedens pontifex futurorũ bonorum per maius & perfectius tabernaculum, non manu factum, hoc est, non huius structuræ, neq; per sanguinem hircorum, ac uitulorum, &c. Q. d. Aarõ atq; eius posteri incedebant redimiti externo cultu auri atq; gemmarum, atq; sacerdotio fungebantur, perficiebantq; externis ceremonijs & apparatu, populis impetrabant purificationem externam. Atqui filius Dei Christus ingrediebatur expolitus internis diuini spiritus ornamentis, non auro, neque gemmis refulgebat, sed inardebat diuina charitate, patientia, obediẽtia, suo sacerdotio perfunctus obtulit uictimam in cruce, credentibusque suis impetrauit internam spiritualem purificationem, atq; peccatorum omnium remißionem.

Quomodo tabernaculum describit?

Christi tabernaculum, aut templum non manu factum, ut structuræ terrestrium ædificiorum. Q. d. Tabernaculum Moysis, aut Salomonis templum extructum fuit lignis, lapidibus, alijsq; rebus, quas ipse Deus creauerat. Hinc ait Esaiæ 66. Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? & qui est iste locus requietionis meæ? Omnia hæc manus mea fecit. Atqui tabernaculum atque templum Christi spirituale est, & in eo quicquid habetur, spirituale credendum est. Erigit enim, & ædificat

est eiusmodi tabernaculum uiuis lapidibus, quos excidit, & expolit per uarias tentationes, crucem, afflictiones, calamitates, atque paßiones. Deinde cōcinnat, atq; collocat eos in structura, alios sublimioribus locis, alios autem in humilioribus, pro sua uoluntate, & uocatione cuiusq;. Aspergit item eos sanguine suo precioso. Inungit etiam oleo spiritus sancti, & illuminat diuina sua gratia, replens benedictione spirituali simul ac corporali.

Quomodo tabernaculum Moysis, templum'q; Solomonis fuit extructum?

Moysis tabernaculum, & templum Solomonis distinctum in tres partes, uel tribus interstitijs erat discriminatum. Quemadmodum Christianorum templa diuisa sunt in chorum, ædem & coemeterium.

Quo nomine prima uocabatur pars?

Dicebatur Sanctum sanctorum, in quo fuit arca testamenti, super hanc autem Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium. In hoc nemo hominum ingrediebatur, sed quotannis semel pontifex summus intrabat, oblaturus pro seipso, & pro populi ignorantijs.

Quo nomine secunda pars uocabatur?

Sanctum appellabatur, in quo candelabrũ fuit cum suis calamis ac lãpadibus septem, Item mensa cum duodecim panibus propositionum, Item altare & thymiamata. In quod indies ingrediebantur sacerdotes, & dona sacrificiaq; offerebant, ac imolabant uictimas, primitias de cibis, potũq;, & holocausta, &c.

Quo nomine tertia uocabatur?

Pars tertia uocabatur Atrium, qui locus sub dio fuit sine tecto, ueluti nostra cœmeteria. Et hæc fuit tabernaculi Iudaici, tentorij Moysis, & templi Solomonis structura.

Estne templum spirituale ad eandem rationem extructum?

Quemadmodum Solomonis templum habet interstitia tria, sic diuiditur in tres partes homo, In Spiritum, animam, atque corpus. Spiritu comprehendit omnes inuisibiles, & incorporeas res, nempe Dei uerbum, atq; fidem. Anima complectitur omnia rationi consentanea. Corpore facit, & operatur externas actiones. Prima pars significat doctrinam, & prædicationem fidei in Christum, Et hoc est omnium preciosissimum & maximum opus Dei. Nam fides secum affert Spiritum sanctum, Ioan. 7. Secunda pars ostendit doctrinam, atq; prædicationem de fidei fructibus, de uerè Christianis bonis operibus, quibus pij homines pascunt esurientes, dant potum sitientibus, uestiunt nudos &c.

&c. Hæc duo coniuncta ſint oportet. Neceſſe eſt arborem bonam, bonos fructus producere. Oportet fidem bonis operibus conſpicuam florere. Hæc etiam ratio, & cauſa, cur in templis chorus ædi ſit aſtructus. Tertia pars indicat doctrinam atque prædicationem, de ceremonijs externis, Eccleſiaſtico cultu, atq; diuerſitate temporum, locorum, perſonarum, ueſtimentorum, atque ciborum &c. Quemadmodum cœmeterium maius atq; ſpacioſius eſt choro ac æde, ita plures cœmeteriani ſancti, quàm ueri Chriſtiani. Porrò quemadmodum in prima, & interiore tabernaculi uel templi parte, nulla fuit lucerna, Nam ibi Deus habitabat ſolus ſupra propitiatorium, In ſecunda parte candelabrũ cum lampadibus ſeptem, Tertia pars ſub dio fuit: ita etiam in homine ſe res habet. Nam in hominis ſpiritu ſola eſt in Deum fides. In anima uita eſt naturalis atq; ratio. Corpus unicuiq; notum eſt. Iam arca ſignificat Eccleſiam. Propitiatorium denotat Chriſtum. Cherubin duo ſunt teſtamenta, reſpicientia in Chriſtum. Candelabrum indicat Dei uerbum. Menſa ſcripturam ſanctã. Panes propoſitionis Euangelium, per duodecim Apoſtolos prædicatum. Thymiamata Chriſtianorum orationes.

Quomodo ſummi pontificis oblatio deſcribitur?

Chriſtus in ſancta ſanctorum ſemel ingreſſus eſt, non per ſanguinem hircorum ac uitulorũ, ſed

per proprium sanguinem, æterna redemptione reperta. Q. d. Aaron pontifex summus, atq; eius posteri semel tantùm quotannis in sancta sanctorum ingrediebantur per hircorum sanguinem, & per eundem Deo reconciliabat populum Israëliticum. Hircorū enim sanguine, uel taurorū aspergens inquinatos, sanctificabat ad carnis purificationem. Erat autem ea reconciliatio temporanea & imperfecta, non æterna. Atqui Christus semel in cruce sese obtulit, semel pro nostris, atq; totius mundi peccatis est mortuus, & ea unica oblatione in cruce nobis impetrauit æternam iustificationem, atq; salutem omnibus credentibus in Christū. Qui non amplius morietur, neque sacrificabitur. Vult autem ut eius sacrificij semel facti recordemur, & pro tantis beneficijs Deo gratias agamus. Et modò Christiani nullam aliam nouerunt uictimam, atque sacrificium, quàm hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo &c. Roma. 12.

Quomodo describitur officium pontificis summi Christi?

Si sanguis taurorum & hircorum, & cinis iuuencæ aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis purificationem, quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo, purgabit conscientiam uestram à mortuarijs operibus, ad seruiendum Deo uiuenti? Et ob id Noui testamenti conciliator est, ut morte inter-

tercedente ad redemptionem earum præuaricationum, quæ fuerunt sub priori testamento, ij qui uocati sunt, promißionem accipiant æternæ hereditatis &c. Et S. Paulus 1. Timoth. 2. Vnus Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Quibus uerbis ostenditur, quodnam sit officium Christi, nempe quòd patronus, mediator, & aduocatus noster Christus pro nobis apud patrem intercedat.

Cur igitur quidam sanctos pro aduocatis & intercessoribus habent, & adorant?

Iniquè faciunt: Vt aũt errori suo patrocinentur, effingunt duplices mediatores, & cõstituunt alios redemptionis, alios intercessionis esse, & illã Christo, hanc sanctis conuenire. Sed hominum opiniones sunt, atq; figmenta. Deus ipse apud Esaiam cap. 42. ait: Ego Dominus: Hoc est nomen meũ: gloriã meam alteri non dabo, & laudem meã sculptilibus. Et Psal. 49. Redde altißimo uota tua. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Et Matt. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficillabo uos.

Quænam est huius Epistolæ summa?

Christus unicus est noster mediator, aduocatus & intercessor apud Deum patrem. Est unicũ no-

stum præsidium, auxiliator, consolator, iustificator, atque saluator. Est noster summus pontifex, qui pro nobis apud patrem intercedit, reconciliat, atq; omnia bona de nobis loquitur. Qui per nullam angelicam, uel humanam actionem & opera nobis impetrauit ueram iustitiam, gratiā, atq; remißionem peccatorum, sed omnia fecit, per suā solius paßionem atq; mortē, imò per sanguinem suū preciosißimum. Cuius unica gutta longè carior, quàm totus est mundus. Hoc ipsum qui credere possunt, ijs potestatem dedit, ut liceat filios Dei fieri, atq; secum accumbere in regno patris cœlestis, ibiq; perpetuò in æterna uita gaudere, Amen.

DOMINICA PALMARUM, Epistola, Philip. II.

FRatres, Is affectus sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu. Qui cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset ęqualis Deo: sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen: ut in nomine Iesu

omne

omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & infernorum, omnisq; lingua cõfiteatur quòd Dominus sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris.

Quid præsens Epistola complectitur?

Præclarum habet exemplum ignis cœlestis & immensæ charitatis, & amoris Christi erga nos, ut eodem prouocati & accensi inflammemur ad ueram, fraternam, & non fucatam charitatem. Ad quam exhortatur S. Paulus, ac incitat nos tam sublimibus uerbis, tam graui admonitione, tam feruente animo, flagranteq; pectore, ut in nullis scriptis suis id fecerit ardentius. Videbat id ualde necessarium factu, cùm homines ætate sua uehementer inertes atq; pigros aspiceret, ac ualde somnolentos, & frigidos in charitate. In culpa fuit caro, quæ parato et alacri spiritui semper resistendo sua quæ rit, propriasq; sectas introducit, atq; schismata.

Quid igitur ait S. Paulus?

Is, inquit, affectus sit in uobis, qui fuit in Christo Iesu, qui cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed seipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.

Quid intelligit per ea uerba?

Hæc dicit: Vos Christiani, qui iam Christum induistis, & omnem in eo plenitudinem habetis, atq; diuitias temporaneas & æternas: uos, inquam, modò nihil aliud cogitabitis, nec aliud bonum æstimabitis, neq; placiturum uobis, quàm quod uidetis Christo placuisse, qui pro uobis solicitus, uestra, non quæ sua fuerunt, quæsiuit. Videte quantùm ille pro uobis humiliatus fuerit, quanta tulerit, quãtaq; perpessus. Quisquis igitur Christum imitetur, hoc sequatur archetypon. Et unusquisq; non quæ sua sunt spectet, sed quæ sunt aliorum.

Nónne præstantissimum hoc est humilitatis exemplum?

Maximê. Restat igitur ut imis sensibus repositum imitemur. Quòd si Dei filius Christus ita seipsum inaniuit, ut hominum seruus sit factus, quantò magis humiliari nos oportebit, qui filij sumus iræ, filij mortis & inferni. Cæterùm si nos plus, quàm Christus (quod est impoßibile) demitteremus, humiliatos etiã infra Satanam et infernum, tamen nostra ad inanitionem Christi comparata humiliatio, nulla, imò sordidißima esset. Nã Christus incomparabile, & infinitum est bonum, & Deus ipse, Nos autem homines bullæ, & mortales creaturæ, non temporis momento tuti à periculis, ac morte. Iam quisq; secum reuoluat, quàm grauis sententia, iudiciumq; crudele feretur in illos, qui generosißimum hoccine Christi exemplum non

imitati

initati, sese proximo non subiecerunt, nec ministrarunt, neq; sunt auxiliati, sed multò magis superbientes sese reliquis præposuerunt, arroganterq; contempserunt alios. Proinde meritò terrorem inferret hoc exemplum illis, qui in magistratu ferociũt, æstimantes alijs sese meliores, tanquã albæ gallinæ filios, omnes autem alios natos infelicibus ouis.

Quid est, esse in forma Dei?

Nihil aliud est, quàm ita gerere, et alijs exhibere sese, quasi Deum atq; Dominum, ad utilitatem proximi, atq; gloriam Dei. Quod Christus faciẽs potentem se præstitit, ut declarant eius salutifera uerba, atq; miracula Euangelio comprehensa.

Quid est, formam serui sumere?

Est uerbis & operibus sese reliquis hominibus ostendere, non aliter ac si conditionis seruilis esset: Quod etiam Christus fecit, qui licet dominus ac magister esset, tamen discipulis ministrauit, ac seipsum pro nobis tradidit, forma serui sumpta.

Quomodo sese Christus humiliauit?

Principiò cùm Deus esset, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed seipsum inaniuit, formam indutus serui. Hoc est, Diuinitatem dißimulauit, ac seipsum redegit in seruitutem, ut nobis omnibus obsequium præstaret, liberos faceret, atq; in sese fragilitatem nostram, delicta, atq; necessi-

cessi-

ceßitates transferret, sic tamen ut nullis peccatis coinquinatus ipse, permaneret in diuinitate. Assumpta autem hominis forma ad nostri salutē maxima fecit opera, atq; miracula edidit.

Deinde sese omnes infra homines demissum humiliauit, atq; nobis obsequio, ministerioq; suo summo inseruiuit, nempe corpus & animam suā pro nobis tradendo, & patiendo mortem omniū probrosißimam in cruce, ubi pependit, non aliter ac uermis, imò ut princeps latronū, inter latrones.

Tertiò, Patri factus est obediens usq; ad mortē, mortem autē crucis. Quo uel unico uerbo S. Paulus cœlum aperit, & uidendum nobis exhibet altißimam diuinæ maiestatis profunditatem, ostenditq; perpendendā ineffabilem gratiæ diuinæ uoluntatem, & inæstimabilem paterni affectus erga nos amorem, ut inuestigemus, sciamus, & experiamur, quidnam ante conditū mundum Deo placuerit, et quidnam pro nobis facere, atq; pati Christum suum dilectum filium oportuerit.

Præclara ne sunt hæc, & iucunda, dulciaq; uerba?

Maximè, Proinde cùm hæc S. Paulus scriberet, proculdubiò cor eius singulari fuit incensum ac conflāmatum ardore spiritus sancti, ut plurimum lætitia gaudioq; fuerit animus perfusus. Et quis audiens & intelligens illa, non ex animo iubilet? Cuius cor non præ gaudio liquescat? Quis non reda-

net

met Deum, non glorificet, non gratias agat? Quis deniq; nō effictim cupiat serui formam assumere, & Christi exemplum imitatus ministrare proximo, cùm uideat suæ salutis gratia quantum effecerit Deus pater, qui filij sui dilecti nobis obedientiā ostenderit, & per eam tantas gratiæ ac misericordiæ diuinæ copias atq; diuitias in nos effuderit. Omni igitur lapide durior ille sit oportet, & inferno tenebricosior, meritaq; damnatione dignus, quem illud non mouerit diuinum exemplū.

Quid Christus per humiliationem illam suam consecutus fuit?

Sic ait S. Paulus: Quapropter Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & infernorum, omnisq; lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus, ad gloriam Dei patris. Hoc est, quemadmodum Christus infimus, deiectißimus, & humilimus omniū creaturarum in obedientia diuina redditus fuit, sic eum Deus super omnes angelos, atque creaturas omnes extulit, ut modò sit Dominus Satanæ, mortis, peccati, & inferni, nec amplius modò sit in serui forma uel habitu, sed iam Deus potens in toto mundo declaretur, prædicetur, cognoscatur, seruetur & adoretur, qui modò sedeat ad dextram patris, regat plena ui, atq; potestate, conseruetq; omnia quæ sunt in cœlis

atq; terris: Quod licet oculi nostri caligine contenebrati nondum uidere queant, tamen in nouißimo die non modò sumus aspecturi, sed etiam experturi.

Quidnam ex hac præcipuè discemus Epistola?

Hoc potißimùm memoriæ mandabimus: Cùm in nomine Iesu omne genu, cœlestium ac terrestrium, & infernorum sese flectat, et omnes creaturæ ad Iesu nomen exhorrescant, atq; contremiscant, est profectò crudele, atq; terribile dictu, quòd mũdus tam cæcus sit, atq; dementatus, ut nomen Iesu floccifaciat, hominesq; leuiter sanctum Iesu nomen in uanum accipiant, per crucẽ & paßiones Christi, per quinque uulnera, preciosumq; sanguinem adeò temerè iurent, contemptim loquantur, tam calumniosè conuitientur & execrentur. Quid ad eas blasphemias poterit dicere homo pius? quid cogitare, cùm audierit ac uiderit aliquẽ homuncionem, fragilem bullam, uermium ipsißimum saccum, contra conditorem contraq; saluatorem suum Deum tam horrenda, crudeliaq; proferre? Cogetur profectò credere, diabolum omnibus uinculis solutum, & emissum, in hominibus corporaliter agere, eosq; ueluti mancipia poßidere, per eos, ut organa attemperata, loqui, ut in hoc nouissimo tempore libidinis suæ uoluntatem explere propalàm uideatur, animumq; prius satiare in

Christum

Christum persequendo, quàm cōdemnationis eius dies aduenіat.

Hoc esset horrendum facinus.

Audi, Quamuis Satanas in mundum omnia scelera, dolos, blasphemias, hæreses, periuria, hypocrisin, idololatriam, mendacia, falsamq; doctrinam introduxerit, ac inuexerit pseudoprophetas, sectas, ac schismata, Item Diabolum atq; Mahomet: tamen omnia sensim atq; separatim, non uno tempore, nec modo produxit uno. Atqui iam hisce nouißimis temporibus, ueluti uno (quod aiūt) fasce, unaq; uice profudit omnia. Iam enim uno tēpore uelut hausta dolio diabolico protulit omnia mala. Etenim iam plena sunt omnia præfractorū, impiorum ferorum, peßimorumq; hominum, pseudapostolorum, hæreticorum, seductorum, catabaptistarum, blasphemorum, aliorumq; Dei contemptorum. Quorum alij negant sanctam Trinitatē, alij non admittunt diuinitatem Christi, Alij non credunt Resurrectionem mortuorum, nouißimum diem, aduentumq; Iesu Christi. Alij contra diuina Sacramenta, contra Baptismum, contra Cœnam Domini, contra Magistratum, contra sanctum Euangelium, & breuiter, contra claram ueritatem, & sacram scripturam insaniunt, furunt, docent, scribunt, prædicant. Quum igitur hisce periculosißimis insultibus nemo studeat mederi, quiescat Magistratus, & cesset, permittatq; omnia impunè fieri,

fieri, & ubiq; diabolicam doctrinam uires acquirere, metuendum erit, ne non, post multas mitiores pœnas, post pestilentiam, caritatem annonæ, et inaudita morborum genera, Deus effusurus sit plena manu suam iram, ut merus ludus uideantur illa præcedentia, ad ea collata, quibus semel Deus *et* Germaniam, *cum imperio* Romano, *totam subuersurus erit, ita ut ne igniscr quidem, ut aiunt, sit reliquus futurus.* Sed *elargiatur nobis* Deus *ut peccata nostra tandem agnoscamus, atque resipiscamus,* Amen.

DIE IOVIS POST PALmarum, Epist. I. Corinth. XI.

FRatres, Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi uobis, quòd Dominus Iesus in ea nocte qua traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit ac dixit: Accipite, edite: Hoc meum est corpus, quod pro uobis frangitur: hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum & poculum peracta cœna, dicens: Hoc poculum nouum Testamentum est in meo sanguine: Hoc facite quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem. Quotiescunque enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis.

nũciabitis, donec uenerit. Itaq; quiſquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem homo ſeipſum, & ſic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit aut bibit, indignè, iudicium ſubiјpſi edit & bibit, non diјudicans corpus Domini. Propter hoc inter uos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Etenim ſi noſipſos diјudicaſſemus, haudquaquã iudicati fuiſſemus. At cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo cõdemnemur.

De quibus rebus in hac Epiſtola fit mentio?

Tribus de rebus dicit: Primò *de* Corinthiorum *inordinata, peruerſaq; conſuetudine, quam habebant in uſu ſacramenti* Corporis *ac* Sanguinis Chriſti. *Deinde de inſtitutione Sacramenti ſub panis atq; uini ſpecie. Tertiò, de probatione eorum, qui ſunt ad cœnam* Dominicam *acceſſuri.*

Quænam erat Corinthiorum peruerſa conſuetudo?

Cœnam dominicam celebraturi, & ſacroſanctum Chriſti *corpus ſumpturi* Corinthij, *genialiter uiuebant diuites, & bibebant edebantq; ſplendidè, pauperibus interim aſtantibus pudore ſuffu-*

stis, & inedia contabescentibus. Quae mala consuetudo peperit in Ecclesia turpe non uulgaris offensionis exemplum: quemadmodum iam olim ritus fraternitatum, & Calandicorum conspiratorum, apud quos locupletes ipsi molliter & opiparè uiuentes coena pontificali curabant cuticulam, & interim negligebant pauperes, rerum inopia marcescentes. Cuius praui moris iniquitatē S. Paulus reprehendit, arguens nihil inde boni profluere, quum ea ratione, primùm ipse Deus in donis suis sacrosanctis offendatur, atq; dehonestetur: deinde uioletur, & extinguatur amor proximi, quæ peccata subsequi soleat diuina uindicta, & in homines dira lues, ut pestes, uarij morbi, caritas annonæ, calamitates, prælia, & cætera malorum lerna. Quòd cùm ita sit, tamen inueniuntur Sacramentarij, qui prauam istam Corinthiorum consuetudinem libenter in Ecclesiam reducerent, facturi ex dominica Cœna, quandam compotationem, & comessationes, ad exasperandam magis in nos iram diuinam.

Quid S. Paulus de Sacramenti uenerabilis institutione dicit?

Ego, inquit, accepi à Domino, quod & tradidi uobis: Quòd Dominus Iesus in ea nocte, qua traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit, ac dixit: Accipite, edite: Hoc meum est corpus, quod pro uobis frangitur. hoc facite in

mei

mei commemorationem. Ad eundem modum & poculum, peracta cœna, dicens: Hoc poculum, Nouū testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem. Quibus uerbis S. Paulus ostendit cum, qui Sacramentū altaris instituit, item quando, quibus, quomodo, quibus uerbis, & quam ob causam.

Quis igitur instituit Sacramentum?

Dominus noster Iesus Christus, Dei filius, mundi saluator: proinde nulla ratione contemnendum erit.

Quo tempore fuit institutum?

Ea nocte qua traditus fuit à proditore Iuda, post ultimam cœnam, ut Euangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas describunt.

Quibusnam illud Christus instituit?

Suis discipulis, hoc est, omnibus Christianis. Nam in Ecclesia primitiua omnes Christiani uocabātur discipuli. Hinc in Ecclesiastica historia libr. 1. cap. 3. apud Antiochiam florentißima congregatur Ecclesia, ibi primum discipuli, perenni fonte sumpto, uocabulo appellati sunt Christiani. Et Actorum 11. Accidit ut discipulos primum Antiochiæ Christianos cognominarent. Quicunq; igitur ad altaris Sacramentum accedere uolet, eum oportebit Christi discipulum esse, oportebit (quem

admodum Christus ait) credere, & quæ præcepit Dominus Christus, exequi.

Quomodo?

In pane corpus suum manducandũ, in uino sanguinem bibendum instituit. Videmus quidem externam panem, & uinum, sed credimus adesse corpus & sanguinem Christi, propter ea Christi uerba, quibus ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Item, Accipite & bibite, Hic est enim sanguis meus, &c. Sed qua ratione soleat id accidere, nihil te permoueat, cùm sit inscrutabile, & rationi prorsus inuestigabile opus fidei. Peruicacem humanæ rationis solertiã permitte, quæ sunt in rebus humanis sublimia solerter excutiat, non quæ supra captum sunt speculetur, nec in ardua ista re, suas uires extendat, in suijpsius pernitiem.

Quibus uerbis?

Accepto pane, cùm gratias egisset, fregit ac dedit discipulis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculum postquàm cœnauit, gratijs actis, dedit illis, dicens: Hoc poculum nouum testamentum, per sanguinem meum, qui pro uobis effunditur, Lucæ 22. Hoc institutum atque mandatum Christi, uera consecratio est. Cùm autem nos hoc ipsum Christi mandatum sequimur, firmiterq́; credimus, tum indubitata fides efficit, ut externus panis fiat nobis Christi corpus, & uinum Christi

sanguis

ſanguis. Qui ſacerdos autem adhibetur, tantummodò miniſter eſt, qui mandatum Chriſti nobis ſuggerit, & in Eccleſia Sacramentum partitur, atque diſtribuit.

Quam ob cauſam inſtituit?

Hoc facite, inquit, in mei recordationem. Chriſtus uult ut nos tanquàm fideles fratres atq; ſorores conueniamus, atq; id, quod omnium optimum eſt, comedamus, & inter nos colloquamur de rebus eiuſmodi, quæ corda noſtra lætificare poßint, atq; gaudio perfundere, Vt mortem domini, donec uenerit, annunciemus, ad conſolationem afflictorum cordium, & contribulatarum conſcientiarum, ad erigendos & corroborandos imbecilles, & ad fideles confirmandos aduerſus omnem doctrinam diabolicam, hominum traditiones, hypocriſin, ac mendacia. Et profectò lætum, hilare, atque ſalutare conuiuium id eſt, atq; conuerſatio, in qua Chriſti mandatum peragitur, & res diuinæ tractantur, atq; ſalus animarum. Væ autem illis, qui contemptores aſpernantur.

In quotnam rebus conſiſtit eorum, qui ad altaris Sacramentum acceſſuri ſunt, probatio?

Quinq; potißimùm rebus conſtat probatio & apparatio eorum, qui cœnæ dominicæ participes cupiunt eſſe.

Quæ nam eſt prima?

Vt admissa scelera doleant ex corde, ueramq; delictorum pœnitentiam agãt, & de peractis ingemiscentes conquerantur, ac cõfitentes absolutionẽ accipiant, non accedant ad altare temerè, nec quẽ admodum sus, illotis pedibus irruant, omnis nescij & expertes pœnitentiæ, dolentiæ, metus, atq; terroris, nedum charitatis omnis, atq; fidei.

Quæ secunda?

Vt bonum propositum, animum, atq; uoluntatẽ habeant non amplius peccandi, omnes scelerum occasiones effugiendi, & cumprimis faciendi missam inuidiam, ac odium, &c. Quæ præcipuè sunt contra fraternam charitatem, & huius Sacramenti naturam, Nam inuidi & osores inde capiunt mortis cibum, ut Iudas.

Quæ tertia?

Vt Cœnæ dominicæ participes futuri, uerbis Christi prolatis in Testamento firmiter credant, nihil prorsum addubitent. Et probè sciant hunc panem atq; uinum à uulgari pane atq; uino discernere, non comessationem aliquam iudicent, aut ex illis faciant rem leuiculam, quemadmodum Sacramenti uituperatores solent.

Quarta?

Vt cum modestia summa atq; reuerentia maxima accedant, ad genua procumbant, capita surrigant, ora non obuoluta ueste protendant, ciuiliter aperiant, ac linguam exerant, claudant autem

post

post acceptum Christi corpus, & contineant. Animio cibo per eum diem, imò per sequentes omnes abstineant, & à potu largiore temperent, semper sobriè uicturi. Breuiter nullo morum uel prauorū adfectuum dedecore Sacramentum dehonestent. Hæc pueris præcipuè dicta.

Quinta.

Vt recordentur ineffabilis bonitatis atq; misericordiæ diuinæ, quæ nobis in hoc Sacramento quàm plena manu suppeditantur. Vt denìq; cogitent, atq; firmiter proponant, se non amplius peccaturos, sed fidem declaraturos bonis operibus, diuinæ Sacramenti constitutioni respondentibus.

Quinam fructus Sacramentum subsequuntur?

Cœnæ dominicæ fructus sunt, & opera bona sequentia: Res aliorum non aliter atq; nostras suscipere. Alios aliorum onera portare. Proximo seruire. Et quemadmodum Christus se tradidit à nobis comedendum, sic permittere nos, ut proximo cibus atq; potus fiamus, hoc est, nostris facultatibus famem egenorum atq; sitim restinguamus. Quod si contigerit, tum dignè Sacramento fuerimus usi, & Deus omnipotens nobis clementior suam gratiam atq; benedictionem, tandemq; animarum salutem elargietur.

Dic summatim, quando sit accedendum ad Corporis Christi Sacramentum?

Cùm te pusillanimem atq; debilem in fide reperreris, in charitate frigidum, in spe uacillantem, & procliuem ad peccata, uolueris q; libenter indubitata fide corroborari, amore charitatis accendi, spe fortiter erigi, grauiq; peccatorum fasce leuari. Cùm item summo desiderio cupiueris magis pius, benignus, misericors, pacificus, iustus, mitis, sobrius, mansuetus, fidelis, & uerax reddi. Et quantò maior earum uirtutum fames ac iustitiæ sitis tibi fuerit, tantò reputaris aptior ad corpus dominicum sumendum. Qui cibus diuinus requirit animam esurientem, plenam autem respuit ac repellit. Hinc Maria cecinit in Magnificat: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Cum fiducia igitur accede in fide, amore fraterno, pœnitentia peccatorum, bono omnes peccandi occasiones euitandi proposito, atq; gratiarum actione. Deinde curato, ut quod signa panis & uini subindicant, opera facias digna tanto Sacramento. Quod si præstiteris, inuenies certò gratiam diuinam, Christi præsidium, benedictionem, misericordiam, tandemq; uitã æternam. Quam nobis donet Deus pater, per filium suum dilectum Iesum Christum, Amen.

DOMINICA PASCHATIS,

Epist. I. Corinth. V.

Fratres

FRatres, Expurgate uetus fermentũ, ut sitis noua conspersio, sicut estis in fermentati. Nam & pascha nostrũ pro nobis immolatus est Christus. Itaque festum celebremus, non in fermento ueteri, nec in fermento malitiæ & uersutiæ, sed in panibus fermento carentibus, hoc est, synceritate & ueritate.

Quanam de re præsens hæc Epistola dicit?

De Christi resurrectionis fructu, deq; paschali Christianorum festo.

Quinam sunt Christi resurrectionis fructus?

Scriptura duplices ostendit fructus: Primum, quo pij omnes homines in nouissimo die resurrecturi sunt perfecto atq; clarificato corpore, quali refulgens Christus caput nostrum, à mortuis resurrexit, in æternum uiuens. Alterum, quo nos à peccatis resurreximus, debemus nouam inchoare uitam, nouos adfectus assumere, in noua denuq; melius atq; sanctius uiuendi ratione conuersari, fructus bonos pruducendo.

Quid igitur ait S. Paulus?

Cùm apud Corinthios insignis turpitudinis hominem, qui conspurcauerat Euangelij famam, ab Ecclesia profligasset S. Paulus, sic ait: An nescitis quòd paululum fermenti totam conspersio-

nem fermentat? Expurgate igitur uetus fermentũ, ut sitis noua consperſio, ſicut eſtis infermentati.

Quid eſt fermentum?

Fermentum aqua confectum eſt, atque farina, conſperſioni dulci ſimile, ſed inſipidum, & amarum. Quod generatim ſignificat omnem doctrinã, quam percipit homo, & per eam immutatur atq; transfertur in uita ſua uel ad bonum, uel malum. Unde bonum fermentum Chriſtus appellat ſanctũ Euangelium, inquiens Matt 3. Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondidit in farinæ ſatis tribus, donec fermentaretur totum. Malum autem uocat hominum doctrinam, et hypocriſin. Hinc Matth 16. & Mar. 8. Videte, inquit, & cauete à fermento Phariſæorum ac Sadducæorum, hoc eſt, à falſa doctrina, atq; ſuperſtitione hypocritica.

Quid eſt uetus fermentum?

Eo nomine S. Paulus appellat ueteris inquinamenta uitæ, quã homo in peccatis, falſa doctrina, & hypocriſi tranſigit, atq; turpiter ita uiuens omnibus hominibus offendiculo eſt, ſimul exemplo peßimo. Quod expurgandum arguit, ut noua conſperſio fiamus, & in nouitate ſyncerioris uitæ reddamur longè meliores, præſertim cùm uideamus & audiamus id Deum uelle atq; præcipere. Q. d. Vos Corinthij per Dei uerbum eſtis quidem purifica-

rificati, sanctificati, & iustificati, sed cùm uestra corrupta sit natura, per Adæ casum, & in uobis habeatis adhuc multũ cõcupiscentiæ, prauorumq; affectuũ, oportebit indies ea magis atq; magis expurgare, atq; nouos homines fieri.

Quid noua conspersio?

Nouã conspersionem appellat S. Paulus nouam regenerationem, Baptismo, atq; uera in Christum fide comparatam. Regenerati igitur atq; fide renouati, sunt noua conspersio, & panis azymus, licet aliquæ ueteris fermenti reperiamur in ijs reliquiæ. Quemadmodum autem Iudæis præceptum erat, ut festum Paschale celebrarent ita, ne fermẽtatum in domibus suis haberent, sed panes azymos comederent: ita nos Christiani Paschalem solennitatem peracturi, debemus assumere puritatem synceritatemq; doctrinæ simul ac uitæ, diligẽter expurgantes fermentum malitiæ, & uersutiæ.

Atqui Iudæorum Paschale festum modò sublatum est, nec ad Christianos pertinet.

Autor Epistolæ ad Hebræos cap. 10. docet, Ceremonias legis obtinere futurorum bonorum umbram, non ipsam imaginem rerum. Quod si manifestum est, oportebit nos uerum illud celebrare Pascha, quod per umbram lex significauit, quemadmodum hoc in loco S. Paulus ait: Pascha nostrum Christus, qui noster agnus Paschalis, pro nobis immolatus.

immolatus. Q.d. Iudaeorum pascha fuit agnus et niculus, quem festinanter comedebant assum igni, cum panibus azymis, & lactucis agrestibus, stantes, accincti lumbos, calceamenta habentes in pedibus, tenentesq; baculum in manibus. Quod significat nos Christianos debere Paschalem nostrum agnum, hoc est, corpus Christi, comedere, atque sanguinem eius bibere sitienter, in ardente charitatis affectu, peccatorum poenitentia, puro corde, fide constante, synceritate atque ueritate.

Praeterea dicit, Testamentum uetus habuisse uictimam pro delicto, oblationem & eleuationem armorum atq; primitiarum, hostiam pro peccatis, hostiam pacificorum, holocaustomata, uaccas, uitulos, capras, hoedos, oues, agnos, atq; residuas, sacrificiorumq; genera plura, quae cùm fiebãt sine fide, nihil aliud erant, quàm laruae quaedam, & externa sanctimoniae hypocrisis. Sed nostrum in nouo Testamento sacrificium Christus, est eius modi uictima, quae nullis rebus ludicris, sed in ueritate per sanguinem suum preciosissimum abluit peccata nostra. Etenim unica oblatione Christus omnia totius mundi peccata sustulit, qui non amplius sacrificabitur, nec morietur. Illi enim mors non amplius dominabitur, Roma. 6. Oblationis autem in cruce semel peractae nos memores esse debemus, mortemq; Domini, donec uenerit, annunciare. 1. Corinth. 11.

Quo-

Quomodo autem nos pascha nostrum oportebit celebrare?

Deo patri nos, atq; saluatori Christo, uero paschali, qui mundi peccata tulit, agno, gratias pro suis beneficijs immensis agere debemus, atq; facere quod in hoc loco S. Paulus docet, inquiens, Festum celebremus non in fermento ueteri, nec in fermento malitiæ aut uersutiæ, sed in panibus fermento carentibus, hoc est, synceritate & ueritate.

Quidnam ea uerba significant?

Id intelligunt: Postquam sacro regenerationis lauacro ueterem hominem cum suis concupiscentijs atq; peccatis exuimus, & Christum induimus, & nihilominus tamen uetus ille nostris in mēbris fixus hæret Adam, ad omnia mala procliuis, præterea mundus exemplo pessimo rapit ad deteriora, & Satanas adeo crudeliter impellit, ut sæpenumerò contra uoluntatē nostrā in crimina prolabamur. Demus igitur operam, ne peccata nobis prædominentur. Nam si locum in nobis concessum habuerint peccata, & eorum nos momorderimus frenum, tum erit futurum quo nos è iustis efficiamur peccatores, et è Christianis reddamur Ethnici, cœlum amissuri. Nam Christus ait Lucæ 9. Nemo qui manu sua admota aratro respexerit à tergo, aptus est regno Dei.

Ambulantes autem in nouitate uitæ nos omnibus

nil us alijs beneuolos exhibere debemus in charitate, & operibus misericordiæ, ut de nobis exteri possint dicere, atq; ueris encomijs prædicare nostra honesta studia atq; bonam cõuersationem, inquientes: Videte quanto splendore uita Christianorum reluceat, qui uerè Christum induerunt, puram Euangelij doctrinam susceperunt, ubique sanctam ætatem exigentes. Quis igitur eorum exempla non imitetur? quis non faueat, & amore tam bene moratos prosequatur? Quo facto Deus in cœlis glorificaretur, ac Euangelium optimi nominis exornaretur præconio. Multi item homines in orbe toto meliores efficerentur per diuinã gratiam, atq; benedictionem, usq; ad mundi terminum, cùm per resurrectionem peruenturi sumus ad Dei regnum, in uitam æternam. Ad quam nos perducat Deus omnipotens, Amen.

DOMINICA QVASI MOdo geniti, Epist. I, Ioan. IIII.

FRatres, Omne quod natum est ex Deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides nostra. Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit, quòd Iesus est filius Dei? Hic est qui uenit per aquam & sanguinem, Iesus Christus non per aquam solùm, sed per aquam & sanguinem. Et spiritus est qui

testifi

testificatur, quoniam spiritus est ueritas. Quoniam tres sunt qui testimoniũ dãt in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres unũ sunt: & tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus & aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Quoniam hoc est testimonium Dei, quo testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso.

Quid in hac Epistola S. Ioannes peragit?

Fidem extollit, & potenciã eius indicat, atque ijs occurrit, reprehẽditq;, qui fidem sine operibus iactant. Pronunciat aũt liberè nunquam emansura bona opera, si fides adsit: q, si autẽ emanserint, uerã fidem non adesse cõfirmat, sed mendacia, meraq; tenebras. Scribit itẽ aduersus Cherinthum, ac alios, qui dicunt, Christum in carne non uenisse, contendentes proprijs operibus iustificari atq; saluari, quum nos oporteat per illius sanguinẽ ueræ iustitiæ, atq; saluationis fieri participes, sine nostris operibus. Vtrisq; igitur hac Epistola repugnat, nempe ijs, qui fidẽ sibi uendicant, nulla interim bona facientes opera: iis aũt, qui per opera sole quærũt iustificationẽ, ac animæ salutẽ. Qua ratione conseruat nos in uia recta, & quò tutius eamus,

mus, nos dirigit æquali medio, ut per fidẽ uerã iustificemur, & à peccatis emundemur. Deinde ut iustificati producamus opera bona, & charitatis exerceamus studia, idq; liberè, nihil inde commodi sperantes.

Quomodo S. Ioannes fidem euehit?

Omne, inquit, quod natum est ex Deo, uincit mundum: & hæc est uictoria, quæ uincit mundũ, fides nostra.

Qui nam ex Deo nati sunt?

Qui credunt in Iesum Christum, quemadmodũ ait Ioan. 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelicet ijs, qui credidissent in nomen ipsius.

Quomodo autem sunt alij nati?

Omnes homines iræ filij nascuntur, & æternæ mortis pignora. In peccatis enim cõcipimur, nascimur, educamur, & uiuimus in peccatis. Per naturam in nobis redundant crimina, impietas, concupiscentia, malus affectus, atq; Dei contemptus. Nostris igitur uiribus nunquam poterimus ad Dei filiorum adoptionem peruenire, sed per solam regenerationem atq; uerã in Iesum Christum fidem.

Quomodo contingit hæc regeneratio?

Per mortificationẽ Adami ueteris, hoc est, carnis, atq; renouationem spiritus. Nã si uoluerimus in gratiæ & æternæ uitæ filios euadere, libenter

crucem

crucem propter Christum nos oportebit ferre, ueterem hominem abijcere, atq; naturā hominis penitus renouare, quemadmodum Christus ait Nicodemo, Ioan. 3. Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. In quibus igitur ea noua non contigerit regeneratio, remanebit uetus Adam, antiquus ille nequam.

Quid ea S. Ioannis uerba significant: Victoria nostra fides?

Hoc est, In Iesum Christum, Dei filium, nostrum unicum mediatorem atq; saluatorem credere, non est aliquod humanarum uirium opus, sed spiritus sancti, qui in regenerationis lauacro nouas creaturas facit oēs credentes, longè aliter cogitantes, loquentes, operantes, quàm in pristina uita. Et in summa, Verbum Dei corde puro susceptum affert Spiritum sanctum, hic fidem procreat, fides autem facit haeredes, atq; Dei filios. Porrò filij Dei cum Christo dominantur Satanae, morti, peccatis, & inferno, uictoriam habituri contra mundum, & portas infernales.

Quid significat, mundum uincere?

Nihil aliud est, quàm omnibus affectibus prauis resistere, atq; supprimere concupiscentias omnes malas, gaudia, atq; delitias, quibus homines in mundo à Satana propriaq; carne tentamur, atque rapiuntur in interitum. Quibus omnibus fortiter re-

pugnare, est mundum uincere, & per Christum uictoria potiri, atq; triumphare.

Quid est mundus?

Nihil est aliud, quàm carnis concupiscentia, oculorum cupiditas, atq; uitæ luxus ac superbia, quemadmodum S. Ioan. 1. Epist. 2. inquit. Omne quod est in mundo, ueluti concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia eius.

Quid est carnis concupiscentia?

Est omnis immoderata cupiditas, atque carnis procliuitas ad immodestiam, intemperantiã, spurcam libidinem, crapulam, ebrietatem, & consimilia, quæ uerbo Dei prohibita sunt, crimina.

Quid est oculorum concupiscentia?

Est auaritia, & nimia facultatum humanarum cupiditas. Omnia item quæ solent illam subsequi flagitia, ut mendacium, insidiæ, fraus, furtum, rapina, usura, contemptio, imposturæ, quæ fieri poterunt iniustis ponderibus, mensuris, ulnis, literis, sigillis, monetis, atq; negotiationibus iniquis.

Quid est uitæ fastus?

Est inflatum, arrogantem, elatum atq; superbũ animum habere in cibis, potu, uestimentis, ædificijs, & plãtationibus, breuiterq; in omnibus se prestãtiorẽ alijs ducere, ac reliquos præ se contemnere.

Quid

Quid est, quod ait: Quis est qui uincit mũdum, nisi qui credit, quòd Iesus est filius Dei, cùm hoc ipsum credat Satanas, & omnes impij?

Hisce uerbis S. Ioannes principiò taxat reprehenditq; Cherinthum hæreticum, & discipulos eius, qui negant in Christo naturam diuinam, dicentes, Christum non esse natura Dei filium, sed tantùm adoptatum, quemadmodum scriptura nominat alios etiam homines Dei filios.

Deinde significat, se non dicere de fide historica, qua credimus Deum esse, filium habere, eumq; hominem factum, crucifixum, à mortuis resurrexisse, & ad cœlos ascendisse: sed indicat se loqui de fide uera, uiua & operante, cui certò constat Christum esse mediatorem unicum, atque mundi saluatorem, qui pro nobis omnibus mortuus, in remißionem peccatorum effudit sanguinem suum preciosißimum. Hæc fides uictoriam obtinet, ac mundum uincit, quæ corda purificat, iustificat, atq; saluat, quemadmodum sequentia uerba testantur: Hic *est qui uenit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non per aquam solùm, sed per aquam & sanguinem.*

Quid ijs uerbis significat S. Ioannes?

Quandoquidem maxima uis, atq; precium inæstimabile repositum est nobis in Christo, conten-

dit nostris cordibus imprimere, saluatorem eundē unicum esse mediatorem, mortis profligatorē, peccatorum extinctorem, & expugnatorem inferni. Etenim in carne uenisse Christum nō credere, Item de paßione eius, de morte atq; resurrectione dubitare, est Christum cum omnibus suis uirtutibus, beneficijs, operibus atq; meritis pernegare, spiritum sanctum in scripturis coarguere, Dei uerbum contemnere, Sacramenta è latere Christi producta ad nihilum redigere, cœlum claudere, & per propriam denique confidentiam, propriaq; opera atque merita sine fide ad inferna properare. Illa enim scripturæ eulogia sunt ueluti murus ahene-us: Ego sum uia, ueritas atq; uita. Item: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Hoc igitur S. Ioan. dicere uult: Omnes Christiani iactant sese credere, Dei filium hominem factum, in cruce mortuum, & à mortuis resurrexisse, sed eadem omnia credit item Satanas. Verùm hoc illi non credunt omnes, sese per Christi paßionem, mortem, ac preciosißimi sanguinis effusionem esse redemptos à peccatis, Satana, morte, & inferno. Proinde in Christi locum alios saluatores reponunt, nempe propria opera, merita, pietatem, atq; iustitiam, non fidei, sed carnis.

Cur ait S. Ioannes: Tres sunt qui testimonium dant: Spiritus, & aqua & sanguis?

Vt omnem ambiguitatem animis eximeret, et nos de

de fide certos crederet, tribus testimonijs comprobat atque cõfirmat, se uera docuisse de aduentu, meritisq; Christi.

Primò, Dei filium esse Christum, arguit ipsam aquam testari, hoc est, baptismum. Nam apertè S. Ioan. ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item: Mihi opus est, ut abs te baptizer, & tu uenis ad me, ut baptizeris?

Secundò, testari sanguinem, qui simul aquæ mixtus è Christi latere profluxit in cruce, qui cũcta mundi peccata abluit. Quippe qui per fidem sacro regenerationis lauacro baptizantur, non aliter habendi sunt, ac si per uisibilẽ emundationem sanguine Christi lauarentur, & à peccatorũ sordibus repurgarentur. Etenim delictorum remißionẽ nullis nostris operibus aut meritis assequimur, sed sola Christi morte, & preciosißimi sanguinis eius effusione, quemadmodũ ait Esa. 43. Ego sum, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Sed eam peccatorum deletionem Christus adnexit baptismo. Nec sanguis, quo peccata eluũtur, est taurorum, neq; sanguis hircorum, sed innocentis, immaculati, iusti, sanctiq; agni Christi sanguis, afferens uitam. Hinc tantam asperrimi tanquam smigmatis habet efficaciam, qua sordes, omnemq; delictorum immunditiam acriter erodit, mundificat, & temporis momento dißipat, ac tollit peccata simul ac mortem, adducitq; gratiã omnem, atq; uitam æternam.

Tertiò, spiritum dare testimonium in sanctis prophetis, Et cùm apud Iordanem in columbæ specie super Christum apparuit, & cùm in die Pentecostes idem missus Apostolis, Qui Chrstum in toto terrarum orbe prædicauerunt, testati filium eundem Dei uiuentis esse, omniumq; credentium saluatorem.

Hæc proculdubio sunt præclara de Christo testimonia?

Omni modo sunt magnifica, certa, penitusq; uera. Quis igitur ijs fidem non adhibeat? Quis de Christo dubitet? Quòd si testimonia dantibus hominibus credere solemus, cur non diuinis credimus testimonijs, quæ Spiritus, aqua, et sanguis produxerunt? Præsertim cùm patris æterni testimonium accedat, quemadmodū ait S. Ioannes, inquiens: Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, quoniam hoc est testimonium Dei, quo testificatus est de filio suo, Qui credit in filiū Dei, habet testimonium in seipso.

Quid S. Ioannes ijs uerbis intelligit?

S. Ioannis hæc est sententia: Quòd si tam de Christo testimonia nos ad credendum non permouerint, tum nostri Deus misereatur. De illo baptismus, deinde sanguis, qui in peccatorum remissionem effusus est, Postea testificatur Spiritus ille ueritatis, qui ab omnibus mendacijs alienus, hypocri

fi

sius ignorat omnem. Præterea testificatur pater & apud Iordanem, & in monte Thabor: Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, hunc audite. Quid igitur pluribus fuerit opus testimonijs? O beatos illos, qui talibus fidẽ adhibuerint, Infelices atq; perditos, qui contẽpserint. deus omnibus nobis donet, ut Christũ rectè cognoscamus, et in eo permaneamus semper, Amẽ.

DOMINICA MISERICORdia Domini, Epist. I. Petri II.

FRatres, Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremini uestigia ipsius. Qui peccatũ non fecerat, nec inuentus est dolus in ore illius: qui cùm maledictis incesseretur, non regessit maledicta: cùm malis afficeretur, non minabatur, sed tradidit uindictam ei, qui iudicat iustè. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quò peccatis mortui iustitiæ uiueremus. Cuius eiusdem uibice sanati fuistis. Nam eratis uelut oues errantes: sed conuersi estis nunc ad pastorem, & curatorem animarũ uestrarum.

Quid S. Petrus in hac docet Epistola?

Postquam in omni statu docuit homines, quo-

modo uiuere debeant in uocatione sua, seruos etiam fideliter admonuit, ut obediant, subditiq; sint dominis suis, non solum bonis, & humanis, uerum etiam prauis, iracundis, ac efferis. Sed cum respondere potuissent serui, atq; dicere: Quis omni tempore dominorum iras ac iniurias poterit perpeti? Quis omnibus subijci? Quibus S. Petrus occurrit, opponit exemplum Christi, dicens: Famuli subditi sitis cum timore Dominus, non solum bonis, uerum etiam malis. Nam hæc est gratia, si quis propter conscientiam Dei suffert molestias, præter meritum affectus malis. Quæ enim est laus, si cum peccantes alapis cædimini, sufferetis? At si cum benefacitis, & tamen malis afficimini, suffertis: Hæc enim est gratia apud Deum. Siquidem in hoc uocati estis, quoniam & Christus afflictus est pro nobis, exemplum relinquens uobis, ut insequeremini uestigia ipsius.

Qui per ea uerba S. Petrus intelligendum esse contendit?

Eorum contextu nobis tria proponit. Primum, nos Christi uestigijs inhærere, atque sequi debere. Deinde, quanam in re nos illum imitari: Tertio cur nos illius insequi uestigia debeamus.

Quidnam ait de primo?

Hæc S. Petri sententia: Qui discipulus Christi est, cum oportebit Christum sequi, crucemq; eius baiulare, ac uarias tentationum, aduersitatu, perfecu-

secutionum, atq; calamitatum afflictiones perpe-
ti. Hinc Christus ipse Lucæ 14. Quisquis non baiu
lat crucem suam, & uenit post me, non potest me-
us esse discipulus. Quem coloris, ac aulici uestimē
ti puduerit, eum Regis etiā. Sed Christus ait Mar
ci 8. Quemcunq; puduerit mei, in generatione hac
adultera & peccatrice, pudebit illius et filium ho
minis, ubi uenerit in gloria patris, cū angelis san-
ctis. At quò plus iniuriarum & afflictionū Chri-
stianus uerus patitur, eò propior ac maior est eius
felicitas. Vnde magnifica Demetrij illius Ethnici
uox, autore Seneca, Nihil, inquit, mihi uidetur in
felicius eo, cui nihil unquam aliud euenit aduersi,
Malè de illo Dij iudicauerunt. In summa, Christia
nos oportebit fieri conformes filij Dei. Quòd si
cum eo patimur, & unà cum illo glorificabimur,
ut ait S. Paulus, Roma. 8.

Quidnam dicit de secundo?

Christus (inquit) pro nobis afflictus est, qui pec
catum non fecerat, nec inuentus est dolus in ore il-
lius, qui cùm maledictis incesseretur, non remale
dixit: cùm malis afficeretur, non minabatur, sed
tradidit uindictā ei qui iudicat iustè. Quibus uer-
bis S. Petrus ostendit, quanam in re sequi debeamus
Christum, Q. d. omnia afflictionum genera filius
Dei Christus, animo tulit æquissimo. Neminem affe
cit iniuria, Neminem calumniatus fuit, sed omnia
Dei patris uindictæ reliquit. Docet igitur S. Pe-

trus, ad imitationem Christi nos componendos esse, ut sequamur exemplum eius, qui ait Matth. 11. Discite à me, quòd mitis sim, & humilis corde. Et Lucæ 6. Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos. Benedicite maledicentibus uobis, & orate pro calumniantibus uos.

Suntne huius imitationis ad manum exempla?

Maximè: Etenim quæ Christus ipse uerbo docuit, ea compleuit opere, cœpit enim tum facere, tum docere, ut S. Lucas ait. Orauit pro crucifigentibus se, dicens: Pater, remitte illis, nesciunt enim quid faciant, Lucæ 23. Sic fratrum suorum iniurias patienter tulit Ioseph, omnia deo committens. Consimiliter Dauid filij sui Absolon, & Semei calumnias. Item S. Stephanus orauit pro suis inimicis, inquiens: Domine, ne statuas illis peccatum hoc. Quæ exempla nos Christiani debemus imitari, nō ultionem quærere, aut de inimicis uindictam, sed ei tradere, qui iudicat iustè, nempe Deo, qui ait: Mihi uindicta & ultio, Ego retribuam.

Vbinam de tertio, quod nobis proposuit S. Petrus, agit?

Inibi sic ait: Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignū, quò peccatis mortui, iustitiæ uiueremus. Cuius eiusdem uibice sanati fuistis. Nam eratis uelut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & curatorē animarum uestrarum

ſtrarum. Quibus uerbis indicat cauſam, cur imitari debeamus Chriſtum, nempe propter id, quòd ipſe noſter amicus, iuſtificator atque ſaluator ſit. Imò noſter paſtor, atque pontifex ſummus. Illum quidem ipſum in prædictis imitari, nempe cruce, paßione, patientia, longanimitate, imò Chriſtiana conuerſatione atq; uita ſancta. Cæterùm prouidere debemus atq; cauere, ne nobis ex eiuſmodi factis quæramus iuſtificationem, quam humana opera nulla, neq; merita conſtituunt, ſed Chriſti ſola merita conferunt, qui ſe ſolum morti pro nobis tradidit, atq; ſolus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum &c. Etenim per Chriſtum ſolum nos à Satana, morte, peccatis, & inferno liberati ſumus. Eius ſolius uibice, atq; ſanguine ſancti, per eius unius mortem ac infernum, adepti ſumus cœlos, atq; uitam æternam ſortiti. Cùm igitur ipſe Chriſtus pro nobis crucifixus, mortuus, & ſepultus, ſua morte peccata noſtra deleuit, reſurrectione ſua nobis ſuam iuſtitiam impertiuit, atq; ſpiritum ſuum donauit, ut iuſtitiæ uiueremus: æquißimum igitur erit, ut Chriſti ſpiritum ſequamur, nec ullum ueteris Adami licentiæ relinquamus locum, neq; permittamus ut in nobis peccata dominentur.

Quomodo fiet hæc imitatio?

Ad Dei gloriam, & gratiarum actionem, crucifigere debemus noſtram carnem, atq; peccata deuita-

uitare, ne per ingratitudinis crimen, causa nostra deterior reddatur.

Quid ita?

In Satanæ, mortis, & inferni potestatem fuimus semel redacti, sed in libertatem à Christo potenter asserti, & à funestis hostium nostrorum omnium faucibus erepti. Restabit igitur, ut gratias agamus, et curemus, ne temerè atq; uecorditer in hostium eiusmodi crudelißimorum manus recidamus, néue relapsi pereamus. An ignoratis (inquit S. Paulus Roma. 6.) quòd quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Q. d. Quòd si Christiani facti estis atque sacro regenerationis lauacro renati, salutifera Christi uestigia imitamini. Quòd si per humanam fragilitatem in peccata relapsi fueritis, resurgite fœderis memores, quod in baptismo Christus uobiscum pepigit. A peccatis cessate, ad Dominum reuertimini, pœnitentiam agite. Et cùm rectam fueritis uiam ingreßi, non desides & ociosi state, sed quod bonum est operamini, non retrò cedite, in pristinam sceleratam uitam relabendo, et ueluti canes ad uomitum redeundo, sed in bonis progredimini, cum Apostolis orantes: Adauge nobis fidem Domine. Bona semper opera, atq; fructus fidei producite, in proximi utilitatem. Quòd si Deus tentationes, afflictiones, aut calamitates immiserit, ea sufferte patienter. Quòd si moriendum fuerit, ne timeatis mortem,

mortem, scientes baptisma signum esse, quod argu at Christi mortem nostram esse. Quemadmodum igitur Christus Satanam, peccata, & inferna debellauit atq; deuicit, sic & nos in Christi nomine sumus exuperaturi Satanam, mortem, peccata, & inferna, resurrecturi in nouißimo die, & in æternum uicturi.

Quænam igitur est horum ultimorum huius Epistolæ uerborum summa?

Nos oues Christi sumus, ipse pastor atq; pontifex summus. Ille pater noster, nos miseri filij. Ille Dominus, nos ministri atq; serui. Ille noster magister, nos discipuli, nos opera manuum eius, et oues pascuæ. Christus Architectus, nos ligna, atq; materies. Ille figulus, nos argilla. Quòd si boni aliquid à nobis profluere debet, oportebit nos ab illo præparari, dedolari, & expoliri. Quemadmodum nullos terra fructus ediderit, nisi primò sulcus præmollitus semina fouerit: ita nihil boni produxerit homo, nisi prius à diuino numine data fuerit fœcunda benefaciendi bonitas: aliàs uer, quod aiunt, ex anno fuerit sublatum. Proinde S. Paulus dit in hanc sententiam: Filij dilecti, permittite Christum esse atq; manere pastorem uestrum, atque pontificem, uestram satisfactionem, iustificationem, redemptionem, atq; saluationem. Honorem atq; gloriam suam illi non detrahite, qui solus ue-

strorum

strorum peccatorum sit abolitor, mortis interfector, & expugnator inferni, & præter hunc ipsum alius nemo peccata sustulit, mortem supplantauit, inferna deuastauit, ac cœlos aperuit. Sit igitur hic unus uester mediator, intercessor, iustificator, atq; saluator. Eius uestigia sequimini per rectam, synceram, atq; uiuam fidem, per charitatem non fictam, per ueram carnis mortificationē, imò rectam conseruationis Christianæ rationem, habitum, atq; uitam sanctam. Quod alijs uitio uertatis, ipsi ne feceritis, nec quod uobis nolitis fieri, commiseritis. Sint eiusmodi uestra bona opera, uerè euidentia argumenta fidei, fructus bonæ arboris, & certißima Christianæ uitæ indicia, Quibus ubertim prolatis, uos oues suas, Christus ad optima atq; salutifera pascua deducet: in hoc seculo, uerbi sui, & agnitionis diuinæ: in futuro, uitæ æternæ. Amen.

DOMINICA IVBILATE.

Epistola, I. Petri II.

FRatres dilecti, Obsecro tanquam aduenas ac peregrinos, abstinete à carnalibus cōcupiscentijs, quæ militant aduersus animam: & conuersationem uestram habete honestam inter gentes, ut in hoc quod obtrectant uobis, quasi maleficis, ex bonis operibus æstimātes

uos, glorificent Deum in die uisitationis. Proinde, subditi estote cuiuis humanæ creaturæ, propter Dominum: siue regi, tanquam præcellenti: siue præsidibus, ut qui per eum mittantur, ad uindictam quidem nocentium, laudem uerò rectè agentium. Quoniam sic est uoluntas Dei, ut benefaciendo obturetis os hominibus stultis & ignorantibus: tanquam liberi, & non ueluti prætextum habentes malitiæ libertatem, sed tanquam serui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorate. Famuli subditi sint cum timore dominis, non solùm bonis ac humanis, uerumetiam prauis. Nã hæc est gratia, si quis propter conscientiam Dei suffert molestias, præter meritum affectus malis. Quæ enim est laus, si cùm peccantes alapis cædimini, sufferetis? At cùm benefacitis, & tamen malis afficimini, suffertis: Hæc enim est gratia apud Deũ.

Quid S. Petrus in hac docet Epistola?

Tria præcipuè tradit. Principiò, Mortificationem ueteris hominis. Deinde, conuersationem hominis inter omnes bones. Tertiò, Obedientiã. De quibus ut magis perspicue differeret, triplici utio

utitur admonitione. Primò Christianos omnes adhortatur, ut à concupiscentijs carnalibus abstineant, & inter gentes inculpatam seruent uiuendi normam. Deinde, ut subditi sint humanæ cuiuis ordinationi, atq; magistratui. Postremò famulos admonet, ut cum timore dominis obediant.

Quænam primæ sunt admonitionis uerba?

Sic ait S. Petrus: Dilecti, obsecro uos tanquam aduenas & peregrinos, abstinete à carnalibus cõcupiscentijs, quæ militant aduersus animã. Q. d. Vos iam estis superstructi super ueram petram, nempe Christum, habentes totam in ipso ueramq; iustitiam, ut prorsus optimum esset uos dissolui, et esse cũ Christo: uerùm quia Deus uult diutius uos in uita superstites esse, sanguinis atq; carnis mole sic grauatos, ut malarum cupiditatũ expertes non sitis futuri, restabit igitur, ut aduersum carnales istas concupiscentias militetis. Nec cogitabitis uos dormitando, stertendo, aut ioculariter agendo prauis affectibus resistere posse, Viribus summis erit opus ut reluctemini. Fortes igitur estote, atq; sobrij. Vigilate, quoniam aduersarius uester Diabolus tanquam Leo rugiens obambulat, quærens què deuoret, Cui resistite solidi fide, 1. Pet. 5. Quæ quò fuerit ardentior, atq; maior, tantò uehementior erit futura Diaboli tentatio. Cùm adhuc tenera fuerit, ac imbecilla fides, leuiora sunt ad-
uersarij

uersarij tela: quàmprimum autem Christiani cœperint piè uiuere, tum centies, imò millies plus ingruent, quàm ante, malæ cogitationes, atq; Satanæ machinationes, ac insidiæ.

Nulla quies igitur, nulla pax in hoc mundo?

S. Iob inquit: Militia est uita hominis super terram. Est perpetuum bellum, & aßidua pugna Christianorum in hoc seculo, non aliter atq; militum in castris. Et Deus exercituum copias semper eductas habet, contra Satanam atq; portas infernales. Euangelij tuba uocem edit ubiq;, claßica sonant, signa canunt, & militares adhortationes aures implent, resiste fortiter hic, resiste potenter illic, feri, punge, macta hic, prosterne, & trucida illic. Quod prælium statim post baptisma incipit, ac durat ad extremam usq; mortis horam.

Cur abstinere debemus à carnalibus concupiscentijs?

Duas propter causas.

Quænam est prior?

Quoniam in hoc seculo sumus hospites, aduenæ atque peregrini, & æternæ patriæ ciues, insiti Christo per fidem, debemus uti bonis terrenis, ad solam Dei gloriam, ad cõsolationem ac utilitatem proximi, nostramq; neceßitatem. Quoniam autem hospites in hac terra sumus, uiatorum atque peregrinorum exempla debemus imitari, Qui ap-

petente uesperæ in diuersoria sese recipiunt, ac im-
pensis sumptibusq; necessarijs factis corpora cu-
rant, primo autem mane cubitu surgentes, ad con-
stitutum iter reuertuntur: Sic nos hic non habe-
mus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.
Hebr. 13. Dicit igitur S. Petrus in hanc sententiam:
Charissimi, cogitate uos in eiusmodi taberna uelu-
ti meritoria uersari, in qua tabernarium atq; cau-
ponem agit ipse Diabolus, qui mendacij pater atq;
homicida quærit omni momento uos disperdere:
corporaliter, igne, aqua, ueneno, gladijs. spiritua-
liter autem erroribus atq; doctrinis falsis. Proin-
de sagaciter circumspicite, atq; prouidete, ne im-
prudentes opprimamini. Nam insidiator ille uarijs
dolis instructus est, ac mille artifex, qui nunquam
cessat, sed omnem aßiduò lapidem mouet, ac in id
neruos omnes intendit, ut uos caßibus suis irreti-
tos capiat atq; trucidet, Quod facilè poterit, si a-
licuius uos criminis reos, aut parum cautos, pa-
rumq; prouidos offenderit.

Quænam est altera causa?

Quandoquidem in hoc mundo Christiani pas-
sim audiunt malè, ubiq; odio habiti, sic forinsecus
uiuere debemus & ætatem exigere, ut bonis ex-
emplis, honestaq; uiuendi ratione uulgo præfulgea
mus. Quod etiam Christus docet, Matthæi 5. in-
quiens: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut
uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem
uestrum

nostrum, qui est in cœlis. Et Philip. 2. Tales sitis, ut nemo de uobis queri poßit, synceri Dei filij, irreprehensibiles in medio nationis prauæ ac tortuosæ, inter quos lucete tanquā luminaria in mundo. Quo facto Ethnici, ac infideles confiteri cogerentur, atq; dicere: Quis accusare poterit Christianos, homines incorruptos atq; sanctos, qui neminē afficiunt iniurijs, nec inferunt alicui damna? Sic temporibus Imperatoris Traiani C. Plinius Cæcilius Secundus in Epistolis scripsit de Christianorum cœtu, quòd essent soliti stato die ante lucē conuenire, carmenq; Christo Deo dicere secum inuicem, seq; sacramēto, nō in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria cōmitterent. Nihil igitur esse, quod de Christianis conqueri posset, cùm innocentes, pij & obedientes inuenirentur. Qua re cōmotus Cæsar, tertiam, qua Christianos afflicturus erat, persecutionem omisit, ac mandato uetuit Christianos supplicio affici, aut quempiam occidi.

Quænam secundæ sunt orationis parænetica uerba?

Sic ait S. Petrus: Subditi estote cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum, siue Regi, tanquam præcellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittā tur, ad uindictam quidem nocentium, laudem uerò rectè agentium.

Quænam est horum uerborum sententia?

Omnes Christianos adhortatur, ut subditi sint ac obediant magistratui, atque omnia, quæ iusserit, decreuerit, atq; cõstituerit ille, non repugnantia Deo, obseruent, ac imperata faciant, idq; propter Deum, cuius sunt filij. Vult igitur S. Petrus, ut in rebus externis ad publicam pacem, cõmunemq; fouendam concordiam, obtemperemus supereminentibus potestatibus. Etenim quia non homines omnes credentes, nec uniuersi pij sunt, sed plerique mali atque præfracti, sic ordinauit ac constituit Deus, ut gladium gestaret magistratus, ac terrori esset non bene agentibus, sed malè: supplicia prauorum, bonorũ autem propugnacula, atq; præsidia: ne mutuis arrosum morsibus, atque periculis consumptum genus humanum in perniciem delaberetur. Quamuis autem ab omnibus, quæ conscientiã obstringunt aut diuexant, legibus per Christum liberati simus, tamen magistratui, præsertim contra Deum nihil imperanti, debemus obedire, non coactè, sed sponte nostra, proximi causa, quemadmodum Christus, Matt. 17. didrachma soluit, licet ipse liber, nullis legibus obnoxius esset ac omnium Dominus. Sequamur igitur exemplum Christi tanquam Dei serui, nõ libertate spiritus abutamur ad offendiculum, aut impietatis prætextum.

Quid autem faciemus, si magistratus ea, quæ contra fidem, aut Dei legem fuerint, imperauerit?

Quòd

Quòd si Papa, Episcopus, prætor, princeps, Rex aut Cæsar ex te quæsiuerit fidei tuæ rationē, liberè confiteri debes. Sic enim ait S. Paulus Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Cæterùm si morte tyrannorum magistratus ad hoc, uel illud credendum, ad hanc humanarum inuentionum legem obseruandam impulerit coëgeritq́;, intrepidè respondebis, Non sutoris esse ultra crepitam iudicare, nec magistratus ea decernere, quæ sint ab ipsius professione aliena. Deo suum imperium relinquendum, & suum magistratui. Quòd si mundana potestas ferre non potest aliquam reguminis sui diminutionem, aut transgressionem, & si quis per uiam sine cōductu saluo perrexerit, ultrices statim manus incurrit: multò minus ipse Deus est passurus in imperio suo dominationem alienam & exoticas leges: Ait enim Esa. 48. Gloriam meam non dabo alteri. Suis igitur officijs magistratus fungi debet, & res humanas (hinc ordinationem humanam. S. Petrus appellat) administrare, Deo autē imperiū suum relinquere, Quod nemo melius, quàm ab ipso factum sit, poterit reddere.

Quænam tertiæ sunt admonitionis uerba?

Famuli subditi sint cum timore Dominis, non solùm bonis & humanis, uerumetiam prauis. Quibus uerbis S. Petrus adhortatur seruos, ancillas,

atque totam familiam, ut Dominis suis ac heris bonis siue malis, mansuetis siue iracundis, obtemperent, ac obediant. Et præcipuè loquitur de seruis, in quos Domini tantum habebant imperium, ut licuerit more pecudum uendere, aut crudelius etiam tractare. Cùm igitur atrociùs exercerentur serui, persuadebãtur ab Apostolis difficulter, atq; ægrè permouebantur ad obediendum Dominis asperioribus, & iniurias eorum ferendum. In hanc itaq; sententiam ait S. Petrus: Omnem Christianũ oportebit suam crucem ferre. Et quò plus is patitur iniuriarum, tantò melior eius conditio, propterq; salus reputabitur. Sunt enim beati Christiani, qui præter meritum dura patiuntur. Ait enim Christus Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Atqui uanissima eorum est gloriatio, qui promeritis afficiuntur malis, & peccantes alapis cæduntur. Benedictionem igitur atq; gratiam apud Deum inueniunt, qui propter pietatem, ac iustitiam Euangelicam affliguntur.

Debéntne serui semper subijci dominis seueris, atq; difficilibus, quibus nemo gratum obsequium poterit præstare?

Ad hoc S. Petrus respondet, inquiens: Qui serui uoluerint esse Christiani, atq; Deo placere studuerint, non considerent, neq; respiciant Dominorum suorum morositatem, & amarulentiam, sed

contemplentur ac audiant, quæ Christus præcipiat. Sic igitur cogitent, secumq; reuoluant: Qualescunque sint Domini nostri, uel heræ, mansueti siue immites, boni seu praui, tamen libenter ijs inseruiamus, idq; propter Dominum Deum, cuius hæc est uoluntas, atq; mandatum Et propter nos Christus seruus factus humiliauit semetipsum. Quicquid iusserit dominus uel hera, mandatum Dei omnipotentis arbitrabimur. Imperata igitur facientibus non tanquam hominis, sed Dei præceptis obsequemur. Hinc S. Paulus ad Coloss. 3. Serui, inquit, obedite per omnia ijs qui domini sunt secundum carnem, non obsequijs ad oculum exhibitis, tanquā hominibus placere studentes, sed quicquid feceritis, ex animo facite, tanquam Domino. Quomodo serui & ancillæ possent maiorem accipere consolationem, quā iuxta S. Pauli sententiam, non dominis, sed ipsi Christo seruire prædicantur?

DOMINICA CANTATE
Epistola, Iacobi I.

FRatres, Omnis donatio bona, & omne donum perfectum, è supernis est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut conuersionis obumbratio, Is destinata uoluntate progenuit nos sermone ueritatis, ut

essemus primitiæ quædam suarum creaturarũ: Itaq; fratres mei dilecti, sit omnis homo uelox ad audiendũ, tardus ad loquendum, tardus ad iram. Nam ira uiri iustitiam Dei non efficit. Quapropter deposita omni immunditia & redundãtia malitiæ, cum mansuetudine recipite insitum sermonem, qui potest saluas reddere animas uestras.

Quidnam S. Iacobus in hac efficit Epistola?

Omnes adhortatur Christianos ad uera bona opera, Cumprimis autem uerbi ministros admonet, ut caueant atq; deuitent ambitionem, cùm sit nullũ aliud crimen quod æquè prædicationem Euangelicam prophanet atq; contaminet, quàm nimia honorum atq; laudis cupiditas, ad quam si pecuniæ studium accesserit, tum camino fuerit oleũ, et morbo, quod aiunt, morbus additus longè periculosior.

Quomodo Epistolam auspicatur:

Præcedentibus Epistolam uerbis ostendit, omnem malitiam non ex Deo prouenire, sed à praua cordis peruersi concupiscentia: postmodum declarat, omnia bona à Deo proficisci. Ne erretis, inquit, fratres mei dilecti, Omnis donatio bona, & omne donum perfectum è supernis est, descendens à patre luminum &c. Q. d. Quòd si uos Satanas,

nus, aut carnis uestræ concupiscentia tentauerit, & ad ambitionem solicitauerit, ne consentiatis, ne qu locum detis aduersario, Nemo uestrûm efferat & extollat seipsum, aut glorietur de acceptis à Deo donis, sed humiliemini, atq; alijs, quemadmodum Christus Dominus fecit, subijciamini, scientes omnia corporis & animæ bona à Deo conferri.

Quid præcipuè S. Iacobus nobis in hac proponit Epistola?

Tria potißimùm. Primò, Omne bonum corporis aut animi à Deo proficisci, etiam nouam regenerationem, hoc est, sacrum baptismatis lauacrũ, quo per diuinam ueritatem filij Dei reddimur. Secundò, formam atq; modum præscribit, quo Dei Verbum audire, atq; idem alios docere debemus. Tertiò, quales ex audito Verbo Dei fructus soleant promanare.

Quidnam de primo dicit?

Omnis, inquit, donatio bona, & omne donum perfectum è supernis est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut conuersionis obumbratio. Q. d. Quicquid in nobis bonum relucet, siue id corporalium, siue spiritualium sit rerum, omne consecuti sumus à Deo. Atque hoc dictum fortißimum est contra eos, qui in causa iustificationis aliquid attribuunt nostris uiribus, ac humanæ uirtuti. Qui licet dicant, atque clament, nos posse per opera nostra hoc, uel illud à

Deo promereri, tamen hæc scriptura potenter contra illos pugnat, asserens, omne, quod in nobis bonum præpollet, non à nobis, sed ab ipso Deo promanare. Hinc illud est, quod S. Paulus ait, 1. Corinth. 15. Gratia Dei sum id quod sum.

Quænam sunt corporalia bona, uel dona?

Pax, sanitas, robur, fortitudo, forma, sagacitas ingenij, mentis acumen, uisus acutus, obedientia, pecunia, opes, diuitiæ, secundus Reip. status, prospera tempestas, amici fideles, boni uicini, uxor honesta, obedientes filij, & similia.

Quænam sunt bona spiritualia?

Honestas, pietas, comitas, mansuetudo, fides, charitas, iustitia, gratia, longanimitas, Dei uerbũ, Euangelica ueritas, Testamentum Christi, patientia in tribulationibus, Et consimilia spiritus dona, atq; fructus. Hæ sunt donationes Dei, quæ nobis per gratiam diuinam suppeditantur, nullis humanis operibus, aut meritis impetrantur. Quid autem nos boni poterimus promereri, qui natura mali sumus? Qui steriles atque cariosæ sumus arbores, uitiosißimum proferentes fructum. Matth. 7. Putris arbor, fructus facit malos. Verumenimuerò quicquid in nobis malum, atq; damnabile fuerit, id uerè nostrum est, contrà quicquid boni reluxerit, id à Deo profectum est, quemadmodum Ozeas inquit, Saluator non est præter me. Cap. 13. Salus tua

tua in me solo reposita est. Ergo solus Deus nos pios, iustos, sanctos, atque beatos efficit, non arbitrium nostrum, non ratio, non opera, nec merita nostra. Non sumus idonei per nos aliquid cogitare. Nam si quid ualemus, aut possumus, id à Deo nobis omne prouenit. Hinc S. Paulus 2. Corin 3. dicit, inquiens: Fiduciam habemus per Christum erga Deum, non quòd idonei simus ex nobisipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobisipsis, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Si qua fuerit igitur in nobis cogitatio sancta, Si quod uerbum salutare, dictum sapiens & opus aliquod bonum, id in nobis ipse producit Deus, qui bonitatis omnis fons, pater omnis sapientiæ, uerus munerum dator, atq; Dominus salutis, Quemadmodum autem ille ipse bonum est summum, nihil aliud potest distribuere, uel elargiri, quàm mera bona.

Cur Deum appellat luminum patrem?

Quoniam apud Deum nullæ sunt tenebræ, nulla transmutatio, aut inuersionis adumbratio, sed mera lux atq; claritas æterna. Nec est apud illum instabilis uacillatio, mutabilitas, aut leuitas, sed firma constantia. Nostri dies sæpenumerò per uitiorum noctē, aut erroris nubes obscuramur, sed apud Deū est obtenebratio nulla, sed æternus ueritatis splēdor. Nostra sapientia sæpius occæcatur mendaciorum caligne, sed apud Deum coruscat æterna ueritas. Hinc dicitur luminum Pater, fons

uitæ,

uitæ, & omnis ſapientiæ theſaurus. Quod cum ſciamus uerum eſſe, debemus omnem mouere lapidem, ut è tenebris, mendacijs & erroribus emergamus, atq; nos diuini luminis, atq; ueritatis participes faciamus: quod ſi præſtiterimus, ut obedientes filij Deo patri conformes reddemur.

Cur ait: Is destinata uoluntate progenuit nos ſermone ueritatis, ut eſſemus primitiæ quædam ſuarum creaturarum?

Hiſce uerbis oſtendit noſtram natiuitatis originem malam, imò peccatum, atq; maledictionem ipſam fuiſſe. A Deo autem nos ad ſalutarem filiorum ſuorum adoptationem uocatos, & per regenerationem, hoc eſt, baptiſmum, ut recens natos Dei filios in gratiam receptos.

Quomodo contingit ea regeneratio?

Deus omnipotẽs pater, cœleſte ſemen, hoc eſt, Euangelicã doctrinam per filij dilecti Chriſti prædicationem ſpargit, atque ſeminat inter nos. Qui iam uerbum illud benedictum auribus percipiunt, & apprehendunt corde credente, atque cuſtodiunt: regenerantur, atq; fiunt Dei filij, Quod etiam S. Petrus teſtatur, inquiens, 1. Petri 1. Renati eſtis non ex ſemine mortali, ſed immortali, per ſermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum.

Cur nos regenuit Deus?

Vt essemus primitiæ suarum creaturarũ, hoc est, ut populus sanctus refulgeremus, ab omnibus alijs separati populis atq; gentibus, nempe Iudæis, Turcis, atq; falsis Christianis. Nos, inquam, ut genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, prædicaremus illius gloriam, qui nos è tenebris ad lucem suam admirabilem uocauit. Et scriptura primitias appellat precipuos atq; certos hæredes, omniumq; rerum atq; facultatum dominos. Eadem ratione S. Iacobus omnes Christianos, qui per sacrũ Baptismatis fontẽ induerunt Christum, uocat primitias, eosq; dominos mortis, Satanæ, peccati & inferni, cœlestem hæreditatem expectantes.

Quidnam S. Iacobus dicit de secunda huius Epistolæ parte?

Fratres, inquit, charißimi, Omnis homo uelox sit ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad irã. Q. d. Quandoquidem per Euangelij prædicationem peruenistis ad salutarẽ Dei filiorum adoptionem: atq; Dei uerbum affert, secumq; portat spiritum atq; uitam, facit itẽ Dei filios & hæredes, adhortor ut uos noua ista regeneratione diuina condignos, & idoneos exhibeatis, adiutos gratia Verbi cœlestis, Atq; hoc ipsum diligenter audiatis, non negligatis, nec aspernemini.

Cur ait: Sitis ad audiendum ue loces, tardiores ad loquendum?

Quoni-

Quoniam proniores debemus esse ad Dei uerbum audiendum, quàm proferendum.

Cur ita?

Quamuis Episcopi munus appetens, honestum opus desideret, 1. Timoth. 3. tamen is in hoc diligenter incumbet, ut de sana doctrina certus sit, ac eruditione uera præditus. Quemadmodum autem glorio'um est atque salutiferum Verbi ministerium, si recta institutione fructum protulerit: ita noxium atque pestiferum, si commissum fuerit ijs, qui rerum ignari consecuti sunt nullum scripturæ intellectũ. Proinde S. Paulus uetat, neophytis citò manus imponendas, nec Episcopi munus nouitijs committendum esse. Dicit igitur S. Iacobus in hanc sententiam: Non e uestigio, postquàm unam aut alteram concionem audiuistis, in publicum progredi debetis, ac ueluti gemium doctores, Verbum Dei prædicare, hoc est, pro inscitia uestra tractare, atq; contaminare: sed uos oportebit scripturas scrutari prius, atq; studere diligenter, quàm alios docere præsumatis, ne discipuli prius quàm magistri uideamini, nec antè prædicatores, quàm ad eam prouinciam subeundã idonei sitis, aut uocati. Estote ergo libentius auditores quàm doctores. Etenim periculi multò minus est in audiẽdo, quàm docendo. Et est tẽpus loquendi, tempus item audiendi.

Cur ait: Tardus ad iram?

Quoniam, inquit, si propter intempestiuas con

ctiones fueritis aliquando reprehensi, debetis eam redargutionem familiariter ferre, non statim animo ringi, sed emendari, melioresq́; reddi. Nihil enim boni parturit, nec Dei iustitiam efficit ira, quæ procreat contentiones, dißidia, inimicitias, homicidia, cædes, & breuiter omnia mala.

Quidnam de tertia huius Epistolæ parte dicit?

Quapropter, inquit, deposita omni immunditia, & superfluitate malitiæ, cum mansuetudine recipite insitum sermonem, qui potest saluas reddere animas uestras. Q. d. Quòd si uolueritis ut uerbi diuini semen in uobis adolescat, radices agat, fructumq́; ferat, non scelerum atq; flagitiorum inquinamentis enectum, suffocatumq́; pereat, deponite malitiam omnem, & cordis immunditiam. Nam illud semen exigit atque requirit bonum agrum, corda pura, & fideles, credentesq́; animos, non petricosos neque spinosos. Proinde nos oportebit omnia extirpare zizania, lolium eradicare, tribulos, sentes, ac id genus inutilium ac noxiarum herbarum excidere, hoc est, ueterē, cum omnibus suis concupiscentijs ac iniquitatibus, hominē exuere, abijcere, ut liberi, alieniq́; sitis ab omni superbia, auaritia, immodestia, odio, atq; ira, Item ab omni fraude, dolo, & impostura in proximum. Sic igitur alijs facite, quemadmodū nobis fieri uelitis. Cæterùm qui sunt ambitiosi, auari,

uari, priuataeq; commoditatis amantes, ij nondum Verbi diuini sunt capaces. Quod enim consortium iustitiae cum iniustitia? aut quae communio luci cũ tenebris? aut quae concordia Christo cum Belial? 2. Corinth. 6.

Quaenam est huius Epistolae summa?

Christianos non oportebit adscribere sibi quod uel maximum, uel minimum fuerit, sed attribuere Deo, eiq; soli gloriam dare: Et quoniam per sacrã Baptismi regenerationem filij Dei facti sunt, iustitiamq; fidei, quae sola ualet apud Deum, examussatim didicerunt, debent etiã iustitiam operum, quae probatur ab hominibus, perdiscere: Ad quod praecipuè conducit, non ad dißidia, contentiones, uel iram suscipere Dei uerbum, sed ad aedificationem audire corde mansueto atq; syncero. Proinde tãquam bonum agrum praeparate corda uestra, ut insitum uerbum uires inquirere, in corpus ire, atq; fructum producere poßit. Quo facto, uestras animas reddet saluas. Nam Euangelium est potentia Dei, ad salutẽ omni credenti, Roma. 1. Et Christus ait, Ioan. 8. Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in aeternum. Et Ioannis 5. Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam aeternam, & in condemnationem non ueniet, sed transiuit à morte in uitam, Amen.

DOMI-

DOMINICA VOCEM IOcunditatis, Epistola, Iaco. I.

FRatres, Sitis effectores sermonis, & nõ auditores tantùm, fallentes uosmetipsos. Quoniam si quis audiat sermonem, nec eum factis exprimat, hic similis est uiro consideranti faciem natiuitatis suæ in speculo: Considerauit enim seipsum, & abijt, & continuò oblitus est qualis esset. At qui prospexerit in legem perfectam, quæ est libertatis, & permanserit, hic, quum sit non auditor obliuiosus, sed effector operis, beatus facto suo erit. Si quis uidetur religiosus esse inter uos, qui non frenat linguam suam, sed aberrare sinit cor suum, huius non est religio. Religio pura & immaculata apud Deum & patrem hæc est, inuisere orphanos & uiduas in afflictione sua, immaculatum seipsum seruare à mundo.

Quidnam S. Iacobus in hac operatur Epistola?

Non de fide, nec de eius iustitia disserit, neque tractat, sed de operum iustitia. Atq; reprehendit eos, qui sese putant iustificatum atq; saluatum iri per solam fidem historicam, hoc est, cùm articulos fidei de incarnatione, paßione, morte, atq; re-

surrectione Christi solummodò fuerint ore confessi, licet nullos fidei fructus, & opera bona producant. Cuius farinæ homines fuere semper, & adhuc inueniuntur.

Quænam igitur in hac Epistola nobis proponuntur?

Triplicis ea sunt generis. Primò Christianos admonet, ut non auditores tantùm, sed effectores diuini Verbi studeant esse. Secundò exhortatur eos, ut sibi caueant ab inani garrulitate, uanisq; colloquijs, cùm eadem Dei cultum ab homine præstitũ, corrumpant & ad nihilum redigant. Tertiò uerũ Dei cultum indicat, nempe, orphanos ac uiduas in afflictionibus inuisere, consolari, manumq; porrigere, & seipsos immaculatos à mundo seruare.

Quæ primæ sunt admonitionis uerba?

Sitis, inquit, effectores sermonis, & non auditores tantùm, fallentes uosmetipsos. Quæ ualde necessaria prædicatu. Quis enim eam ut ingentem iactet fidem, aut de doctrina glorietur Euangelica, cui repugnet contraria uita, mores, conuersatio, atq; opera? Quòd si quis arbor bona, hoc est, fidelis, & homo pius appellari debet, necesse erit, ut boni fructus, hoc est, honesta uita sequatur, Aliàs mera fuerit hypocrisis, atq; fucus.

Quosnam S Iacobus effectores sermonis appellat?

Eos

Eos ita uocat, qui Christiani factis exprimunt Euangelium, non auribus tantùm percipiunt, sed cordibus insigunt, & iuxta illud, productum ad opera, uiuunt.

Quosnam uocat diuini sermonis auditores?

Qui cœleste uerbum auribus tantùm audiunt, atq; ore confitentur, sed cordi non imprimunt, nec secundum eius doctrinas salutares uitam instituunt, neque bonos fructus producunt, sed tantùm in ore, linguisq; supernatare permittunt.

Qualia S. Iacobus exigit opera?

Non ab hominibus excogitata, sed diuina, quæ Dei uerbo sunt inclusa, Euangelioq; comprehensa. Qualia sunt, Deum super omnia diligere, atque proximum ut seipsum: Esurientibus cibum, sitientibus potum dare, nudos uestire, ægros inuisere, afflictos consolari &c. Orare, ieiunare, Eleëmosynas præbere, & consimilia &c. In quam sententiam loquitur Christus, Matthæi 7. Omnis qui audit ex me sermones hos, & facit eos, adsimilabo illum uiro prudenti, qui ædificat domum suam super petram &c. Omnis autem qui audit à me sermones hos, & non facit eos, aßimilabitur uiro fatuo, qui ædificauit domum suam super arenam.

Quid Iacobus intelligit per ea uerba: Sitis effectores sermonis?

Haec est eorum sententia: Quòd si Christiani, atq; filij Dei uultis esse, non oportebit irrideri Deum à uobis, ipsum ore, linguis, & inani clamore confitentibus, atq; laudantibus, sed decebit uos recta fide praeditos esse, in syncerioris uitae nouitatẽ transgressos, non Dei uerbum auribus tantùm accipere, sed auditum imis sensibus reponere, & bonis operibus exprimere. Nam Christus ait, Lucae 11. Beati, qui audiunt Dei uerbum, & custodiunt illud. Non enim sufficit audire tantùm, sed animo concipere, custodire, opere perficere, & secundũ eius praecepta totam uitam dirigere. Quòd si autem uolueritis fidem uestram ostendere, et ueram testari per opera, ea facite, quae sunt in Euangelio prodita, diuinisq; praeceptis fundata opera.

Cuinam S. Iacobus eos comparat, qui tantùm uerbi sunt auditores?

Si quis, inquit, audiat sermonem, nec eum factis exprimat, hic similis est uiro consideranti faciem suam in speculo: Considerauit enim seipsum, & abijt, & continuò oblitus est qualis esset. Haec elegans est similitudo. Quemadmodum in speculo uisa imago statim euanescit, ac traditur obliuioni, sic etiam externus Verbi auditor uanus iudicatur,

tur, qui sermonem diuinum nō operibus exprimit, nec in corde semper fixum habet, neq; uitam instituit ad Euangelij doctrinam.

Quidnam de Verbi effectoribus dicit?

Sic ait: At qui perspexerit in legem perfectam, quæ est libertatis, & permanserit, hic cùm sit non auditor obliuiosus, sed effector operis, beatus facto suo erit.

Quidnam appellat legem perfectam?

Eo nomine uocat Euangelion, nam hæc est perfecta doctrina, quæ sola conscientiam hominis liberam facit, gaudioq; perfundit. Nam ubi fuit unquã in lege Mosaica perfectio? Certè si lex pios, iustos, perfectos efficere potuisset, tum non fuisset necesse Christum nasci, & aliam Euangelij doctrinam, qua lex abrogaretur, introducere. Vbi item fuit in lege libertas? Mera profectò seruitus inibi fuit, libertas nulla. Christus igitur ait, Ioan. 8. Si uos Filius reddiderit liberos, uerè liberi estis.

Quid ea uerba planius docent?

Hæc significat: Beati sunt, qui Dei uerbum, & doctrinam Euangelicam sic audiunt, ut habeant in corde semper, & aßiduò, quemadmodum clarissimũ speculũ, contẽplentur, quod iuxta illud Psal. 1. legitur: Nunquã auertit oculos à lege Domini, sed in ea meditatur die atq; nocte. Tanquã lignũ

quod plantatum secus decursus aquarum, dat fru-
ctum tempore opportuno. Qui bonus igitur pro-
fert opera bona, is beatus est, & quicquid auspica-
tur ac facit, prosperum sortitur euentum.

Quid si per opera beatus reddi possum, cur Christus mortuus?

Ea opera, quæ prodita sunt scripturis, exige-
re atq; facere bonum est. Oportet enim fructus ar-
bori dare testimonium, an bona sit. Atqui iustitiam
operibus adscribere, nihil aliud est, quàm deroga-
re, & detrahere meritis Christi. Quod ex diame-
tro pugnat cum scriptura, quæ dicit: Credidit A-
brahã Deo, & imputatum est ei ad salutem. Gene.
15. Et Abacuc 2. Iustus ex fide uicturus est. Et Ioan.
3. Qui credit in me, habet uitã æternam. In hac aũt
Epistola S. Iacobus non ipsa opera considerat, uel
inspicit, sed potius fontem, unde bona profluunt o-
pera. Quod etiam alibi scriptura solet facere.

Suntne huius rei in promptu exempla?

Christus ait, Matt. 19 Futurum est ut filius ho-
minis ueniat in gloria patris sui, cum angelis suis,
Tunc reddet unicuiq; iuxta facta ipsius. Hic non
respicit Christus externa opera, sed fidem, ex qua
sunt opera profluxura. Cùm igitur sciamus nos
pios, iustos atq; beatos futuros per fidem, huic i-
psi nihil derogare debemus, sed potius eam fidem
mam-

manifestare, declarare atq; comprobare bonis operibus, non ijs quæ somniantes introduxerunt, & effinxerunt homines, sed quæ sunt in sacris literis fundata.

Quænam uerba sunt eius cautionis, qua monet S. Iacobus, ut deuitemus colloquia praua?

Si quis, inquit, uidetur religiosus esse inter uos, qui non frenat linguam suam, sed aberrare sinit cor suum, huius uana est religio.

Quid est lingua?

Optimus est homini linguæ thesaurus, & ingens gloria, quæ parcis mensurat singula uerbis. Sed quò preciosior illa, tantò peior atque nocentior, si quis malè utatur, quemadmodum sanctus Iacobus ait, capite 3 Ecce, inquit, equis frena in ora immittimus, ut obediant nobis, & totum corpus circum agimus. Ecce naues, cùm tantæ sint, & à uentis sæuis agantur, circumaguntur minimo gubernaculo, quocunq; impetus dirigentis uoluerit. Ita & lingua pusillum membrum est, & magna iactat. Ecce exiguus ignis, quantā materiam incendit Et lingua ignis est, mundus iniquitatis, sic lingua cōstituitur in membris nostris, quæ maculat totū corpus, & inflammat rotam natiuitatis, & inflammatur à gehenna. Omnis enim natura & ferarum, & uolucrum, serpentiumq; marinorum domatur, & domita est natura humana, linguam autem nullus

hominum domare potest, incoërcibile malum, plena ueneno mortifero &c.

Quid est inutilis garrulitas?

Est omne colloquium, ad rem nihil faciens, nullamq; utilitatem afferens. Quod inane colloquium non modò S. Iacobus, uerumetiam S. Paulus reijcit atq; uetat. Qui ait, Ephe. 4. Omnis sermo spurcus ex oreuestro non procedat, sed si quis est bonus ad ædificationem. Et Christus ipse Matthei 12. Dico uobis, quòd de quocunq; uerbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in die iudicij.

Quid per ea uerba S. Iacobus intelligit: Qui non frenat linguam suam &c.

Vitiosorum, inquit, operum aliud est nullum, quod æquè corrumpit atq; perdit religionem, cultumq; diuinum, ac omnem politicam administrationem, quàm infrenis & indomitæ linguæ crimen. Nam os, quod (ut prouerbio dicitur) sine freno est, atq; sine foribus, quod Græci uocant ἀπύλωτον, liberè loquitur omne quod in buccam uenerit, siue bonum id, seu malum fuerit, mendacia, seu ueritas, commoda uel noxia.

Quid ita?

Quid enim in Repub. atq; hominum conuentu periculosius est, atq; magis noxium, quàm indomitæ linguæ garrulitas? Quæ nihil aliud facit, quàm

clancu-

clancularijs, & apertis etiam morsibus rodit, obtrectat, laceratq; hominum famam, nomenq; bonũ, mentitur, os sublinit, decipit, circumducit, calumniatur, conuitia dicit, blasphemat, maledicit, rixatur, turbas excitat, seditiones mouet, dißidia seminat, & breuiter, omnis discordiæ, ac malorum est causa. Quid item in Ecclesia catholica nocentius ac magis pestilens est, quàm uenenata falsorum cõcionatorum lingua? Qui oris uirulentia simplices homines seducunt, inficiunt, & in rictum Diaboli præcipitant. Quod Euangelicæ ueritatis osores atque sectarum principes faciunt. Nec minus nocent Hypocritæ, ac omnes Pseudochristiani, qui multa de Euangelio nouerũt gloriosè dicere, atq; iactare, sed Christianismum ne minimo quidem opere bono, atque fructu fidei manifestant, & ostendunt.

Quidnam de cultu diuino S. Iacobus ait?

Sic ait: Religio pura, & immaculata apud Deũ et patrẽ hæc est: Inuisere orphanos & uiduas in afflictione sua, immaculatũ seipsum seruare à mũdo.

Cur S. Iacobus hæc opera uocat immaculatam apud Deum religionem?

Quòd ea Deus ipse præceperit. Nam quod mandat Deus, id bonum atque iustum est, & unica uera, quæ Deo placet, religio. Nulla re magis illi po-

terimus gratificari, quàm obtemperando praeceptis eius, Ea sunt in lege atq; Prophetis, praecipientia, ut pauperibus, uiduis, & orphanis beneficiamus, & in afflictionibus inuisamus, Nos autem ipsos seruemus immaculatos, bonumq; conuersatione Christiana praebeamus exemplum, ne malè audiat Euangelium.

Quaenam uera Christianorum religio, cultusq; diuinus?

Deo credere atq; cõfidere, Deum super omnia timere, ac diligere, Proximo cunctis in necessitatibus inseruire, auxiliari, consilijs prodesse, consolari, manum porrigere, Pauperes & egenos, peregrinos, destitutas ope humana uiduas, orphanos et pupillos in afflictionibus consolari, suppetias ferre, aegrotos inuisere, Esurientibus cibum, sitientibus potum suppeditare, nudos uestire, calamitosos et desperatos in spem bonam erigere, Omnibus hominibus benefacere, & quod iustum est praestare. Seipsum rebus in omnibus immaculatum seruare. Huius mundi fastum, apparatum, delitias odisse, Superbiam, auaritiam, intemperantiam, luxuriam, iram, inuidiam, crapulam & ebrietatem deuitare. Et breuiter, seipsum, ut uerũ hominem Christianum, bonis praefulgentem operibus exhibere.

Quaenam est huius Epistolae summa?

Qui rectum uerumq; Deo cultum praestare uoluerit, eũ oportebit mordicus tenere diuinum Verbum

bum, & ad eius normam atq; scopum, uitam suam totam dirigere, se mundo subtrahere, ac eidē indicere bellum. Nam *ut inquit* S. *Iacobus capite* 4. *Amicitia mundi, inimicitia est cum* Deo. *Quicunq; igitur uoluerit amicus esse mundi, inimicus* D.i cō *stituitur.*

Quanam in re consistit inimicitia mundi?

Is *inimicus est mundi, aut hostis, qui nullis in rebus conformatur huic seculo, iuxta illud* Roma. 12. Ne *accommodetis uos ad figuram huius mundi, &c. qui non fastuosi superbiunt, non ambitiosi quærunt proprios honores, non auari diuitijs inhiant, & sic opes uenantur, ut interim dolis circumueniantur inopes, usuris opprimantur, et sanguis atq; sudores pauperum exhauriantur. Qui deniq; non abstrahunt nec* Harpyiarum *more diripiunt ea quæ uiderint, nihil curantes quid habeant alij, uel retineant: ijs autē moribus qui præditi sunt, non homines censendi sunt, sed bestiæ, feræq; beluæ.* Et *sunt* Christiani, *quemadmodum sanctus est* Diabolus.

Quanam in re consistit amicitia Dei?

Vt *homo conformis fiat* Christo *filio* Dei, Vt *seipsum humiliet, abnegetq;,* Vt *Satanæ atq; mundo renunciet,* Vt *in patientia atque mansuetudine*

ne Christum sequatur, crucemq; ferat. Quod qui faciunt, dubio procul etiam congaudebunt Christo in æterna uita. Quò nos perducat Deus omnipotens, Amen.

DOMINICA ROGATIONUM, *Epist. Iacobi ultimo.*

FRatres, Confitemini inuicem alius alij delicta, & orate pro uobis inuicem ut sani sitis. Multum enim ualet deprecatio iusti efficax. Helias homo erat similiter obnoxius affectionibus, ut nos, & precatione precatus est, ne plueret: & nō pluit super terram annos tres, & mēses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra produxit fructum suum. Fratres, si quis inter uos errauerit à ueritate, & conuertit quis eum, sciat, quòd qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluā faciet animā à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Quid S. Iacobus in hac docet Epistola?

Tria præcipuè tradit. Primò, ut alij alijs delicta confiteamur. Deinde, ut pro se inuicem orent. Tertiò, ut errantem à ueritate, conuertant, & animam à morte saluam faciant.

Quænam

Quænam primæ sunt doctrinæ uerba?

Confitemini inuicem alius alij delicta.

Quid est confiteri?

Nihil aliud est, quàm ex intimo corde peccata cognoscere, de peractis sceleribus dolere, Deum orare gratiam, petere delictorum remißionem, & accipere absolutionem, eiq́; firmiter credere.

Eáne confeßio contingit?

Non euenit omnibus hominibus. Nam aliqui nō sua, sed aliorum peccata confitentur. Hi sunt qui Diabolum & homines accusant, dicentes: Innocenter in peccata prolapsus sum, Satanas impulit, Homines mali prouocârunt, protruseruntq́;. Atqui uana ea est accusatio. Nam Satanas te poterit pellicere, atq; tentare, sed nequaquam uiolenter impellere, Satanæ tentatio, sed sequi atq; consentire tuum est.

Alij confitentur, sed ex consuetudine magis, quàm ex animo, ueraq́; contritione. Quod faciunt, ne Iudæi, uel Turcæ iudicemur. Est igitur ea mera hypocritica Pharisaici fermenti confeßio.

Alij confitentur, sed nō credunt, absolutionem esse Dei uerbum, sed potius hominis opus. Proinde mox abeunt, & in pristina peccata atq; crimina relabuntur. Quod qui faciunt, sunt derisores pœnitentiæ, atq; calumniatores uerbi Dei.

Quotuplex est confeßio?

Triplex

Triplex est confeßio: Fidei, charitatis, atq; consilij.

Quænam est Confesfio fidei?

Qua precamur in oratione Dominica: *Pater remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Hac *quotidie nos oportet uti confeßione, tam necessaria, ut absq; ea nemo poterit fieri saluus.* Quippe *ad eum modum omnes sanctos oportet confiteri.* Sic *confessus* David *Psal. 50. Miserere mei* Deus, *secundũ magnam misericordiam tuam,* Et *secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas.* Sic Rex Manasses *deprecatus est* Deum. Et *publicanus,* Luc. 18. *percutiebat pectus suũ, dicens:* Deus, *propitius esto mihi peccatori.* Hic Christus *ipse dicit absolutionem, nec aliam pœnitentiam iniungit, quàm,* Vade, & *posthac ne peccaueris.* Remittuntur *tibi peccata, &c.*

Quænam est charitatis confesfio?

Ea *fit, cùm læsum uerbo uel opere proximum rogamus, ut nobis admissum condonet: cùm precamur ueniam, redimusq; cum illo in gratiam.* Hæc *item confeßio ualde necessaria est.* Nam Christus *ait,* Matth. 5. *Si obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum.*

Quænam

Quænam est confessio consilij?

Ea est qua præfectum Ecclesiæ ministrum, aut quem ingruente necessitate possumus habere, uenimus consultum, eiq; detegimus animum, cor aperimus nostrum, conquerimur de peccatis, & pungentibus anxietatum stimulis, ac rogamus, ut nobis bonum det consilium, sacris è literis deprõptum, quo tranquillam pacatamq; reddere posimus conscientiam nostram. Deprecetur item nobiscum, simul ac oret Deum, ut remittat nobis peccata nostra. Hanc confessionem Christus instituit Matth. 18. Amen dico uobis: Quæcunq; alligaueritis super terrã, erunt ligata in cœlo. Et quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cœlo. Et Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis. Quorumcunque retinueritis, erunt retenta. Huic confessioni Deus adiecit præclaras promissiones, Ait enim, Matthei 18. Quòd si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est.

Quænam sunt in hac Epistola secundæ partis illius uerba?

Orate, inquit, pro uobis inuicem, ut salui sitis. Oratio iusti multum ualet, plurimumq; ponderis habet, si fuerit seria, & ex intimo corde profecta.

Quid est orare?

Nihil aliud est orare, quàm cũ Deo loqui, atq; eidem

eidem nostras necessitates queri atq; proponere, idq; flagrante ac indefesso animo, seria & assidua instantia atq; sedulitate, humiliato, cōtritoq; corde, atq; confessione.

Quid oratio?

Est mentis ad Deum eleuatio, profunda cordis suspiratio, gemitusq; spiritualis ad Deum. Est scala, qua ascendimus ad cœlos, in Dei conspectū, & proponimus necessitates egestatemq; nostram, quemadmodum Ecclesiasticus ait, cap. 35. Oratio humiliantis se penetrat nubes, & donec propinquet non consolabitur: & non discedet, donec altissimus aspiciat.

Quænam requiruntur ad orationem, ut exaudiatur?

Quinque. Primò adsit oportet Dei præceptum. Nam si Deus non iussisset orare, nec promisisset se nos exauditurum, tum omnes creaturæ non possent uel unicam petitionis micam impetrare. Cæterùm ipse præcepit orare, dicens: Petite, & accipietis &c.

Secundò, oportebit nos orare fide recta, promissioneq; diuina suffultos. Nam S. Iacobus, cap. 1. dicit: Quòd si cui uestrum deest sapientia, postulet ab eo, qui dat, nempe Deo: sed postulet cum fiducia, nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, is est similis fluctui maris, qui uētis agitur, et impetu rapitur.

Tertiò, nos oportebit orare in nomine Iesu.

Nam

Nam ipse Christus ait, Ioan.16. Amen dico uobis, quaecunque petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis.

Quartò, cùm Deus sit spiritus, oportebit nos orare spiritu ac ueritate, Ioan. 4. sed causam omnem, & orationis effectum diuinæ uoluntati cõmittere, atq; relinquere.

Quintò, paucis uerbis ea, quæ nos mordent, anguntq; proponere. Sed eorum est magna diuersitas, Sunt enim uariæ tentationes, aduersitates, afflictiones, tribulationes, angustiæ, morbi, ægritudines, pestilentiæ, fames, annonæ caritas, bella, seditiones, tumultus, impreßiones Turcarum, odia, iræque impiorum, & quæ nos quotidie calamitates obruunt.

Quænam efficacia uel uirtus orationis?

Oratio nobis facit Deum clementem, propitium atq; misericordem, ut omnia, quæ uoluerimus, impetremus.

Proferri ne possunt exempla?

Multum ualet deprecatio iusti uehemẽs, ut S. Iacobus in hac Epistola dicit. Exemplo sit Helias, qui homo fuit similiter obnoxius affectionibus, ut nos, & precatione precatus est, ne plueret: & non pluit super terram annos tres, & menses sex. Et rursum orauit: & cœlum dedit pluuiam, & terra produxit fructum suum. Quòd si tantum ualet

unius hominis oratio, quamò plus ualitura multorum piorum? Quòd si propter Abraham parsurus erat Zodomæ, si fuissent in ea iusti decem reperti: & si propter Ioseph maxima in Aegyptum contulit beneficia, & multa in Syriam propter Naaman, Quid non facturus omnipotens Deus, propter multorum uerè piorum Christianorum orationes?

Quænam in hac Epistola sunt tertiæ partis uerba?

Sic ait S. Iacobus: Si quis inter uos errauerit à ueritate, & conuerterit quis eum, sciat quòd qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uitæ suæ, saluam faciet animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Lex est, Exo. 22. Si occurreris, inquit, boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Et Christus Matth. 18. Lucæ 17. docet, errantem fratrem in uiam reuocandum esse. Si peccauerit, inquit, uade & argue eum inter te & ipsum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Et S. Paulus, Gala. 6. Fratres, inquit, si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis. Inuicem alij aliorum onera portate, & sic complete legem Christi. Præterea charitas Christiana requirit, ut collapsos erigamus, nec in sordibus sinamus perire. Quod perspicuè docet exemplum illius Samaritani,

ni, Luc. 10. Qui misericordia motus, grauiter uulneratum iumento imposuit, duxit in diuersorium, & curam eius egit. Quē imitantes ueri Christiani, reliquorum curā in se recipiunt, & tantisper inseruiunt, atq; docent, dum ab errore conuertātur, atq; resipiscant. Et qui conuerti fecerint peccatorē, & aliàs in delicto periturum, fuerint lucrati, reduxerintq; in salutis uiam, ij saluas facient animas suas, & peccatorum multitudinem operient, futuri participes æternæ uitæ. Ad quam nos diuina gratia perducat, Amen.

EPISTOLA IN DIE ASCENsionis Domini. Acto, I.

SVperiore quidē uolumine diximus, Theophile, de omnibus quæ cœpit Iesus tum facere, tum docere, ad eum usque diem, quo postquam impartitus in hoc ipsum spiritum sanctum, mandata dedisset, quos delegerat Apostolis, sursum assumptus est, quibus etiam seipsum exhibuerat uiuentem, posteaquam supplicio fuisset affectus, id'q; compluribus argumentis, dum per dies quadraginta conspicitur ab illis, ac loquitur eis de regno Dei, & congregans illos in idem loci, præcepit eis ne discederent Hierosolymis, sed ut expectarent promissum

patris, de quo, inquit, audistis ex me: quoniam Ioannes baptizauit quidem aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto post dies hosce nõ multos. Illi igitur ubi conuenissent, percontabantur illum, dicentes: Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israel? Dixit autem ad illos: Non est uestrum nosse tempora, & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate: sed accipietis uirtutem, posteaquam spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes non solùm Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samariaq́ꝫ, deniq; usque ad extrema terræ. Atqꝫ hæc locutus, uidentibus ijsdem, in altum sublatus est, & nubes subduxit illum ab oculis eorũ. Dumq́ꝫ essent defixis in cœlum oculis, eunte illo, Ecce uiri duo adstiterũt illis, amicti uestibus albis, qui & dixerunt. Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlũ? Hic Iesus, qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum.

Quotnam in hac Epistola res præcipuè traduntur?

Tres potißimùm. Prima continet Christi sermonem, cum discipulis habitum post resurrectionem

nem. Secunda complectitur ignorantiam, fideiq; infirmitatem discipulorum. Tertia Christi ascensionem.

Quid S. Lucas de prima dicit?

Sic ait: Superiore quidem uolumine diximus, Theophile, de omnibus, quæ cœpit Iesus tum facere, tum docere, ad eum usq; diem, quo postquam impartitus in hoc ipsum spiritum sanctum, mandata dedisset, quos delegerat, Apostolis, sursum assumptus est, quibus etiam seipsum exhibuerat uiuentem, posteaquam supplicio fuisset affectus, idq; compluribus argumentis, dum per dies quadraginta cõspicitur ab illis, ac loquitur ijs de regno Dei.

Quid per ea uerba S. Lucas intelligit?

Hoc dicit: Post ascensionem suam Christus compluribus argumentis per dies quadraginta planum fecit, clarißimè suis discipulis ostendit, se à mortuis uerè resurrexisse. Nam ijs non modò uiuus apparuit, sed etiam in eorundem consortio, quemadmodum antea solitus fuit facere, bibit ac edit, eam propter causam, ut ipsum de Resurrectione articulum satis approbatum confirmaret, nec ullus homo de Resurrectione diuina dubitaret. Qui unus si non subsisteret articulus, alij conciderent omnes. Nã si de Christi resurrectione dubitaremus, quid certi firmiq; staret in Ecclesia? Vnde S. Paulus inquit, 1. Corinth. 15. Quòd si Christus non resurre-

xit, inanis uidelicet est prædicatio nostra, superuacanea est & fides uestra, & adhuc estis in peccatis uestris.

Quoties discipulis suis Christus apparuit?

Decies: Primò Mariæ Magdalenæ. Deinde mulieribus alijs. Tertiò apparuit Petro. Quartò discipulis duobus Emaus euntibus. Quintò discumbentibus discipulis. Sextò ijsdem, præsente Thoma. Septimò piscatoribus ad mare Tiberiadis. Octauò plus quàm quingentis fratribus in Galilea. Nonò Iacobo. Decimò discipulis, cùm in cœlos assumeretur.

Quidnam locutus fuit discipulis de regno Dei?

Indicauit de mundo non esse regnum suum. Ostendit terrenum id non esse, nec momentaneum aut caducum, sed cœleste, spirituale, & æternum. Sibi datam potestatem in cœlo & in terra, quam non ad morem hominum exerciturus esset, sed eos ablegaturus, ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, & ad omnes gentes baptizandas in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, quò fiant salui.

Quid ait de parte huius Epistolæ secunda?

Sic ait: Illi ubi conuenissent, percontabantur illum, dicentes: Domine, num in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem ad illos: Non est

est uestrum nosse tempora, & articulos temporũ, quos pater in sua ipsius constituit potestate, Sed accipietis uirtutem, posteaquam Spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes, non solùm Hierosolymis, uerumetiã in uniuersa Iudæa, Samariaq́;, denique; usq; ad extrema terræ.

Quid per ea uoluit intelligi?

Stupiditatis aut arrogantiæ discipulos arguit, sed humaniter. Quasi dicat: De rebus ijs, quæ necessariæ sunt uobis cognitu, soliciti non estis, & anxiè quæritis eas, quæ uestra nihil intersunt. De regni mei negotijs, deq́; ministerij uestri rationibus interrogare deberetis: iam ijs, quæ uobis scitu necessaria sunt, posthabitis, scire uultis tempora & articulos temporum, quæ solus Pater in sua ipsius constituit potestate, nihil ad uos pertinentia. Idem responsum dedit Matt. 24. De die illo & hora nemo scit, ne angeli quidem cœlorum, nisi pater meus solus.

Discipulos ne dubios, ac suspensos relinquit?

Minimè, sed optimè consolatur eos, inquiens: Accipietis uirtutem spiritus sancti: Qui posteaquam aduenerit super uos, &c. Quibus uerbis ostendit, quonam armaturæ genere mundum sint debellaturi, & sub Christi iugum redacturi, non exercituum copijs, nec tormentis, neque machinis bellicis, sed unica salutaris Euangelij prædicatione.

stus ascensione regnum suum auspicatus, Apostolis spiritum sanctum elargitus est, ac misit eos in uniuersam terram, ad Dei uerbum omni creaturæ prædicandum, Qui iam sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, Rex atq; dominus factus cœlorum atq; terrarũ, Qui imperio suo premit atq; constringit Satanam, mortem & infernũ, regnans in credentium cordibus per gratiam atq; sacrosanctum Verbum, Qui nos præceßit, ut nobis uiam præpararet, & crudelißimos Tyrannos, qui grassantur, latrocinantur, atque trucidant animas in itinere, profligaret, omniaq; pericula à nobis tolleret in sese transferendo. Ipse stans in portu manum nobis porrigit, ut uarijs procellarum fluctibus, æstuosoq; mundi turbine iactatis auxilietur, & nos humeris suis benedictis impositos feliciter transportet in cœlestem patriam, æternamq; uitam, Amen.

DOMINICA SEXTA POST Festum Paschale, I. Petri IIII.

FRatres, Sitis igitur sobrij, & uigilantes ad orandum. Ante omnia uerò charitatem inter uos uehementem habẽtes. Nã charitas operiet multitudinem peccatorum. Hospitales estote erga uos inuicem, sine murmurationibus: ut quisque accepit donum, ita alius in alium illud

lud miniſtrantes, ut boni diſpenſatores uariæ gratiæ Dei. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei: ſi quis miniſtrat, miniſtret tanquam ex uirtute, quam ſuppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorũ, Amen.

Quidnam in hac S. Petrus Epiſtola docet?

Nihil de fide ſcribit, nihil itē de iuſtificatione, ſed admonet, & adhortatur eos, qui modò iuſtificati, fidemq́; ueram conſecuti ſunt, ut in omnibus bonorum operum generibus ſeſe frequenter exerceant, atq; fidei conſentaneos proferant fructus.

Ad quidnam eos exhortatur?

Ad tria præcipuè, Ad ſobrietatē, modeſtiam, et uigilantiam ad orandum. Secundò ad charitatem mutuam, dapſilitatem, & hoſpitalitatem. Tertiò, Vt quiſq; in uocatione ſua faciat officiũ ſuum, & quod accepit à Deo talentũ corporale uel ſpirituale, diſtribuat, & fideliter expendat,

Quænam primæ ſunt admonitionis uerba?

Sitis, inquit, ſobrij & uigilantes ad orandum. Quaſi dicat: Non importuni, nec efferi ſitis, neq; Epicuri de grege porci, ſed prudentes, modeſti, atq; temperantes. Nulla enim res alia magis impe-

dit, atq; disperdit Christianorum orationes, quàm ebrietates, atq; pergræcationes. Et ubi quotidiana regnat ebrietas, ibi crimina ista sequuntur: socordia, acedia, diuini uerbi negligentia contemptusq;, nec non omnia uitiorum genera. Hinc D. Augustinus in sermone, Ebrietas est, inquit, blandus dæmon, dulce uenenum, suaue peccatum, quod qui habet, seipsum non habet: quam qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum. Et Origenes Homelia 37. Sobrietas omnium uirtutū mater est. Sic econtrariò, ebrietas omnium uitiorum origo.

Quanam in re consistit continentia, atque sobrietas?

In corporis castigatione, ac temperantia, quæ est ratio, in libidinem, atq; in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio, per cā ut rerum omnium continentiam, omnis cupiditas consilij gubernatione regitur. Et homo temperans atq; continens, qui rebus in omnibus sese modestè, honesteq; nouit gerere, qui non procacem, efferam, temulentam, ac ebriosam ætatem exigit, is ad omnia bona semper aptus est, ac idoneus ad inseruiendum Deo & hominibus. At è contrario, crudus, centauricus, uenerīq; deditus homo, qui dies atq; noctes poculis indulget, non crepitu quidem (ut aiunt) digiti, nec concha dignus habetur. Quid enim boni facere, quo munere hone-

sto

ſto fungi poterit ebrioſus homo, uini, ceruiſiæq́; pernicies atq; barathrum? Cùm enim cibo potuq́; fuerit obrutus, ſuffocata iacet ratio, uino debilitata, Quinq; ſenſus eripiuntur, ora ſpurcis uerbis, execrationibus, atq; blaſphemijs redundant, Oculi tauricum tuentur, Aures promptæ facilesq́; ad mendacia, atq; res obſcœnas audiendas. Totum corpus pigrum, ineptum, horridum, ue terno torpet. Omnia deniq; membra ad peccandum inflammata ſunt, aliâs nimis procliuia in libidinem. Proinde uitijs talibus imbutus homo non poteſt orare. Nam ad orationem requiritur temperans ac ſobrius homo, qui ſeria uehementia atq; ſedulitate progreſſus, ueniat in Dei conſpectum, atq; ipſum adoret ſpiritu atque ueritate. Aliâs oratio ſuperuacanea fuerit, ac inutilis.

Quænam uerba ſecundæ ſunt admonitionis in hac Epiſtola?

Ante omnia, inquit, charitatem inter uos uehementem habete. Hoſpitales eſtote erga uos inuicē, ſine murmurationibus. Hîc Sanctus Petrus inter precipua charitatis opera ponit hoſpitalitatem. Nam ea tempeſtate propter fidem catholicā Chriſtiani crudeliter à Tyrannis affligebantur, & magnas perſecutiones paßi, bonis omnibus exuebantur, et in exilium eijciebantur: tum neceſſaria fuit hæc beneuolentiæ uirtus, qua recipiebantur hoſpitijs

spolijs exules. Hæc magnis in scriptura laudibus euehit Patriarchas, Abraham, Loth, & reliquos.

Cur ait, Sine murmurationibus?

Indicat beneficia in proximum conferenda esse, nõ ex molestia, nec inuitè aut amarulentè, cùm datorem hilarẽ diligat Deus. 2. Corinth 9. Nemo reputare debet nimium esse, quod propter Deum in pauperes distribuit. Quæcunq; poßidemus, siue ea sint corporalia, seu spiritualia, sunt dona Dei, qui nobis ea conceßit, atq; præfecit ijs nos ut œconomos, atq; dispensatores. Non igitur pro nostro affectu, uel ratione debemus facultates distribuere, sed iuxta Dei uoluntatem atq; placitum in pauperes Christianos erogare. Quod beneficium ita Deus accipiet, quasi præstitum sibiÿpsi. Matt. 25. Imò cum angelis suis sanctis ipse præstò futurum est, ut Abrahamo atq; Loth accidit.

Cur inter nos habenda charitas?

Quoniam charitas operit peccatorum multitudinem. Quasi dicat: Vbicunq; odium, inuidia, & ira est, ibi lis litem serit, & iuxta prouerbiũ, noxa noxam parit. Etenim in fermento iacens homo, non desinit animo ringi, nec cessat camerinam mouere tantisper, dum inimici sanguine & uulneribus mentem, oculosq; satiauerit. Quòd si manu se uindicare non poterit, fouet animo inuidiam, et intimo cordis recessu liuoris nutrimenta fouens,

beneficio nullo proximum afficit. At qui charitatem habet, is operit peccata, & admissa libenter condonat. Nam qui diligit ex animo proximum, non considerat, nec aspicit eius delicta, nec quanta sint crimina, sed animi dotes contemplatur, ac ipsas uirtutes intuetur, quas prædicat, & amplificat. Quemadmodum igitur dilectione sua Deus nostra peccata tegit, ac per misericordiam suam remittit, ita proximi crimina nos occultare debemus, & ad meliorem uitam exhortari, ac animam eius lucrari.

Porrò non pauperis proximi uitia respectare debemus, sed salutem eius, atq; Dei præceptum. Vnde rectè olim Ethnicus Aristoteles, Qui increpanti, q. homini malo dedisset eleemosinam, Non mores, inquit, sed hominem commiseratus sum. Etiam improbis in necessitate succurrendum esse censuit uir ille bonus.

Quæ tertiæ sunt admonitionis uerba?

Sic ait S. Petrus: Vt quisq; accepit donum, ita alius in alium illud ministret, ut boni dispensatores uariæ gratiæ Dei. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei. Si quis ministrat, ministret tanquam ex uirtute, quam suppeditat Deus, ut in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum: cui est gloria, & imperium in secula.

Quidnam ea uerba significant?

Quemad-

Quemadmodum, inquit, in magna atq; bene instituta domo, plurimi sunt famuli & administratores, uaria habentes officia: sic in Christi regno multi sunt ministri, quibus diuersa spiritualia & corporalia dona sunt à Deo commissa, quibus alij debent alijs inseruire, atq; suppetias ferre.

Quænam officiorum genera peculiariter hîc S. Petrus exprimit?

Cumprimis Episcoporum, Prælatorum, et Ecclesiæ ministrorum officia producit, inquiens: Si quis habet docendi gratiam, ac nouit scripturas fideliter populum instituat, nihilq; tradat aliud, quàm purum Dei Verbum: huic nihil addat, nec hominum traditiones admisceat: sed cogitet concionatorem non hominis, sed Dei prædicatorem esse, & quæ protulerit uerba, non eius esse qui dicit, sed omnipotentis Dei.

Præterea S. Petrus, Si quis, inquit, habet officium, uel ministerium, is nihil faciat pro sui capitis sentētia, uel opinione, sed operetur, & doceat ea, quæ certò nouerit uerbo Dei fundata, Non hominum, sed Dei doctrinam esse, atq; præcepta. Quod si non fecerit, miseros seducet, ac in arenam ædificabit, æstimandus pseudopropheta, uel doctor impius. Et hoc in loco S. Petrus uelut acu tetigit, atq; taxauit Antichristum, ac omnes eius cohortes. Sectarum item assertores, & Anabaptistas non Dei Verbum, sed longè diuersa prædicantes.

Cur

Cur ait: Vt in omnibus glorificetur Deus?

Haec dicit: Certum esse, penitusq; uobis constare debet, doctrinam & opera uestra Dei esse. Nã si uerbum protuleritis, aut opus aliquod feceritis, quod Deus non docuerit, aut praeceperit, nulla ratione poteritis per ea Deum glorificare, nec illi autori gratias agere, sed dubitatis de bona erga nos Dei uoluntate. E contrario, si certum habueritis Dei Verbum, doctrinam, atq; mandatum, cum gaudio poteritis Deum laudare, & pro beneficijs collatis gratias agere.

Quaenam est huius Epistolae summa?

Qui gloriatur, atq; se iactat Christianum esse, nec tamen uiuit, neq; docet, ut Christianum oportet, is nunquam est sobrius, sed temulentia, crapula, desidiaq; ueternosa praeditus. Praeterea immitis ac inhumanus est, nemini benefaciens, non amicis, nec hostibus, nõ peregrinis, nec incolis. Sic igitur Christianus est, quemadmodum Satanas pius atq; sanctus. Vnde nihil facit aliud, quàm ut Deum blasphemet, multisq; praebeat offendiculũ. Quòd si priuatus aliquis homo perperàm fecerit, ac uitã impiã duxerit, is sibijpsi malum accersit. At si uerbi ministri aut qui praesunt alijs, malè uixerint, pessimeq; docuerint, damnum maximum inferunt Ecclesiae toti, aut uniuersae prouinciae. Proinde

summis præsidibus, maximisq; rerũ administratoribus peculiares angelos adhibuit Deus, Quorum intercessione protegeremur, nõ in ipso moderamine per acerrimum hostem Satanam impediremur aut raperemur in errorem atq; pernitiẽ. Quapropter ipse Dei filius, Christus, admonet Matt. 9. inquiens: Ipsa quidem messis copiosa, cæterum operarij pauci. Rogate igitur dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Ergo si duo fuerint diligentes in officijs, rectoq; ordine res administrauerint sapienter, nempe, Verbi minister, atq; magistratus, tum bene procedent omnia, eademq; feliciter, & facilè sequemur ea, quæ S. Petrus in hac enumerat Epistola. Deus benedictionem suam, atque gratiã nobis donet, ac æternam demũq; uitam, Amen.

IN DIE PENTECOSTES,

Epistola, Actorum II.

ET quum complerentur dies pentecostes, erant omnes unanimiter in eodem loco: & factus est repentè de cœlo sonitus, tãquam impetu uenientis flatus uehementis, & repleuit totam domũ ubi erãt sedentes. Et uisæ sunt illis dissectæ linguæ, uelut igneæ, Seditq; super singulos eorum, ac repleti sunt omnes spiritu sancto, cœperuntq; loqui alijs linguis,

guis, prout ſpiritus ille dabat eloqui illis. Erant autem Hieroſolymis habitantes Iudæi, uiri religioſi ex omni natione earum, quę ſub cœlo ſunt. Is rumor cùm increbuiſſet, conuenit multitudo & confuſa eſt, q audiret unuſquiſq; lingua ſua illos loquentes. Stupebāt autem omnes, ac mirabantur, dicentes inter ſeſe: Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur Galilçi ſunt? Et quomodo nos audimus eos ſua quiſque lingua in qua nati ſumus? Parthi & Medi, & Elamitæ, & habitatores Meſopotamiæ, Iudææq; & Cappadociæ, Ponti & Aſiæ, Phrygiæ & Pamphyliæ Aegypti, & partium Libyæ, eius quę eſt finitima Cyrenæ, & aduenæ Romani, Iudæiq; & proſelyti, Cretes & Arabes, audimus eos loquentes noſtris linguis magnifica Dei. Stupebant autem omnes, ac mirabantur inter ſe, dicentes: Quidnam uult hoc eſſe? Alij aūt irridentes, dicebant: Muſto expleti ſunt iſti.

Quidnam hæccine docet Epiſtola?

Hæc tradit, quando, ubi, quomodo, unde, qua ſpecie, & ad quos uenerit Spiritus ſanctus, & quidnam hic perfecerit.

Quando uenit Spiritus sanctus?

In die Pentecostes.

Quid Pentecostes?

Tria Iudæis erant festa, quotannis celebranda, Solennitas azymorũ, cùm edebant agnum paschalem. Altera fuit Hebdomadarum, quam nos Pentecosten appellamus. Tertia tabernaculorum, ut legimus Exodi 16.

Cur dicitur Pentecoste?

Quoniam à festo Paschatis est dies quinquagesimus. Quemadmodum enim Israëliticus populus tempore paschalis agni per mare rubrum ex Aegypto concesserunt in desertum, & in die quinquagesimo receperunt inibi legem Mosaicã in monte Sinai: Sic Apostoli atq; discipuli Christi acceperunt Spiritum sanctum Hierosolymis in monte Sion, die quinquagesimo, postquã oblatus atq; sacrificatus agnus Dei resurrexit à mortuis. Et quemadmodum apud Iudæos in testamento Veteri quinquagesimus annus fuit Iubileus, in quo serui omnes in libertatem asserebantur, omnesq; redibant ad possessiones suas, Vt habetur Leuiti. 25. Sic apud Christianos quinquagesimo post Christi resurrectionem die datus est Spiritus sanctus. Qui corda credentium, atq; fidelium conscientias à peccatis uacuas atq; liberas redditas, ad uerum Dominum Iesum Christum reducit. Est igitur Pentecoste nihil aliud, quàm promulgatio legis & Euangelij, Il-

lius

lius in testamento Veteri, in monte Sinai, Huius in Nouo, ad montem Sion.

Vbi datus est Spiritus sanctus?

Hierosolymis, ubi unanimiter omnes erant Apostoli, & discipuli congregati.

Quomodo uenit?

Cum impetu uenientis flatus uehementis quidē, sed tamen suauis, atq; iucundi, ut ostenderet Euangelij prædicationem longè dulciorem, gratioremq; futurā, quàm Legis, cuius enūciatio terribilis erat.

Naturalisne fuit ille uentus?

Minimè, Non enim à natura fuit excitatus. Nā sic totam perflasset Hierosolymam, imò totam Iudæam fuisset peruagatus. Atqui fuit à Deo præmissus uenti sonitus, ut prænuncius atque præcursor Spiritus sancti. Quòd si Reges atq; Principes tubarum clangoribus, lituorum bombardarumq; crepitibus prænunciant aduentus sui præsentiam, ut pompa magnificentiore publicitus excipiantur: Quantò magis debuit id maiestas summa facere, & præpotentibus signis aduentum Spiritus sancti notificare? Quemadmodum in monte Sinai data Lex fuit per tēpestates, densißimam nubem, tonitrua, fulgura, & uehementiores denuq; buccinæ diuinæ clangores, Sic Hierosolymis datus fuit Spiritus sanctus, facto repentè cœlitus sonitu, tanquam impetu uenientis flatus uehementis: ut sic ostenderetur potentia Legis & Euangelij.

Vnde uenit Spiritus ſanctus?

De cœlo, non clanculum, ſed propalàm, impetu uenientis flatus uehementis. Quemadmodum ad tẽpus aliquando ſeſe continet, ac hæret aliquamiſper in aëre nimbus, mox liberum caſum adeptus potẽter decidit, ueluti ſubmerſurus omnia, replet ualles, lamas, foſſas, ut exundent uniuerſa, Sic adueniurus Spiritus ſanctus tantam exuberãtiæ plenitudinem ſecum adfert, ut omnia humiliata corda ſuis donis atq; gratiæ uirtutibus ita refferciat, ut intra ſeſe nõ poßint contineri, ſed effuſius emanent ac erumpant in mirabilium operum Dei prædicationem.

Quanam ſpecie uenit Spiritus ſanctus?

S. Lucas ait: Et uiſæ ſunt illis diſſectæ linguæ, uelut igneæ, ſeditq; ſuper ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto.

Cur in linguis manifeſtauit ſe Spiritus ſanctus?

Quò nobis probè inculcaret & oſtenderet uerbi ſui miniſterium. Nam lingua membrum eſt accõmodum & idoneum ad obſequia Spiritus ſancti. Etenim lingua prædicatur Dei uerbum, & Euangelica doctrina per linguam, ueluti canales aut ſiphones, immittitur atque transfunditur in hominum corda.

Cur linguæ diſſectæ?

Diſſi-

Diſſectio linguarum oſtendit Euangelium in toto terrarum orbe prædicandum, omniq; linguarum genere denunciandum. Quemadmodum olim ædificatores turris Babylonicæ per linguarum uariarum diuerſitates in mundum fuere diſperſi, Sic in nouo teſtamento Spiritus ſanctus architectos Eccleſiæ Chriſtianæ contraxit in unitate fidei, ac uarijs linguis præditos in totum dimiſit orbem.

Cur linguæ uiſæ igneæ?

Quoniam præcipuum eſt Spiritus ſancti miraculum & opus, corda hominum accendere, & fidei & charitatis ardore inflammare, corroborare & excitare ad Dei uerbum audiendum ac prædicandum.

Profer exempla.

Duo diſcipuli Emaus euntes, hunc ſancti ſpiritus ignem ſenſerunt, Ergo cùm ab eorum conſpectu Chriſtus euanuiſſet, dixerunt inter ſe: Nónne cor noſtrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis ſcripturas? Idem ignis ſanctos Apoſtolos ita accenderat, ut nulla uitæ diſcrimina metuerent adire. Idem in Sancto Laurentio tantus exæſtuabat, ut in crate toſtus nihil ſentiret naturalis ignis ardorem. Et Tiburtius ignis eiuſdem diuini accenſus uirtute, ſuper ardentes prunas, uelutirecentes roſas, aut florentia germina obambulauit, Idem ſancti ſpiritus ignis, ita Za-

chaeum atq; Matthaeum accendit, ut reiecta omni mundana cura, & posthabitis omnibus huius seculi uoluptatibus atque delitijs, secuti fuerint Christum.

Tollit ne Spiritus sanctus peccata?

Quemadmodum solis ardor, & calida uentorum ariditas lambit, & exiccat omnia lamarum, humidarumq; uiarum loca, sic Spiritus sanctus aufert omnia hominum peccata. Sunt autem ij beati, qui corda sua in aduentum Spiritus sancti praeparant, eumq; fide, ac ardente cordis amore suscipiunt, ij proculdubiò filij sunt Dei. Atqui uae illis, qui consolatorem illum repudiant, contemnunt, & à se per incredulitatem repellunt. Qui partem in regno Dei nullam habent, ut Paulus testatur Rom. 9. inquiens: Quòd si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Quòd si longo tempore non pluerit super agros, hortos, aut prata nostra, bone Deus, quantae protinus exoriuntur querelae, atq; clamores: at nemo conqueritur, nemoq; dolet arida corda permanere, nullo sancti spiritus humore perfundi, nullisq; diuinae gratiae liquoribus irrigari, cùm illud tolerabile, hoc autem immedicabile malum existat.

Ad quosnam uenit Spiritus sanctus?

Ad Apostolos atq; discipulos Christi.

Nónne

Nónne Apostoli habuerunt etiam antea Spiritum sanctum?

Acceperunt quidem Spiritum sanctum Apostoli, cùm in eos insufflauisset Christus, dicens: Accipite Spiritum sanctum, Ioan. 20. Sed hîc omnem Spiritus sancti gratiam, dona, atq; uirtutes acceperunt.

Quænam ea fuerunt dona?

Primò uarijs linguis loquebantur, secundū populi cuiusq; plenum intellectum, Iudæis Iudaicè, Græcis grecè, Latinis latinè prædicantes Dei uerbum. Secundò, opera atq; miracula Dei promulgabant omnibus gentibus imperterriti, infractiq;. Et qui prius indocti piscatores, publicani, & tresses homines, iam admirabiles Dei præcones facti, potenter in urbe tam magnifica concionantur, in tanta populi multitudine, quæ iuxta legem ad Hebdomadarū festum, inibi confluxerat numerosissima. Item, qui prius hiscere non audentes, sedebant propter Iudæorum metum ianuis occlusis, ij iam in celeberrimo ciuitatis loco, foroq; libero non exhorruerunt prædicare Christum. Cumprimis autem Petrus, quem anilis ancillæ uox in domo Cayphæ deterruit, ac fecit ter negare Christum: modò stans in Iudæorū medio, liberè confitetur Christum. Tertiò pleni gratia, & fortitudine ædebant prodigia, & signa magna in populo, Vt ostendunt Apostolorum Acta.

Quid in aduentu suo Spiritus sanctus operabatur?

Cœperunt loqui alijs linguis, prout Spiritus dabat eloqui illis. Prius Apostoli pusillanimes non audebant liberè ueritatem Euangelicam profiteri, tantisper igitur delituerunt, dum adueniens Spiritus sanctus in fide confirmaret eos, dumq; sanctificaret, & animosos alacrioresq; redditos in harenam produceret ad Christum liberrimè prædicandum.

Habuerunt ne frequentes auditores?

Maximè, Nam sic ait S. Lucas: Erant autem Hierosolymis habitantes Iudæi uiri religiosi, ex omni natione earum, quæ sub cœlo sunt. Is rumor cùm increbuisset, conuenit multitudo, & confusa est, quòd audiret unusquisq; lingua sua illos loquentes.

Cur multitudo confusa fuit?

Quoniam suspicabantur Apostolos seditionem in populo, uel turbam facturos. Antea semper audiuerant legem Moysi, iam acceperunt insuetam atq; diuersam doctrinam, nempe de Iesu Nazareno, atq; eius operibus, quod insolens, ac mirabile fuit illis uisum.

Atqui S. Lucas dicit, uiros religiosos fuisse?

Hoc nihil ad rem. Oportuit enim illud impleri,

quod

quod Christus ait, Iohan. 16. Cùm uenerit Spiritus sanctus, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.

Quomodo populus sese gerebat in aduentu Spiritus sancti?

Stupebant omnes, ac mirabantur, inter se dicẽtes: Quidnam uult hoc esse? Alij autem irridentes, dicebant: Musto expleti sunt isti. Hoc in loco uidemus perspicuè, quidnam Sancti spiritus prædicatio soleat efficere. Omnes quidem accurrunt, sed admirantur alij, alij irrident, alij turbas excitant, minantur alij crucem, atq; mortem inferunt. Hinc est, quòd Christus ait, Matthæi 10 Non ueni pacem mittere, sed gladium.

Cuius ea culpa? Verbine?

Non uerbi, sed eorũ qui ueritati minus credũt. Dei uerbum nobis annunciat, offertq; pacem, gaudium, iustitiam atq; felicitatem: sed nos ea cœlestia dona suscipere nolumus, imò sine causa damnamus, atq; profligamus.

Quid oportebit nos facere, ut Spiritum sanctum consequamur?

Primò nos oportebit esse Galilæos, hoc est, Apostolorum similes, agere pœnitentiam, ueterem hominem cum suis concupiscentijs exuere, & induere nouum.

Secundò, Christi discipulos esse, illius doctrinam atq; uitam sequi, Quod ipse docuit credere: &

& quod praecepit atq; mandauit, operibus exprimere.

Tertiò, nos oportebit unanimiter omnes in eodem loco esse, nempe in Ecclesia catholica, pacificos, quietos, comes, humanos atq; cōcordes. Oportebit item inclusos esse, distractos ab omnibus externis rerum imaginibus, dispersas item cogitationes, corda, sensusq; nostros contrahere, atq; colligere, ut Spiritus sancti uerbum in nobis locum habere poßit. Quemadmodum enim in aquis homo faciem suam nō potest contemplari, nisi placidae stent: ita spiritus sanctus non poterit operari, nec mysteria sua perficere in cordibus hominum, qui fluctuant adhuc inordinata mutabilitate, ac incredulitatis iactatione inconstantes.

Quartò, nos oportebit orare semper, nec defatigari, Deus enim uult adorari. Et tales requirit, qui adorent ipsum spiritu ac ueritate.

Quaenam est huius Epistolae summa?

Quòd si uoluerimus spiritum sanctum consequi, oportebit nos ab initio poenitentiam peccatorum agere, & à malis recedere, conuersos ad Deum. Deinde quietam habere conscientiam, unitatem fidei, ueram dilectionem fraternam, aßiduam orationem ad Deum, Ab omnibus deniq; rebus mūdanis oportebit recedere, & ad unum Deum firmiter adhaerescere. Quae omnia si adfuerint, et pa-

ter cœlestis aderit, & per filium Christum nobis infundet Spiritum sanctum, omnia simul eius dona uirtutesq; suppeditabit, utpote fidei constantiam, in cruce patientiam, felicem exitum, & aeternam deniq; uitam, Amen.

DOMINICA TRINITATIS, Epistola, Roma. XI.

FRatres, O profunditatem diuitiarũ & sapiẽtiæ et cognitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius? Quis enim cognouit mentem Domini? Aut quis illi fuit à consilijs? Aut quis prior dedit illi, et reddetur ei? Quoniã ex illo, & per illũ, & in illũ omnia, Ipsi gloria in secula, Amen.

Quidnam in hac Epistola S. Paulus nobis proponit?

Tria præcipuè tradit: Primò, Profunditatem diuitiarũ et sapientiæ, et cognitionis Dei. Deinde, quàm inscrutabilia sint iudicia Dei, & imperuestigabiles uiæ eius: & econtrariò, quàm imbecillis humanæ naturæ fragilitas & infirmitas. Tertiò, quàm incõprehẽsibilis diuinæ maiestatis Trinitas.

Quidnam S. Paulus ait de prima parte?

Postquam S. Paulus oratione longa disseruisset de bonitate, gratia, atq; misericordia Dei,

quòd

quòd Iudæos, Græcos, omnesq; gentes sub incredulitatem concluserit, ut omnium misereretur, & nemo gloriari posit, se uiribus suis ad cœlos ascisurum. Cùm igitur immensam, ac inæstimabilem mysteriorum Dei bonitatem, atq; magnalia conse qui non posset oratione, nec exprimere uerbis, abrumpit suam de diuina prædestinatione concionem, ac incipit dicere: O profunditatem diuitiarũ & sapientiæ, & cognitionis Dei. Q. d. in causis ad iustificationem atq; salutem nostram pertinentibus, nihil aliud indagine consequi, nihil exquirere, nihil deniq; debemus inuestigare, quàm id solum, quod sacra scriptura docet, ac Euangelium tradit. Huc igitur referendum erit illud: Scrutamini scripturas. Et quod S. Paulus ait, 1. Corin. 2. Nos mentem domini tenemus. Et Roma. 1. Euangelion est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Iustitia enim Dei per illud patefit, ex fide in fidem. Atqui in rebus aut causis, quæ pertinent ad sapientiam, excellentiam, atq; maiestatem diuinam, nihil inquirere debemus, aut indagare, sed taciti profunditatem diuitiarum, sapientiæ atq; cognitionis Dei suppliciter adorare, atq; eius manui nos humiliter subijcere.

Quasnam diuitias S. Paulus intelligit?

Non mundanas opes, aut terrenas facultates, sed diuinas intelligit: admonens nos ut cumprimis

illam

illum quæramus, atque seruemus, nempe dominũ nostrum Deum, qui solus potens atque diues, cuius est terra, & omnis eius plenitudo: cuius regnum atq; iustitiam si primum quæsiuerimus, omnia nobis adijciemur. Docet autem non reponendos nobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt, & furantur, sed recondendos in cœlo thesauros, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt, & furantur. Matthæi 6. Sed nos inuertimus, ac præposterè facimus, qui spiritualia cœlestium thesaurorum bona relinquimus, & magnis laboribus fluxa quærimus, ignorantes quàm diu simus ea reseruaturi, imò nescientes, an temporis momentum uicturi simus, Accedunt tot pericula, quibus illa nos perdere, & in gehennam præcipitare possunt. Quod diuiti cõtigit, Lucæ 12. & 16.

De qualinam sapientia dicit?

Nõ de mundana, sed diuina loquitur, nos denuò cohortans, ut apprehendamus Iesum Christum, in quo reconditi sunt omnes sapientiæ thesauri. Ex quo fonte cognitionẽ æternæ sapientiæ nobis hauriendam affirmat, Quòd in eo solo poßimus reperire nobis necessaria, simul ac omnia salutaria bona. Sed nos præposteram ineuntes rationem, repudiamus diuinam sapientiam, Dei Verbum, atq; sacram scripturam missam facimus, & adijcimus

animum

animum ad ethnicorum artes, ad humanam carnalemq; sapientiam, quæ apud Deum est mera stultitia, faciens eos, qui in illam incumbunt, stultos, quemadmodum uidemus contigisse Philosophis, quos nihil aliud ad errores uarios pertraxit, quàm sui fiducia, rationis superbia, nimiaq; carnalis sapientiæ subtilitas, & excellentia.

Quid S. Paulus de secunda dicit parte?

Sic ait: Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius? Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis illi fuit à consilijs? Aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quibus uerbis nos S. Paulus docet, in iudicij, cōsiliorumq; diuinorum peruestigationibus non debere nimium sapere, nec alta nimis petere, neq; perspicaces humanarum speculationum meditationes sequi, sed circa ima prudenter manere, & in sana scripturarum sacrarum simplicitate ambulare. Nam si rationis humanæ captum omnem, & ingenij neruos extenderimus, aut etiam in res tam sublimes omne mentis acumen exuperantes effuderimus, tamen nihil profecerimus, coacti Dauidis illud exclamare Psal. 35. Iudicia tua Domine, abyssus multa, quis poterit perscrutari?

Quid ad ea dicit Esaias?

Cap. 40. sic ait: Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus

digitis

digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera? Quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientia, & uiam prudentiæ ostendit illi?

Quid Iesus Syrach?

Omnis, inquit, sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum. Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies seculi quis dinumerauit? Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyßi quis dimensus est? Sapientiã Dei præcedentem omnia quis inuestiganit? Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudẽtiæ ab æuo.

Quid liber sapientiæ?

Sic ait, cap. 9. Quis hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid uelit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ in cœlis sunt autem quis inuestigabit? Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctũ tuum de altißimis?

Quomodo Philosophi atq; sapientes huius seculi, sese gesserũt in hac causa?

Cœlitus ab ipsa diuinitate sapientiam cœlestem inceperunt perscrutari, sed imperuestigabiles uiæ fecerunt eos aberrare, non præmeditantes, quòd ab imis oporteat eos ascendere, qui uolent ad alta peruenire, utpote ab ipsa, quæ comprehendi potest, humanitate, uel incarnatione Christi. Deinde per scripturæ locos, & eulogia sensim ad diuinitatem ascendere, ne nobis eueniat, quod dicitur Prouerb. 25. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Sophistæ simul ac scholastici doctores uarias de Trinitate similitudines protulerunt, sed earum lubricitate prolapsi sunt in stultitiam ac diuersos errores, ut postmodum enunciauerint, periculosum esse de rebus tam arduis, atque sublimibus uerba facere: nimirum ualde periculosum est iuxta rationes eorum, ac instituta, Quorum perscrutatio non fuit in tanto uersata discrimine, si permansissent ipsi apud simplicem intellectum scripturæ, Hæc sensim nos ad diuinæ maiestatis cognitionem perducit, incipiens ab homine Christo, quem nobis ab initio perspectum reddit. Deinde Christo ut homine cognito, nobis eundem ut Dominum proponit. Postremò prædicat ut Deum, Lucæ 10. Omnia tradita mihi sunt à patre. Et nemo scit quis sit pater, nisi filius, & cui uoluerit filius aperire

aperire. Hic uerus ordo, graduſq; perueniendi ad diuinitatem. Huc illud pertinet, quod S. Paulus ait 1. Corinth. 2. Non iudicaui me quicquam ſcire inter uos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

Quid de parte tertia S. Paulus dicit?

Quoniam ex illo & per illum, & in illum omnia. Ipſi gloria in ſecula, Amen. Quibus uerbus S. Paulus docet, à ſancta Trinitate nos omne bonum, felicitatem atque ſalutem habere. Ex illo nempe patre, tanquam uberrimo fonte, omnia nobis neceſſaria profluere, Inde pendere noſtram felicitatem, aut infortunia. Quoniam illius regnum eſt, & potentia, & gloria in ſecula ſeculorum. Per illum autem, hoc eſt, filium, omnia nos impetrare. Quoniam is patri factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Quemadmodum aũt nos per Chriſtum omnia bona cõſequimur, ita per eundem oportebit ea conſeruare. Nam ſi is dextram ſuam, atq; gratiam ſubtraxerit, & à nobis Spiritum ſanctum abſtulerit, actum erit de noſtra ſalute. Sic enim ex Apoſtolo Iuda, proditor efficietur, Ex electo Rege Saul, Tyrannus, Dei contemptor, Ex Chriſtiano Iuliano, atheus Apoſtata.

Nos autem quid faciemus, aut quomodo nos in Trinitatis ſanctæ myſterio geremus?

Deum patrem, qui nos creauit, orabimus, ut nos conseruet, custodiat, curet, ac enutriat. Deum filium, qui precioso sanguine suo redemit nos, precabimur ut Verbo suo nos illuminet, atq; sacramentis suis confirmet, atq; confortet. Deum spiritum sanctum, qui nos in Baptismo sanctificauit, & ab omnibus peccatis purificatos absoluit, obnixè petemus, ut in fide syncera nos conseruet, atq; nos ex hac miseriarum ualle migraturos clementer suscipiat. In summa, debemus sanctam Trinitatem, atque diuinam unitatem suppliciter implorare, ut Deus pater, Deus filius, & Deus spiritus sanctus nos custodire atq; conseruare dignetur in recta fide, in charitate non ficta, & in uiuendi ratione uerbo diuino responsura, ut Dei filij poßimus esse, atq; aeternaliter uiuere, Amen.

DOMINICA PRIMA POST Trinitatis, Epist. I. Ioan. IIII.

CHarissimi, Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij, quòd sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc. Timor nō est in charitate, sed perfecta charitas foràs eijcit timorem, quoniam timor cruciatum habet. Qui autem timet, non est perfectus

in

in charitate. Nos diligimus eum, quoniã ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit: diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem uidit: Deum, quem non uidit, quomodo potest diligere? Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Quid Ioannes in hac conficit Epistola?

Summis laudibus euehit charitatem erga nos Dei, atq; ea ratione allicit nos, atq; prouocat, partim ad Deo firmiter credendum, partim ad charitatis erga proximum opera perficienda.

Quid est charitas?

Charitas est animi motus, per quem ex corde Deum diligimus, & inseruimus proximo. Charitatis obiectum est Deus, propter se dilectus, & proximus propter Deum.

Quotuplex est charitas?

Duplex. Altera Dei, Altera proximi. Vtraque autem est fidei fructus.

Quænam est charitatis ad Deum natura?

Diligere Dominum Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis uiribus, feruidoq; charitatis amore sic inardescere, ut homo citius multoq; libentius mortem oppetere uelit, quàm minima re

Deum offendere. Quo affectu ante casum praeditus erat Adamus, qui solum Deum in delicijs habuit, & in oculis tulit: & nos animum consimilem habere debemus, ueterem illum nostrum, cùm adhuc innocens esset, patrem imitati.

Quae natura charitatis in proximum?

Proximum ut seipsum diligere. Quae dictio (Sicut teipsum) in se continet atque complectitur omnia charitatis opera, nec non misericordiam omnem, quam homo homini poterit praestare. Oportet autem charitatem non hypocriticam, neque fucatam esse, sed synceram, incorruptam, ueréq; fraternam, qualem in nos ipse Deus exercuit.

Vnde charitatem in nos Dei cognoscere poterimus?

In hoc, inquit S. Ioannes, apparuit charitas Dei, quòd filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum, nempe nos, quos oportuisset aliàs in peccatis nostris perire, iam uerò per illum uitam recuperamus.

Nostris ne meritis charitatem in nos Dei sumus assecuti?

Audiamus quid S. Ioannes dicat: In hoc, inquit, charitas est, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos: & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Quibus uerbis S. Ioan-

S. Ioannes excludit omnia opera, ac merita nostra, atque propitiationem, iustificationem, saluationemq; nostram adscribit, aßignatq; soli diuinæ charitati. Quæ præcipua etiam causa, quapropter sanguinem suum preciosum pro nobis effuderit Christus.

Quid autem à nobis ipse uicißim requirit?

Ait Ioan. 6. Amen amen dico uobis, qui confidit mihi, habet uitam æternam. Item Ioan. 11. Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet.

Sufficit ergo solùm credere, Nihil operis faciendum?

Maximè sunt opera bona facienda, non quòd per ea peccatorum remißionem assequi poßimus, sed ut per ea fides nostra plana fiat, et illustretur, quæ sine bonis operibus est mortua.

Quid igitur faciemus?

Et nos, inquit S. Ioannes, debemus nos mutuò diligere. Si diligimus nos inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius est perfecta in nobis. Hic habemur expreßa, quæ debemus opera bona facere. Multi sic cogitant, affirmantq; gratißimos sese præstituros officia plurima Deo, si corporaliter ipse uersaretur adhuc in mundo. Sed uanæ, stultæq; sunt istæ cogitationes. Nam Deus est spiritus, ergo requirit tales adoratores, atq; ministros,

qui eum ſpiritu ac ueritate adorent. Quaſi dicat S. Ioannes: Quòd ſi uolueris Deo cultum ſpiritualem præſtare, crede in eum, nempe Christum, quē miſit ille. Hoc fundamentum eſt ſalutis. Quòd ſi præter hunc cultum, externo uolueris obſequio Deum uenerari, atq; gratificari: dilige proximum tuum ſicut teipſum, atq; huic oſtende proferq; fidei tuæ fructus. Hoc eſt Deo ſeruire ſpiritu atque ueritate, credere, atq; diligere. Crede igitur atq; confide Deo, ſolus hic ſit tua ſpes, atq; fiducia. Deinde reſpice proximum, huic quacunq; ratione poteris ſubueni, conſolare, & auxiliare. Quòd ſi non ualueris opere pleno, ſaltem uerbis adeſto. Quod ſi feceris, in Deo manebis, & Deus in te. Nam Deus charitas eſt.

Hæc magna ſunt charitatis præconia.

Nimirum. Quòd ſi coloribus exprimi poſſet charitas, imago pingenda eſſet, quæ comis, humana, & glorioſa, proximè referret Deum, qui Soli ſimillimus. Quemadmodum enim exorta Solis claritas illuminat totum orbem, & in eo bonos ſimul ac malos, iuſtos & iniuſtos uirtutis ſuæ participes reddit: (Quod enim bonum eſt, id ſuam bonitatem ſic effundit, ut ea multi fruantur. Vnguenti precioſi fragrantia, totam odore ſuo domum replet) Sic item omnipotens miſericors Deus facit, cuius immenſa bonitas nobis cœlos cum angelis omnibus

minibus donat, subijcit sidera, planetas, elementa cum uniuersis creaturis, suppeditat sapientiam, sanitatem, robur, pacem, omnibus denique bonis spiritualibus nos replet. Quod inuidens Satanas, mare malorũ offundit, & nisi Deus esset impedimento, mundum totum euerteret. Est enim Dei atq; hominum capitalis hostis, quem sequitur mundus, ut sponsa suum sponsum. Quod dilucidè uidemus in hodierno Euangelio, Vbi diues miserum Lazarum patitur inedia perire. Quòd si pius ille fuisset, ac scintillam charitatis habuisset, Moysis legem reuoluisset, quæ habetur Exodi 23. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si uideris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Non uidit autem uoluptarius homo proximi bouem, aut asinũ pondere depressum succumbere, sed ante fores ærumnosum ulceribus plenum hominem iacere, qui nihil aliud cupiebat, quàm micis de mensa Domini cadentibus exaturari. Sed nulla misericordia motus patitur egenum inedia contabescere. Quo deterrimo crimine totus ferè mundus absorptus est, impugnante uehementer hunc sacrum scripturæ locum: Deus charitas est, & qui in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo.

Est ne charitas tam preciosa res?

Tam præclara, tam preciosa res est ipsa cha-

vitas, ut ex homine terreno diuinum constituat, qui unum sit cum Deo, *& eadem ueluti massa.* *Templa quidem construere, Ptochotrophea, atque Xenodochea erigere, magnificum est opus, quod praestare tamen quilibet potest, cui multae sunt facultates, ac propitia* Regina *pecunia, sed ex toto corde proximum diligere, non est cuiuslibet hominis, sed peculiare solius* Dei *munus.*

Oportet ne semper illa duo simul esse connexa, nempe charitatem Dei, atq; proximi?

Quòd *si uolueris ut in te maneat* Deus, *oportebit etiam te permanere in charitate erga proximū, & in patientia, simul ac beneficentia perseuerare.* Nam *ea duo coniuncta sunt, ac insita sibi.* Proinde *si poteris ex corde proximum diligere, eiq; benefacere, tibi uicißim benefaciet* Deus, *multò plura quàm tu dederis, redditurus, nempe pro uncia minima decem millia pondo renumeraturus, & in te permansurus, cum omnibus suis bonis.*

Hæc gloriosa est, atq; magnifica promissio.

Maximè: Quid *enim poterit homo gratius ac praestantius optare, quàm inseri* Deo, *& cum eo rem unam haberi, ibiq; esse, ubi summa* Dei *maiestas est?* Porrò *qui apud* Deum *est, beatus atq; saluus est, etsi fuerit in medio gehennae.* Contrà, *qui remotus à* Deo, *perditus est, etiamsi fuerit in medio paradisi.*

Quid

Quid est, quod ait: Deum nemo uidit unquam?

Hoc est: Nemo potest oculis carneis in hoc mundo Deum uidere, nec corporaliter intueri. Semel is filium suum dilectum, carne, humanaq; fragilitate circundatum misit in terras, ut nos suis meritis saluaret, daretq; sanctum spiritum, quo docti cognosceremus in Deo nos esse, & Deum in nobis. Is igitur, qui Christum Dei filium confitetur, in Deo manet, ac Deus in eo. Aliàs uanum est cogitare, nos carnalibus oculis diuinā maiestatem inspicere posse. Dictum est enim Moysi, Exodi 33. Non poteris faciem meā uidere. Non enim uidebit me homo, & uiuet. Quamuis autem in hoc mundo carnaliter uideri nō poterit Deus, tamē id cōtingere poterit, ut Deus in nobis, & nos simus in illo.

Quomodo contingit hoc ipsum?

Qui manet in proximi dilectione, atq; charitate, is perspicuè demonstrat, euidentibusq; probat argumentis se in Dei quoq; charitate manere, quoniam altera non potest ab altera diuelli. Quapropter ubi charitas in Deum atq; proximum est, ibi quoq; nexus est atq; Spiritus sancti uinculum, quo deuincti nos in deo manemus, & Deus in nobis. Quòd si Deus in nobis, quid ante tempus eum corporeis oculis uidere concupiuerimus? In hoc potius diligenter incumbamus, ut in nobis uera fides, & perfecta sit charitas. Quod si fecerimus, non

erit

erit dubiũ, quin ſuo tempore Deum *uiſuri ſimus, ac bona cõſcientia diem expectaturi, quo* Chriſtus *in* gloria *uenturus, atq; finem huic impoſiturus mundo. Tũ in æternum regnum translati nos* Deũ *uiſuri ſumus facie ad faciem.* Interim *autem operam dare debemus, ut in hoc mundo ſic uiuamus, quemadmodum ipſe uerſatus fuit in eo.*

Quomodo Chriſtus in hoc mundo uixit?

Mundus *ad peccata non potuit ſolicitare aut pellicere* Chriſtum, *ſed potius diuina* Chriſti *conuerſatione, prædicatione, & exemplo prouocatus fuit ad meliorem uitã, atque pœnitentiã.* Et *noſtra charitate præditos non poterit uincere mũdus, ſed ipſe potius ad bona prouocabitur.* Sic *enim in nobis, ſi adfuerit illa, creſcet, exuberabitq;, ut ardore ſuo prauos omnes adfectus abſumere poſſit, ac omnem metũ animis eximere, nihil aliud deſideraturis quàm huius ſeculi finem, nihil item minus timentibus, quàm extremum* Dei *iudicium.* Charitas *enim perfecta forâs eijcit timorem.*

Quænam huius Epiſtolæ ſumma?

Hanc Epiſtolam S. Ioannes *ſcripſit contra ſecuritatis temerariæ pſeudochriſtianos, qui uerbotenus & oretenus* Euãgelij *ſunt amatores, multa quidem de fide,* Deiq; *uerbo potentes iactare, ſed producentes nulla fructuum bonorum opera.* Quibus *cauet, atque monet* S. Ioannes, *ut prouidi*

non

non seipsos decipiant sua falsa persuasione, sed enixè curent, ut recta fides bene fundata sic radices agat, ut in tentationibus & afflictionibus consistere poßit, per opera charitatis, atq; misericordiæ semper exercitata. Subindicat item neminem debere moueri aut seduci uaniloquentia Sophistarum, qui dicunt, ad salutem æternamq; uitam acquirendam, esse satis uel unicam fidei scintillulam. Qua in re nobis opus erit summa prouidentia, ut ambulemus cautè. Quòd si nihil præter scintillulam habueris, & eandem reliqueris in cinere. metuendum erit, ne non Satanas accurrens, suffundat ingentem aqua plenam amuliam, & extinguat. Plurima profectò requiruntur ad fidem incorruptam conseruandam, Quæ res est admodum fragilis, facillima collisu. Hinc S. Paulus ait, 1. Corin. 4. Habemus thesaurum hunc in testaceis uasculis. Quapropter necessariò nos oportebit orare Deū, ut non modò nobis fidem donet, sed etiam adaugeat, & in finem usq; conseruet, eiusq; fructus in nobis per spiritum sanctum exuscitet, ut fieri poßimus æternæ uitæ participes, Amen.

DOMINICA II. POST Trinitatis, Epist. I. Ioan. III.

NE miremini, fratres mei, si odit uos mundus. Nos scimus quòd translati sumus de morte ad uitam, quia dili-

diligimus fratres. Qui non diligit fratrē, manet in morte. Omnis qui odit fratrē suum, homicida est: & scitis, quòd omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem. Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui uerò habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, ne diligamus uerbo, neq; lingua, sed opere & ueritate.

Quid in hac Epistola S. Ioannes efficit?

Instanter exigit fraternam charitatem, affirmans eam esse uerum sigillum, certumq; signum fidei. Reprehendit igitur eos, qui uerbotenus Christiani sunt, qui putant constare posse fidem, etiam si nuda sit sine operibus charitatis, atq; misericordiæ fructibus.

Quid ergo nobis præcipuè proponit?

Primò, Crucem, & persecutionem Christianorum. Secundò, fructum & commoditates fraternæ dilectionis: & econtrariò damna fraternæ simultatis ac odij. Tertiò, exemplum Christi, qui pro nobis animam suam posuit. Quem imitari debemus,

bemus, & amore charitatis impulsi, uitam, si res efflagitauerit, pro fratribus amittere.

Quid de parte prima dicit?

Quandoquidem perpetua simultas ac odium intercedit ueris Christianis cum falsis, pios consolatur S. Ioannes, inquiens: Ne miremini fratres mei, si odit uos mundus. Nos scimus, quòd translati sumus de morte ad uitam, quia diligimus fratres. Q. d. Qui uerus Christianus esse uult, atque fidem in mundo, uerbumque Dei, gloriam ac nomen ore libero cõfiteri, ac opere testari, is non cogitet, se molliter uicturum in hoc seculo, tanquam in paradiso, uel cœlo quopiã, sed uarijs afflictionibus exercitum iri. Est enim Euangelion sermo crucis, Roman. 3. Et omnes qui uolunt piè uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur, 2. Timoth. 3. Proinde ubi Verbum Dei synceriter prædicatum fuerit, ibi statim tribulationes exorientur. Vbi autem crux nulla sequitur, ibi uix mundum fuerit enunciatũ. Quis enim fuit unquã, qui candidè pureque docuit Euangelium, omnis persecutionis expers?

Profer exempla.

Abel à fratre, propter Dei Verbum, occisus fuit. Sic omnes Prophetæ, omnes Apostoli, imò Christus ipse trucidatus. Qui non temerè ait, Ioan. 15. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Nullus igitur hodie uiuit Abel, qui non habeat suum

um Caynum, Nec ullus Iacob, qui non Esau, Dauid Saulem, Ioannes Baptista Herodem, Christus Caypham atq; Pilatum. Quilibet igitur uideat, ut in fide atq; charitate propter Deum crucem suam ferat patienter.

Quænam est causa, cur mundus odio prosequitur Christianos?

Satanas nouit à morte nos in uitam translatos, & è faucibus suis, atque tyrannide per Christum ereptos. Nouit se nullam in nos potestatem habere, quemadmodũ in hypocritas impios habet, quos in captiuitatem suam redactos incitat, ac impellit contra nos, ut crudeliter persequantur, in omnia pericula præcipitent, & postremò nos trucident.

Estne capitale inter impios & ueros Christianos odium?

Non hominis, sed Diabolicum in ueros Christianos odiũ habẽt impij, ut nũquã interquiescere possint, nisi bonos oppresserint, ut fratrem suum Cain.

Cur hoc ipsum Deus impijs permittit?

Nostræ salutis gratia. Nam ipsa re experimur, negligentiores, pigriores, atque deteriores nos futuros, cùm euenerint nobis omnia prospera, & nihil aduersi fuerimus paßi, atq; adeò, ut nihil in Dei cognitione proficiamus, sed omnium precum, implorationis atq; diuinæ inuocationis obliti prolabamur in carnales concupiscentias, quemadmodum

dum accidisse uidemus Israelitico populo. Contrà, cùm in urgentibus necessitatibus ac summis periculis uersamur, & grauiter affligimur, ad Deum confugimus, eumq; cognoscentes alacriter imploramus, acceptoq; per Dei uerbum animo confidenter ad gratiæ thronum adimus, edocti tribulationes omnes patienter sufferre.

Vnde cognoscimus è morte nos in uitam esse translatos?

Quoniam, inquit S. Ioannes, diligimus fratres. Nam fraterna dilectio nō est hominis opus, sed Dei Spiritus sancti, fructusq; fidei. Ergo ubi charitas uiget, ibi uita est æterna. Contrà odium & inuidia sunt opera Diaboli, & infidelitatis fructus. Hæc autem ubi sunt, ibi damnatio æterna est.

Quid de secunda parte Sanctus Ioannes dicit?

Sic ait: Qui non diligit fratrem, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: Et scitis quòd omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem.

Quid S. Ioannes per ea uerba intelligit?

Ne quis opinetur S. Ioannem dicere de charitate simulata, docet unde uera dilectio debeat profluere, nempe ex uera fide. Oportet enim arborem esse primitus, unde bonos fructus expetiueris. Arbor ea fides in Christum est, fructus sunt, charita-

bus nostris uitam ponamus, quemadmodū ipse pro nobis Christus, ut ait S. Ioannes, inquiens: Et nos debemus pro fratribus animas ponere.

Est ne talis apud nos charitas in usu?

O bone Deus, quid nos proximi causa faceremus, quomodo salutis eius gratia uitam poneremus, qui non libenter panis frustum impertimus propter Deum, nec uilissimum largimur obolum, nedū sanguinem pro eo funderemus, aut uitam? Cogitamus potius, & optamus ea, quae pauper habet, nostris facultatibus adiici, quàm de nostris illius.

Sumus ne igitur Christiani?

Sic Christiani sumus, ut Satanas est sanctus. Quomodo enim potest Christianus esse, qui magistrum suum Christum non sequitur, qui non doctrinam eius seruat, nec imitatur exemplum? Est autem Dei praeceptum: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et ipse Christus sic docet, Ioannis 13. Praeceptum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter uos mutuam. Item 1. Ioan. 2. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usq; adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & offendiculum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in

in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ occæcarunt oculos eius.

Secundò, uiderint hi omnes, qui proximo conuitiantur, maledicunt, criminantur, mala precantur, petunt, optantq́; , ijs etiam, à quibus nunquam sunt læsi, cùm inimicos debeant diligere, & pro ijs orare.

Tertiò, Qui proximi sanguinem exugunt, deuorant sudores, eiusq́; facultates, per fraudes, dolos, uersutiam, aut tyrannidem eripiunt. Qui potius miseris patrocinari, consolari, & auxiliari deberent, ij funditus perdunt, ac prouerbium illud implent: Homo hominis lupus, *cùm meliore iure* Deus *esse deberet. Quapropter hanc* Epistolam *concludit S. Ioannes, inquiens :* Filioli mei, *ne diligamus uerbo, neq; lingua, quæ charitas est hypocritica atque fucata, perducens ad infernum, sed diligamus opere, & ueritate, ita ut uerbo, corde, & opere simus erga quemlibet benigni, iuuemusq́; cōsilijs et auxilijs, eaq; ratione thesaurum nobis paremus in cœlis, nunquam interiturum,* Amen.

DOMINICA III. POST *Trinitatis,* Epist. I. Pet. V.

FRatres, Humiliamini sub potenti manu Dei, ut uos extollat cùm erit opportunum: omni cura uestra coniecta in illum. Nam illi cura est de uobis. Sobrij

estote, uigilate, quoniam aduersarius uester diabolus, tanquam leo rugiens, obambulat, quærens quem deuoret, cui resistite solidi fide, scientes easdem afflictiones, uestræ quæ in mundo est fraternitati, consummari. Sed Deus omnis gratię, qui uocauit nos ad æternam suam gloriam, per Christum Iesum parumper afflictos, idem instauret uos, fulciat, roboret, stabiliat. Ipsi gloria, imperium, in secula seculorum, Amen.

Quotnam res S. Petrus in hac nobis proponit Epistola?

Tres præcipuè. Principiò nos ad humilitatem exhortatur. Deinde ad uigilantiam, atq; sobrietatem. Tertiò precatur, ut fide crescamus, ac corroboremur.

Da primæ admonitionis uerba.

Sic ait S. Petrus: Filioli, humiliemini sub potenti manu Dei, ut uos extollat, cùm erit opportunũ: omni cura uestra coniecta in illum. Nam illi curæ est de uobis. Hæc est egregia ad rectam ueramq; humilitatem adhortatio, hominibus Christianis dignißima, atq; ualde necessaria. Quid enim magis hominem Christianum dedecet, quàm superbię fastusq; crimen, quod si prouenerit malitia carnali, peius est, sin profluxerit ab operum meritorumq; propriorum fiducia, peßimum. De utroq; scriptu-

ra dicit Lucæ 18. Qui se exaltat, humiliabitur. Et qui se humiliat, exaltabitur. Et ipsi Ethnici iudicarunt indignissimam homine superbiam, quam Deus non posset in hominibus diu tolerare. Vnde Aesopus, autore Laërtio, rogatus, quid ageret Iupiter, respondit: τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ. Id est, Deprimit excelsa, & tollit humilia.

Quotuplex est humilitas?

Duplex: Interna, & Ex[illegible]na.

Externa est, quum s[illegible]m homo nihili facit, sese concha (quod aiunt) ligulaq;, alios autem obelisco, arguoq; clypeo dignos asserit, neminem contemnit, paratus ad inseruiendum omnibus, etiā nebulonibus atq; tyrannis. Quæ uirtus si processerit ex intimo corde, omnium est præclarissima. Ad quam nos Christus inuitat, Matth. undecimo, dicens: Discite à me omnes, quia mitis sum ac humilis corde.

Interna, qua corruptam naturam suam homo cognoscit, ac de suis factis, operibus, ac meritis omnibus, desperat, nec aliquā in uita sua, totáque ratione fiduciā habet, neq; sibi uel minimum uel maximū adscribit, sed Deo soli dat gloriam. Hanc humilitatem sequitur indiuidua comes, iustitiæ sitis, ac esuries, Mat. 5. Quam Christus beatā pronunciat.

Cur debemus humiliari?

Vt suo tempore Deus nos exaltet. Quasi dicat

S. Petrus: Ne erretis, nec moueamini, quòd Deus emanere uideatur diutius. Vos perseuerate, non considerantes longiora tempora, quibus estis humiliādi. Vobis diuina sufficiat promißio, qua deus pollicetur, se uos exaltaturū. Quod licet modò uideatur paulo diutius prolongari, tamen certò perfecturus erit, si non in hoc, tamen in futuro, quod longè melius erit ac utilius, seculo. Sic Deus Lazarum, Lucæ 16. & Publicanum, Lucæ 18. exaltauit.

De nobis ne Deo cura est?

Maximè. Audi quid hic S. Petrus dicat: Omnem curam uestram in illum conijcite. Nam illi cura est de uobis. Quasi dicat: Non modò pro uobis curam gerit Deus, ut cibum, potum, uestes, calceos, & cætera, quæ uobis necessaria sunt, habeatis, sed etiam ut uos in omnibus tentationibus & afflictionibus protegat. Sic Deo uestra calamitas curæ, sic uos in oculis gerit, ut propalàm dicat, Zachar. 2. Qui tetigerit uos, tangit pupillam oculi mei.

Da exemplum.

Deo curæ fuit Israël, adeò ut potenti manu eduxerit eos ex Aegypto per mare rubrum, ac inibi submerserit omnes inimicos. Deinde panem cœlestem suppeditauerit in deserto. Vbi quadraginta annis non sunt attrita uestimenta, nec calceamenta pedum uetustate consumpta. Deut. 29. Nec modò rebus externis Israëli prospexit Deus, sed etiam internis. Dedit enim legem, cultum diuinum, sacerdotes,

dotes, Leuitas, Prophetas. Praeterea certò promisit, se Deum atq; patrem fore Israëlitarum, suumque populum illos, atq; filios. Quae promißio ad nos quoq; pertinet.

Quaenam est secunda adhortatio?

Sobrij, inquit, estote, uigilate, Quoniam aduersarius uester Diabolus, tanquam Leo rugiens, obambulat, quaerens quem deuoret.

Quid est sobrium esse?

Est à nimio potu, cibisq; temperare appetitum gulae.

Quid uigilare?

Est fide recta crescere, & in finem usque perseuerare, exemploq; quinq; prudentum uirginum, in uasis oleum sumere cum lampadibus, & sponso obuiam procedere. Matthaei 25. Hae uirtutes duae semper apud Christianos inueniri debent, quum ebriosus, ueternoq; torpens homo, ad rem nullam honestam utilis habeatur, sed dormiat, stertat, et in peccatis, ueluti sus in coeno uolutabro, conquiescat.

Cur sobrij debemus esse, ac uigilare?

Quoniam aduersarius Diabolus, tanquam Leo rugiens, obambulat, quaerens quem deuoret. Nos in hoc mundo sumus in Satanae regno, imò in eiusmodi diuersorio, in quo tabernarius & caupo fur

est atque latro, Qui non dormit, sed obambulat & obseruat nostros gestus, uerba & opera omnia, diligenterq; perpendit, ac indagat ad quidnam procliues simus, inde colligit occasionem in nos grassandi. Non autem adoritur nos aperto Marte, sed insidijs, dolosè contemplans qua parte fragiliores, debilioresq; simus. Et si hac non successerit, alia solet aggredi uia, Quòd si nihil perfecerit Superbia, protinus adducit Auaritiam: & hac si nihil promouerit, attrahit luxuriam atq; libidinem: quæ si non satis efficax fuerit, odium affert, & inuidiã, nec cessat oppugnare tantisper, donec miserum prostrauerit. Nam est acerrimus hostis Dei atque Christianorum, & insidiator uitæ, & animarum nostrarum crudelißimus, nihil aliud animo reuoluens, quàm ut nos funditus perdat.

Quomodo nos Satanas adoritur?

Duplici ratione: Corporali, & Spirituali. Corporalis est, qua miseros homines crudeliter affligit, atque trucidat, primùm ferro, secundùm igni, tertiùm fluuio, quartùm ueneno, quintùm prælijs, sextùm pestilentia, uarijsq; morbis, quemadmodum illi permittitur à Deo, & nos quotidie culpa peccatorum nostrorum experimur.

Spiritualis est, Qua mortales ad peccata uariaq; scelerum genera pellicit atque prouocat, securos reddens, & ab eorum oculis auferens

Dei minas atque supplicia, ita exultantes lætitia sequamur ipsum. Sic pellexit, atque protraxit ad adulterium, atque homicidium, Regem Dauidem: imò primam matrem nostram Euam ad Dei contemptũ & inobedientiã. Et utriq; Satanas non ostendit sese tanquam rugientẽ Leonem, sic enim nemo fuisset assensus, aut secutus, sed transformauit se, ut ait Sanctus Paulus, in lucis Angelũ. Atqui cùm intulit damnum, facinusq; designauit, tum demũ solet declarare, se rugientem esse Leonem.

Quomodo poterimus Diabolo resistere?

Sic ait S. Petrus: Resistite solidi fide. Quasi dicat: Sobrij debetis esse, & uigilare, ut corpora uestra sint aptiora ad quod bonum est, faciendum: et sublata sit omnis delinquendi opportunitas. Sed ea re Satanas nondum profligatus est. Verus enim gladius, ueraq; sunt ad illum debellandum arma, nempe firma fides, per Dei uerbum acquisita. Hoc munitissimum est propugnaculum. Curate igitur ut bonam habeatis armaturam, depromptam è S. Pauli armario, Ephes. 6.

Quid igitur faciendum, ut Satanæ resistamus?

Diabolus profligabitur, si corde fortissimo Dei uerbum apprehenderimus, & ex eo firmiter pependerimus, hostemq; contemnendo fortiter, opposuerimus animo tanquam gladiatorio. Experieris

ris atque senties statim abiturum illum, omnemq; tentationem & impatientiam cessaturam, si poteris imperterrito animo dicere: En Satana, Deus hoc dixit, hoc eius est uerbum, super quod ædifico, & sto ueluti murus aheneus, feceris etiam tu, quod nolueris. Ego uiuam ac moriar in Dei uerbo. Quod cùm sciat Diabolus, omnes neruos intendit, ut illud auferat è corde tuo, uel impediat, quò minus audias. Huc enim omnes artes, omnes confert suas facultates, ut istum gladium, & sancti spiritus arma, tuis è manibus extorqueat, Quod haud grauatim faciet, quū te socordem, negligentem, atq; pigrum reddiderit ad audiendum Dei uerbum, & opera bona facienda. Item quum te per uoluptatis irritamenta pellexerit ad nimium cibi potusq; luxum, corpusq; reddiderit ad omnia maleficia procliue. Sic primæ nostræ matri cōtigit, Quæ si firmiter in Dei uerbo, præceptoq; permansisset, nunquam casu turpissimo fuisset prolapsa. Postquam enim cœperat dubitare de Dei Verbo, statim hoc ipsum Satanas è corde fluctuantis eripuit, atq; perdidit.

Quid est, quod ait: Scientes easdem afflictiones fraternitati uestræ, quæ in mundo est consummari?

Hisce uerbis Christianos omnes consolatur, adhortans ut crucem, & afflictiones suas patienter ferant, quum non solùm affligātur ipsi, sed multos

habeant

habeant tribulationum socios. Q.d. Christianorum uita quasi militia est super terram, coguntur enim aßiduò in armis esse, & in tentationibus contra peccata, Satanā, portasq; infernales dimicare.

Quid S. Petrus Christianis precatur?

Sic ait, Epistolam concludendo: Deus omnis gratiæ, qui uocauit uos ad æternam suam gloriam per Christū Iesum parumper afflictos, idē instauret uos, fulciat, roboret, stabiliat. Ipsi gloria, imperium, in secula seculorum. Hæc est eximia precationis optatio, non solùm cōquassatis, & coangustatis conscientijs ualde bona, sed etiam utilis, et accepta. Nam cùm homo, qui tentatur à Diabolo, audit S. Petrum dicere: Resistite, stabili fide, cogitare poterit: bene quidem S. Petrus ea uerba protulit, sed unde firmam fidem consequar? Cui quæstioni S. Petrus occurrit opportunè, inquiens: Afflicti fratres, ne tristemini, neq; soliciti sitis. Deus. n. gratiæ, non portio, sed omnis gratiæ plenitudo, qui uos ad æternam suam gloriā, non ex operib. uestris, aut meritis, sed per Christum Iesum uocauit, is instaurabit uos, & fide solidos ficiet, corroborabit etiā, ut indies magis atq; magis reddamini firmiores, auctioresq; fide. Præterea stabiliet, hoc est, super eiusmodi fundamentū superstruet, ut inconcußi aduersus mundum, Satanam, ac omnes inferorum portas stare, & poßitis

tis liberè Christum confiteri, mortem etiam, si res efflagitauerit, oppetere pro gloria Dei. Eidem omnis gratiæ Deo, qui fide nos instaurat, fulcit, roborat, atque stabilit, sit gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

DOMINICA IIII. POST
Trinitatis Epistola, Rom. VIII.

FRatres, Reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriā, quæ reuelabitur erga nos. Etenim solicita creaturæ expectatio expectat, ut palàm fiant filij Dei: Quippe uanitati creatura subiacet, non uolens, sed propter eum qui subiecit illā sub spe. Quoniam et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit, simulque nobiscum parturit usque ad hoc tempus. Non solū aūt illa, sed & ipsi qui primitias spiritus habemus, & nosipsi in nobis gemimus, adoptionem expectantes, redemptionē corporis nostri.

Quid in hac Epistola S. Paulus docet?

Hactenus edisseruit, quomodo per misericordiam Dei propter Christum iustificemur, reddamurque

murq; filij Dei, & Christi cohæredes, atq; adeò, ut cum Christo regnaturi, et in æternum uicturi simus. At quoniã hoc ipsum non prius euenire poterit, quàm cum Christo simul paßi fuerimus, Ergo S. Paulus hîc admonet, ut crucem atq; paßionem nostram feramus æquanimiter, atq; patienter.

Suntne cruci prorsum, atq; passionibus subiecti Christiani?

Mundus opinatur eum, qui bonus atq; pius sit, fore sine tribulationibus: Sed longè aliter se res habet. Nam incipiens Christianus piè uiuere, statim persecutiones patietur, statim insequetur crux, & omne malorum mare. Beatus quidem est Christianus, sed in terris nihil eo reperitur infelicius, iuxta conspectum externum. Ergo S. Paulus in hac Epistola consolatur Christianos, ac dicit, Non conturbari debere Christianos, quòd propter fidem, piamq; conuersationem mala uaria patiantur, sed alacriter oportere progredi, nec ulla cruce, uel calamitatis angore deturbari. Potenter itaq; ad patientiam exhortatur, propter causas tres.

Quænam prima causa?

Quia cum Christo in æterna uita regnabimus. Nam S. Paulus ante hanc Epistolam sic ait: Si filij, igitur & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Siquidem simul cum eo patimur, ut & unà cum eo glorificemur. Et 2. Timo.

2.

2. Si sufferimus, & conregnabimus. Quasi dicat: Quemadmodum Christus omnem suam paßionem euicit, & ipsa crux ei ceßit in æternam omnis felicitatis benedictionem, sic oportebit nostras afflictiones in æternam salutem atq; felicitatem erumpere. Nõ enim mentiri, nec fallere potest Christus, qui ait: Vbi sum ego, ibi minister quoq; meus futurus erit. Curemus igitur hoc unũ, ut eius ministri inueniamur, nostrumq; sequamur magistrum.

Quænam est altera adhortationis huius Paulinæ causa?

Temporis, quo patimur, breuitas. Nam sic ait: Reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Q. d. Nostra, qua cruciamur in terris, afflictio, transitoria est, & momentanea, finem accipiens aliquando. Sed gaudium, &, quam expectamus, gloria sempiterna manet. Nulla igitur est inter hanc & illam comparatio. Sunt enim, quæ Deus diligentibus se præparauit, eiusmodi, quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt. Et Christus ait, Ioan. 16. Mœror uester uertetur in gaudium, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Et S. Iaco. ca. 1. Pro summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes incideritis uarias.

Sed crux dolorem adfert.

Quid tum? Non oportebit nos meliorem sorti-

clementio

clementioremq; fortunam habere, quàm expertus fuit Christus dominus noster. Non est discipulus magistro maior, nec seruus domino. Nos oportebit crucem tollere, ac Christum dominum sequi, si modò uoluerimus eius regni participes fieri. Quamuis igitur crux doleat, tamen nihil deterretur Christianus, auertens oculos à mundo, ac per fidem deflectens ad futura cœlestia bona.

Quænam est tertia causa?

Creaturarum compaßio. Nam sic ait S. Paulus: Solicita creaturæ expectatio, expectat ut palàm fiant filij Dei. Quippe uanitati creatura subiacet, non uolens, sed propter eũ, qui subiecit illã sub spe. Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum dei.

Quid per ea uerba sentit?

Hoc intelligit: Idem accidit Dei filijs, quod euenit omnibus creaturis. Hæ licet conditæ sint ad laudem ac gloriam Dei, tamẽ ijs abutuntur impij, ac redigunt eas in seruitutem Diaboli. Quemadmodum autem homines impij creaturas Dei malè tractant, imò Deum ipsum blasphemant, & sanctum nomen eius atq; uerbum afficiunt dedecore, sic faciunt omnibus Dei filijs, ac ijs inferũt omnia mala. Et quemadmodum omnes creaturæ sperãt, & expectant liberationem, in nouißimo die futuram: ita filij Dei suam sperant, & expectant redemptionem ad eundem diem. Est aũt hæc rara & mirabi

lis prædicatio, cui uix similẽ reperias in tota scriptura, nempe quòd cœli, terra, sol, luna, aues, pisces, feræ, cæteraq; omnes creaturæ gemiscãt, sperent, & expectent filiorum Dei liberationem.

Quid est illud congemiscere creaturarum?

Est dolere, quòd subiectæ sint impijs hominibus ijsq; cogantur inseruire & præstare obsequium ad omnia peccatorum genera designanda.

Da exemplum.

Creaturarum omnium pulcherrimus sol, cùm fulgore suo pium unum hominem irradiat, cogitur etiam inuitus lucere super centum millia nebulonũ, blasphemorum, seditiosorum, prædonum, sicariorum, latronum, adulterorum, atq; similiũ, quibus lumen accommodare cõpellitur ad teterrima patranda crimina. Quod non paruum ipsi dolorem adfert, tanta uidenti crimina. Cupit igitur anxiè nullo prorsum splendoris sui radio lustrari maleficos, scortatores, ebriosos, perfidos, sed Dei mandato parere coactũ oportet eum officio creaturæ fungi, & obsequium ad quod ordinatus est atq; cõditus præstare, usque ad nouißimum diem, quem ingemiscens sperat & expectat.

Ingemiscunt igitur creaturæ?

Omnia quæ sunt in hominis utilitatem à Deo creata, nempe Sol, luna, stellæ, cœli, terra, montes, ualles, aquæ, uolucres, pisces, herbæ, frumenta, quibus

bus uescimur, uina quæ bibimus. Item boues, uaccæ, porci, anseres, gallinæ, & breuiter omnia, quibus abutimur, clamant, quiritant, & conqueruntur de impijs, & conquerentur in nouißimo die, quemadmodum scriptum est in libro Sapientiæ cap. 5. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum.

Quid hac concione Sanctus Paulus efficere studuit?

Consolari Christianos. Q. d. Ne tristemini tantoperè propter crucem atque paßionem uestram, cùm eadem respectu futuri gaudij, nulla reputanda, cumq; non soli uos patiamini, sed cōpatiantur omnes creaturæ. Quādocunq; boat omnis bos, balat ouis, & porci grunnium, clamorem edunt contra impios, ministerijs suis non solum indignos, sed etiam omni panis buccella, & haustu aquæ. Quapropter anguntur omnes creaturæ, non aliter atque mulier parturiens. Obscuritatem & tenebras præ dolore nimio Sol optat, ne cogatur malis suppeditare lumen. Terra cupit sentes ac tribulos producere, ut sterilitate sua malefici suffocentur. Mare & flumina gestiunt exiccari. Oues malunt spinas ferre. Libentius uenena uaccæ, quàm lac suppeditare uolunt, ne sit, quam inde percipiant utilitatem impij. Atqui nolint uelint, Deo parêre coguntur, ad suum usq; tempus.

Estne Deus ea omnia aliquando à malis liberaturus?

Maximè. Nam à Deo constitutum atq; decretum est, ut ad tempus usq; suum mundus terræ semina mandare debeat, & iuxta Zachariæ prophetiam, sex annorum milia durare, pòst finem habere. Tum suo tempore Deus omnia purificaturus, nouaq; redditurus erit, quemadmodum S. Petrus scribit.

Suntne omnes creaturæ corruptæ factæq; deteriores?

Verißimè, Vix enim mediam suæ claritatis, quã accepit ab initio, partem Sol retinet. Nam multò redditus est obscurior, Sed eũ in die nouißimo Deus expoliet, &, quemadmodum ait S. Petrus, 2. Epist. cap. 3. per ignem purificabit, ut septies lucidior sit futurus: consimiliter & terra, atq; omnia elementa, quæ æstuantia soluẽtur, et quæ in ijs sunt opera, exurentur. Quare summis uotis illum diem sperat expectatq; quo perpoliẽtur, atq; renouabuntur omnia.

Quid est, quod S. Paulus ait: Vanitati creatura subiacet?

Hoc intelligit: Omnes creaturæ, cœlum, terra, sol, luna, ignis, aër, aqua, frumenta, uina, aurum, et argentum, miserrima sunt in seruitutem redacta mancipia. Libentißimè uelint Domino Deo, filijsq; eius dilectis ex animo seruire, ut S. Petro, S. Paulo, S. Ioan-

S. Ioanni, reliquisq; sanctis atque pijs hominibus, cùm interim inuitæ cogantur famulatu suo ministrare perditißimis hominibus, bipedumq; nequißimis, Iudæ, Pilato, Herodi, Cayphæ, & reliquis eius farinæ turpißimis, qui nihil aliud faciunt, quàm blasphemant, filiosq; Dei calumniantur, persequuntur, exterminant, & occidunt. Nec propter id ulla mouentur conscientia, imò præcipites amentia putant sese Deo præstare obsequium. Quapropter omnes gemunt creaturæ, & exclamant: O quando, ò quando ueniet, & illucescet aliquando illa dies, qua tandem omnes in libertatem uendicabuntur creaturæ? Quando tempus illud appropinquabit? Nullus adhuc finis malorũ? nullus termi nus furoris, atq; cædis? Quando principium gloriæ filiorum Dei?

Itane gemunt, clamantq; creaturæ omnes, cùm audiat nemo?

Aliquo modo nos experimur gemitus creaturarum, atq; clamores, sed plenius audit Deus, Etenim si uerberaueris lapidem, aut aliquid ei illiseris, emittit sonum, quasi gemitum. Si fregeris lignum, aut succideris arborem, ædit fragorem. Si iugulaueris animal, dat uocem. Si uermiculum de niq; calcâris, sese resupinum surrigit, & malæ tractationis impatiens, reflectit. Et breuiter omnes ita conqueruntur de iniurijs, quibus afficiuntur à malis hominibus creaturæ, sed coguntur ad finem

usq; perpeti, propter eum qui creauit eas, atq; uanitati subiecit.

Nobis consimiliter accidit?

Maximè. Nam quemadmodum omnes creaturæ gemunt, suspirant, clamant, subiectæ paßionibus, ita cunctos Dei filios oportebit afflictionibus obnoxios esse, propter eum qui tribulationibus eos subdidit. Constitutas igitur calamitates non possunt præterire, nec effugere, coacti mala perpeti, dum in hac uiuunt lachrymarum ualle. Hinc est quòd S. Paulus nominet Christianos primitias spiritus, q. in ijs Dei spiritus incipiat operari, & peccata proterere atq; proculcare. Huc Christianus peruenit, non altius. Nam in hoc mundo nemini spiritus perfectio contingit. Per Dei gratiam homo poterit peccandi facultatem diminuere, sed perfectus reddi non potest. Accidere quidem poterit, ut superbia, auaritia, inuidia aut consimilibus uitijs diuexatus homo, confugiat ad Deum patrem, & intimis spiritus suspirijs postulet ab illis liberari, & exoratus Deus ita succurrat, ut cras minus superbiat peccator, aut auarus sit, &c. Item perendie minus, Item minus ultra septimanam, mensem, annum. Huc rem poterit homo deducere, nunquam ultrà. Quod ipsum S. Paulus ubiq; uocat, in fide crescere, augeri, & in cognitione Christi proficere. Et S. Petrus, Crescite, inquit, in gratia, & cognitione Domini nostri & seruatoris Iesu Christi, 2. Petri 3.

Habemus

Habemus ne spem atq; consolatio- nem, scientes omnia mala ali- quando finem habitura?

Maxime, In scripturis enim uidemus, ut ubi- cunq; crucis atque paßionis mentio fit, subiuncta statim sequatur consolatio. Sic ait S. Petrus, Acto. 14. Per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei. Quo in loco praecedit afflictio, & se- quitur Dei regnum. Et Christus, Luc ultimo: Non- ne hec oportuit pati Christum, & intrare in glo- riam suam? Hic item paßio praecedit, gloria autem sequitur. Et S. Paulus ante hanc Epistolam: Siqui- dem, inquit, simul cum eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur.

Quomodo igitur nos in cruce & adflictionibus gerere debemus?

In cruce nos oportebit quietam habere consci- entiam, atq; Deo permittere, ut nos ueluti massam exerceat, contundat, atque pinsitet: concedere ut nos asciet, dedolet, serret, expoliatq;. Certò per- suasum habeamus quicquid acciderit, ad adflicto- rum salutem contingere. Oportebit enim in hoc mundo Christianos cruce atq; paßione renouari, atq; renasci. Patientiam igitur habeamus, spere- mus & expectemus, quibus certum hoc est signum, quo nouimus Dei nos esse filios. Gaudeamus ad hoc diuinae cognitionis speculum nos perue-

nisse. Proinde non crucem nec afflictiones metuamus, neq; exhorreamus, cùm ipsa crux atq; tribulationes electionis diuinæ certa sint experimenta, & Lydius, quod aiunt, lapis. Quapropter qui cum Christo pati potest, & in paßione spiritum in Dei patris omnipotentis manus commendare, is proculdubiò tutus ab inferno mansurus, ad æterna gaudia perueniet, per dei misericordiam ab Angelis translatus in æternam uitam, Amen.

DOMINICA V. POST
Trinitatis, Epist. I. Petri III.

FRatres, In summa, omnes sitis unanimes, similiter affecti, fraterna præditi charitate, misericordes, affabiles, nõ retaliantes malum malo, aut conuitium conuitio, sed contrà benedicentes, scientes, uos in hoc uocatos esse, ut benedictionem hæreditate possideatis. Nam qui uult uitã diligere, & uidere dies bonos, coërceat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum. Quærat pacem, & persequatur eam: quoniam oculi Domini super iustos, & aures eius ad deprecationem illorum. Rursus aspectus Domini super eos qui faciunt mala. Et quis est qui sit afflicturus uos, si bonitatis æmulatores

mulatores fueritis? Imò si quid acciderit incommodi propter iustitiam, beati tamen estis. Cæterùm terrore illorum ne terreamini, neque turbemini, sed Dominum Deum sanctificate in cordibus uestris.

Quidnam S. Petrus in hac docet Epistola?

Postquam Christum basin atq; fundamentũ posuit, omnesq; Christianos sacerdotes constituit: iam in sua uocatione atq; statu quemlibet docet, quomodo sese debeant gerere, ut erga magistratum subditi atq; serui, erga maritos uxores, & erga parentes liberi. Præterea quædam generaliora præcepta tradit, ad mores nostros, uitamq; pertinentia: præcipuè autem tres ponit admonitiones. Principiò *demonstrat, quomodo nos erga proximũ affecti debeamus esse, nempe unanimes, misericordes, affabiles, charitate præfulgentes, &c.* Deinde *quomodo erga persecutores, & inimicos, nempe ut eorum iniurias patienter feramus.* Tertiò, *quomodo erga Deum nos gerere debeamus, nempe ut eum sanctificemus in cordibus nostris.*

Quodnam est primæ admonitionis dogma?

Sic ait S. Petrus: Omnes *sitis unanimes, similiter affecti, fraterna præditi charitate, misericordes, affabiles, &c.*

Quid est, unanimes esse?

Vnanimitas est eiusmodi uirtus, quæ concordes facit homines, atq; conciliat, ita ut animi atq; corda conueniant cum sensibus, ut idem uelle sit, atq; idem nolle, non rebus illicitis, ac inhonestis, sed in ijs, quæ pertinent ad Dei cultum, honorem, uerbum, nomen, publicam utilitatem, atq; nostram salutem.

Sed quis efficere poterit, ut tot capitum atq; sententiarum homines unanimiter sentiant, atq; concordes sint?

Apud homines carnales impoßibile, sed apud Christianos est poßibile.

Quid est, similiter affectum esse?

Præclara uirtus est, qua alter alterius onera portat, curamq; gerit proximi, atque eius angustias, calamitates, atq; tribulationes ita dolet, ac non aliter suscipit, ac si propria essent. Ad quod S. Paulus adhortatur Gala. 6. Inuicem, inquit, alij aliorum onera portate, & sic complete legem Christi. Contra quam S. Pauli doctrinam peccant amoris affectione carentes, quos astorgos appellant, hoc est, inhumanos, inciuiles, ac barbaros, qui cùm in afflictione proximum esse uiderint, audeant dicere: Optimè res succedit, Opportunè Deus ulciscitur, Paruum est, quod infertur malum: longè ma-

tus supplicium maleficus promeruit. Sed hi sunt apud Deum homicidæ.

Quid est, fraterna charitate præditum esse?

Cùm alij fauore & amore mutuo prosequũtur alios, non ut amicos, sed tanquã fratres, sic ut non adsit ficta & hypocritica dilectio, sed uera fraternaq; charitas, ex corde procedens, non uerbis tantùm, aut gestu constans. Ad hanc nos exhortatur Christus, Ioannis 13.

Quid est, misericordem esse?

Diuinum est opus uirtutis, quo sunt alij erga alios sic affecti, ut parentes erga liberos, & sanguine iuncti erga necessarios. Qui cùm uiderint uel audierint, suos egestate laborare, aut premi necessitate, statim intimo cordis affectu mouentur, ita ut compassionis acrimonia pertranseat, penetretq; carnem, sanguinem, ac omnes neruorum medullas. Talis affectionis uehementiam Christiani quoq; deberent habere, ut alij alijs etiã cum uitæ periculo subuenire, & ab omnibus necessitatib. eripere certatim contenderent, Quod Christus fecit, & faciendum 1. Ioan. 3. docet.

Quid est, affabilem esse?

Animi candor, comitas, uel affabilitas uirtus est clarissima, qua homo seipsum regere & domare, affectus proprios cohibere potest, nec permittit ad iram sese prouocari. Sed prouidus, perspicax & prudens, omnia partem in meliorem acci-

pit, ac interpretatur, Omnia boni cōsulit, Omnium horarū homo, facilis, mansuetus, officiosus, ut quilibet cum eo gaudeat amicitiam inire.

Eximiæ profectò sunt istæ uirtutes?

Proculdubiò. Quapropter eas iam enumeratas quinq; meritò deberent omnes Christiani semper in usu frequentißimo habere, & unanimes, & cumprimis in Euangelica doctrina cōcordes esse, nempe Magistratus, subditi, concionatores, præceptores, discipuli, parentes, ac liberi similiter affecti, fraterna præditi charitate, cùm eundem dominū, eandem fidem, eundemq; baptismum habeamus. Atqui unanimitatem hanc atque similem affectionem Satanas disturbauit, ac dißipauit uarijs sectis & ordinibus, in quibus alij se meliores alijs esse præsumpserunt, non fidei, nec patientiæ, neq; charitatis ratione, sed externorum operum, locorum, temporum, ciborum, uestimentorum, consimilium ceremoniarum respectu. Quilibet sibi deligebat aliquem sanctum, quem imitaretur, non exemplo, quomodo beatus Deo confisus credidisset, & ex toto corde dilexisset, sed quali uestimentorum & ciborum genere fuisset usus, qualiaq; fecisset opera. Stultum igitur hoc imitatorum genus, ficti meri simij. Horū quot fuere, tot nouas propriasq; uiuēdi modos ac formas excogitauerūt. Quod nō fuit unanimiter uiuere, nec habere simile affectionē.

Sed quomodo concorditer eadem poterimus opera facere?

Quamuis in suo statu atque conditione quilibet habeat proprium opus, & officium, quo diligenter fungi debeat, tamen in id debet incumbere, ut eadem & concors in nobis sit fides. Hæc ubi pura rectaq; fuerit, ibi quoque fraterna charitas erit. Et ubi uera dilectio, ibi quoq; sensus idem & eadem mens, & animus futurus. Virtutes etiam aliæ concomitabũtur, omniaq; fient ex charitate fraterna.

Quænam est altera admonitio?

Sic ait S. Petrus: Non retaliantes malum malo, aut conuitium conuitio, sed contrà benedicentes, scientes uos in hoc uocatos esse, ut benedictionem hæreditate poßideatis.

Quid ijs uerbis docet?

Christianos tripliciter exhortatur.

Ad quidnam exhortatur eos primo?

Sic ait: Qui uult uitam diligere, & uidere dies bonos, coërceat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum. Quasi dicat: Cui pax, iucunditas, gaudium, atq; tranquillitas in hoc mundo curæ sunt, atq; uoluptati, is compescat os, linguamq; suam coërceat, non solùm in amicorum, sed etiam inimicorum contubernijs. Est enim tutum, ut prouerbio dicunt, silentij præmium. Non igitur conuitia dicat, non calumnietur, non uindictam

ctam expetat, non malum malo retaliet, non effundat uerba pro uerberibus, non conuitia pro conuitijs, sed potius benedicat, bona loquatur, & quæ iucunda sunt, honesta, & utilia proferat. Videte, ne quem circumueniatis, neminem lædatis, neminem Theonino dente mordeatis. Multi sunt qui coràm blandi, nocent occultè, palàm agunt amicos, clàm obtrectant, quod est, iuxta prouerbium, Magadari. Qui ore ferunt mella, corde uenena condunt, atque pungunt ut Scorpiones. Ore prosperum diem optant, sed animo lernam malorum imprecantur. Qui sunt arboris malæ fructus, quibus eueniet, quod dicitur Psal. 108. Dilexit maledictionem, & ueniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Oremus igitur Dominum cum Dauide, dicentes, Psal. 14. Pone, Domine, custodiã ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Non declines cor meum in uerba malitiæ, &c.

Ad quidnam Christianos adhortatur secundo?

Declinet, inquit Sanctus Petrus, à malo, & faciat bonum.

Quid intelligitur per ea uerba?

Indicat pœnitentiæ descriptionem. Est enim nihil aliud pœnitere, quàm à malo declinare, peccatis mori, & ei quod bonum est, adhærescere. Quasi dicat: A malo recede. Quod si blasphemasti, si calumniatus es, & execratus, si malum malo compen-

pensasti, non eadem amplius crimina designes, audi potius: Patere, & abstine. Omnia Deo committe, cuius est uindicta. Ne te uincat malum, nec in captiuitatem redigat. Sed quod bonum est, operare. Fuge superbiam, auaritiam, luxuriam, iram, aliaq; missa fac opera tenebrarum, & quae lucis sunt arripe. Sis humilis, mitis, benignus, misericors. Esurienti frange panem tuum, potum sitienti suppedita. Aegrotos inuise fideliter, iusteq; fac omnia. Et in sūma, feceris alteri, quod tibi uelis fieri.

Quænam est admonitio tertia?

Quærat pacem, & persequatur eam.

Quidnam ijs uerbis docet?

Hæc dicit: Cùm iustificatus fide, piam uitam agere uolueris, statim acerrimum hostem tibi constituis Satanam, mundum, tyrannos, omnesq; malos homines, qui uelut humeris tuis impositi, pro beneficijs tuis etiā optimis pessima rependunt præmia, multum inferentes damni, discordiarum, aduersitatum, atq; periculorum. Sed ea tu nihil curato, per Dei Verbum animosior factus. Omnium execrationes, conuitia, calumnias, & maledictiones æquanimiter patere, Mundus, non quod debet sed quod solet, committit. Tu fide suffultus quærito pacem, cumprimis internam, omniaq; tibi bona firmiter pollicere de Deo, & hunc in corde tuo requiescere permittito. Deinde pacem externam sequere, & apprehende, ut cum uicinis & amicis

alcis concorditer uiuas. Postremò pacem quoque apud inimicos acquirito, imò quantum est in te, apud omnes homines. Nemini præbeas occasionē dissidendi uel irascendi, præsertim mundanarum fluxarum opum gratia. Relinque prius, quàm ut propter momentanea perdas æterna. Deus tui curam gerere potest, & enutrire. Quoniam oculi Domini super iustos, & aures eius ad deprecationem illorum. Atqui aspectus Domini super eos, qui faciunt mala.

Sed inquis: Licet nihil mali faciam, tamen pacem habere non possum.

Hîc audi, quam S. Petrus afferat consolationem. Quis est, inquit, qui sit afflicturus uos, si bonitatis æmulatores fueritis, imò si quid etiam acciderit incōmodi propter iustitiam, beati tamen estis. Cæterùm terrore illorum ne terreamini, neq; turbemini. Quasi dicat, Aequissimum esset, ut uos honestè pieq; uiuentes, alijs prælati, uirtutis præmia, nempe gloriam atq; præsidia consequamini, quum magistratus malis in terrorē, sed bonis in laudem, refugiumq; sit à Deo ordinatus.

Sed quid si magistratus impius ad malorum scelera connixerit, & afflixerit bonos?

Hac in re consoletur te principiò, quòd iustam causam habens, non pateris ut fures, & latrones. Deinde quòd æterna salus atque uita promissa sit

ijs, qui propter iustitiā iniurijs afficiuntur. In hoc mundo tribulationes & angustiæ sunt, in futuro pax æterna, atq; gaudiū, quemadmodū ait Christus Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam illorū est regnum cœlorū.

Quænam admonitionis tertiæ appendix?

Terrore illorum ne terreamini, neque turbemini, sed Dominum Deum sanctificate in cordibus uestris. Quasi dicat S. Petrus: Terrorem incutiant, infamiamq; donec uelint tyranni, Satanas atq; mundus, ad ultimum cogentur cessare, & furoris sui finem facere. Quòd si uos in fide constantes permanseritis, & in Dei timore, atque charitate perseueraueritis, nunquam uobis deerit consolatio, sed æterna sequetur pax atq; gaudium.

Quomodo poterimus sanctificare Deum?

Si, quam Deus immiserit crucem, paßionem, atque tribulationes, susceperimus ut rem sacram, diuinaq; reliquias, & in ijs deum laudauerimus, atq; gratias egerimus, etiam si fuerimus iniurijs affecti. Patientiam igitur habentes, dicamus: Te Deum laudamus. Aut: Sit benedictus Dominus, qui nos existimauit dignos, aliquid propter nomen suum pati. Faciamus quod Apostoli, Actor. 4. Qui glorificabant Dominum super eo quod acciderat. Quippe si Deus permiserit aliquem tentari uel af-

stigi, non facit id perdendi, sed conseruandi, atque ad meliorem uitam reuocandi gratia. Nec aliter poenam diuinitus inflictam æstimare, quàm paternam diuinæ bonitatis uirgam debemus, ac dicere illud Dauidis, Psalm. 33. Benedicam Deum omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et facere quod Sanctus Iob, qui camelis, ouibus, asinis, bobus, & breuiter, omnibus quæ habuerat, amißis inquit: Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Hoc est Deum corde sanctificare, & gratias agere in utrisque fortunæ temporibus, siue dies mater, seu nouerca sit. Quod ut contingat, hoc est, semper in nobis Dei nomen sanctificetur, diuina gratia donet, Amen.

DOMINICA VI. POST Trinitatis, Epistola, Rom. VI.

FRatres, An ignoratis, quòd quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus unà cum illo per baptismum in mortem: quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Nā si insititij facti sumus illi per similitudinem mortis eius, nimirum

tum & resurrectionis participes erimus, illud scientes, quòd uetus ille noster homo cum illo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati, ut posthac nō seruiamus peccato. Etenim qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus quòd & uiuemus cum illo: scientes quòd Christus excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Nam quòd mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel: quòd autem uiuit, uiuit Deo. Ita & uos reputate uosipsos mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem Deo per Christum Iesum Dominum nostrum.

Quid Sanctus Paulus in hac docet Epistola?

Postquam S. Paulus in primis tribus Epistolæ ad Romanos capitibus ostendit peccatum, aperuitq; uiam, qua iustificari poßimus. Præterea demonstrauit capite sequenti fructum & opera fidei, Item fontes, quibus peccata, & iustitia, mors, & uita profluunt: iam in hoc sexto capite peculiariter docet opera fidei, & spiritus pugnam aduersus carnem, ad extinguendas (quæ accepta iustitia remanserunt) peccati, atque concupiscentiæ reliquias. Comprimis autem indicat nos per fidem à

peccatis non ita liberatos esse, quasi nulla supersint peccata, & nos inertia desidiaq; torpere debeamus, & confidenter quæ libeat patrare, sed ut abiectis tenebrarum operibus, ambulemus in luce, redimiti fructibus iustitiæ. Non sublata sunt, sed adhuc in carne peccata uigent, sed propter fidem, cum illis pugnantem, non reputantur adeò crudelia, ut nos damnare poßint. Satis autem nobis per totam nostram uitam laboris incumbit, quò recta fide sustentati, & thoracem iustitiæ induti, corpus in seruitutem redigere, eius concupiscentias mortificare, libidinantia membra constringere possimus, ut obtemperent spiritui, non belluinis sensibus. Quo facto nos resurrectionis Christi conformes futuri sumus, atq; rebus ipsis ea comprobaturi, quæ promisimus in Baptismo, Qui peccatorum mortificationem, et nouam gratiæ uitam designat, duraturus tantisper, dum à peccatis omnino purificati, & erepti corporaliter cum Christo resurgamus, & æternaliter uiuamus.

Quodnam est huius Epistolæ exordium?

Sic ait: An ignoratis, quòd quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus unà cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.

Quid

Quid ea uerba significant?

Quòd si Christiani facti, & in Christum baptizati estis, uestigia sequimini, atq; signa uestri ducis Christi. Quòd si casu fueritis in peccata relapsi, resurgite, memores fœderis, quod inter Deum atque uos ictum in Baptismo. A malis delinquendi studijs conuertimini, atq; rectam uiam ingreßi, nolite turpiter ociari, nec ad pristinam iniquitatis uitam respicere, sed in bonis operibus faciendis fortiter progredi, & cum Apostolis orare, ut augmentum fidei consequamini, quo bonos fidei fructus indesinenter poßitis producere. Quòd si Deus crucem & afflictiones immiserit, ea patienter sufferte. Quòd si denique moriendum fuerit, ne terreamini, quum Baptismum habeatis, certißimum signum, quod uestram mortem approbet esse Christi, ut quemadmodum hic à mortuis resurrexit, atq; uiuit, ita uos in gloria resurrecturi, atq; uicturi sitis in æternum.

Hæc gloriosa est consolatio.

Maximè. Nam uulgaris non est, nec infrugifera consolatio, qua baptismi sacramenti morientes admonemus, dicentes: Ecce homo, in hoc baptizatus, & in hanc uitam positus es, ut crucem atque tribulationes patiaris, exemplo Christi, qui ait, Matthei 16. Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me. In Baptismo literas ac sigilla accepisti, quibus con-

ſtat crucem, afflictiones, atq; paßiones, quibus torquere, non tuas, ſed Chriſti crucem, paßionem, atque mortem eſſe, ut quemadmodum Chriſtus ea uicit omnia, & ad extremum à mortuis reſurrexit, modoq́; uiuit æternaliter, ita quoque tu in nomine Dei ſis exuperaturus Satanam, mortem, peccata, & inferna, & in nouißimo die reſurrecturus. Hæc tibi certa promißione, Verbi miniſter in Baptiſmo pollicitus eſt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quod non inficiabitur, ſed certò præſtabit, qui uerax eſt Deus. Quapropter te conſolaberis, certum habens, iſtam ex hac uita migrationem, nō eſſe dolorificam mortem, ſed ſomnum, pacis acceptionem, omnium tribulationum finem, & portam deniq; ad æterna gaudia. Tecū item reuolue, quòd Deus Pater, & Deus Filius, & Deus Spiritus, quorum in nomine baptiſatus es, tibi promiſerunt, ſeſe tecum certò futuros, atq; manſuros in omnibus tribulationibus & anguſtijs, imò pugnaturos pro te contra omnes hoſtes, & ad ultimum te per mortem, peccata, Satanæ tyrannidem, & inferna perducturos in uitam æternam.

Quid ſignificat Baptiſmus?

Mortificationem ueteris hominis denotat, qui per aßiduam pœnitentiam atq; contritionem ſubmergi ſupprimiq; debet ille uetus Adam, cum omnibus ſuis concupiſcentijs atque peccatis. Contrà ſignificat

gnificat nouum hominem indies regenerari debe-re atq; renasci, qui coram Deo uiuat in puritate atq; iustitia, quemadmodum in hac Epistola S. Paulus clarè demonstrat. Nam hominis Christiani uita nihil aliud est, quàm aßiduus baptismus. In id enim indies incumbendum erit nobis, ut aßiduò repurgemus id, quod in nobis hæserit Adami ueteris, ut eo tandem oppresso, prodeat, ac emergat, quod ad nouum pertinebit hominem.

Quid est homo uetus?

Omne quod nobis innatum ac insitum ab Adamo ueteri, ut est, superbia, auaritia, inuidia, odium, luxuria, &c. & breuiter, infidelitas cum fructibus suis omnibus. Et uetus homo est naturalis ille totus homo, cum corpore, anima, corde, sensibus, ratione, uolunate: & breuiter, cum uiribus omnibus, atq; donis, quæ non sunt ex spiritu sancto. Et propterea uocatur homo uetus, quòd natura procliuis sit ad peccandum, omnemq; turpitudinem et impietatem designandam, quodq; terrestria quærat, curetq; transitoria, tametsi nonnunquam spiritualia meditetur, loquatur, aut scribat. Cuius farinæ Iudas fuit, qui licet Apostolorum habitus numero, tamen auarus, periurus, & proditor fuit.

Quid est homo nouus?

Id omne dicitur, quod habemus à Christo, ut fidem, charitatem, spem, patientiam, pacem, iustitiam, misericordiam, fidelitatem, atq; ueritatem. Et

nouus est etiam homo, totus ille naturalis cum corpore, anima, corde, sensu, uoluntate: & breuiter, cum uiribus omnibus, atq; donis, sed illustratis spiritu sancto. Et uocatur nouus homo, creatura Dei, quòd gratia Dei perfusus, toto affectu pronus sit ad omnia bona, quærat item atq; curet bona quæ sunt æterna, nempe cœlestia, licet circa res atque negocia terrena uersetur, quemadmodum Christus, cùm Apostolis pedes lauaret, & S. Petrus, cùm in mari piscaretur.

Quomodo cognoscitur homo nouus, & quomodo uetus?

Euidentia noui hominis argumenta sunt atque signa, si deprehenderis eum irasci uitijs, criminibus inimicari, uoluptates fastidire, peccata odisse, & potenter obluctari malis cogitationibus, uerbis, operibus, affectibusq; prauis. Contrà si eum aduerteris ad peccata procliuem, atque cupiditatibus obtemperantem, scias Adamum ueterem adesse, & asinum in rupes protrudendum.

Quid est pœnitentia, cùm ea uetus Adam opus habeat?

Pœnitentia nihil aliud est, quàm recordatio Baptismi, quo sumus in mortem Christi, & ad assiduam peccatorum abolitionem baptizati, cùm nobis metũ atq; terrorem incutiunt designata maleficia, & nos mala præterita plangimus, & plangenda uerũ non cõmittimus, sed ea quæ ipsi fecerimus

autque de nostra uoluntate, nostroq; consilio facta sunt, nobis ex animo incipiunt displicere, sententiamq; in ijs nostram demutamus, querimur, atque confitemur, Euangelio, & absolutioni credentes, nempe, quòd Deus pater, propter dilectum filium suum Christum, peccata nobis certò remiserit. Quo facto noua sequitur uita. Est igitur (ut paulò clarius dicam) pœnitere, nihil aliud, quàm cognoscere sese hominem peccatorem esse, flāmis infernalibus dignissimum. Humiliter igitur gratiam expetere, & firmiter in diuinam misericordiam sperare. Sed hoc ipsum pœnitere nō uerbis, sed operibus erit explendum, ac perficiendū renunciatione peccatorum, uitæq; melioris nouitate.

Dic planius, quid pœnitere.

Nihil aliud est pœnitere, quàm seriò ueterem Adamum aggredi, uetus illud fermentum expurgare, & nouum hominem induere, sic ut homo longè aliter sit affectus, quàm antea, atque aliter multò q̄ prius, cogitet, loquatur, operetur, atq; uiuat.

Quænam requiruntur ad pœnitentiam?

Doctores scholastici ponunt duas pœnitentiæ partes: Contritionem atque Satisfactionem, & adducunt externam disciplinam, corporis castigationem; & humana opera meritaq;, nempe, ieiunia, preces, uigilias, &c. ad satisfaciendum pro peccatis. Atqui S. Paulus appellat pœnitentiæ partes,

Mortificationem carnis, & uiuificatoinē, uel renouationem spiritus.

Quid est mortificatio?

Veteris hominis mortificatio est, cùm peccatorum horrore deterritus homo, sentit iram Dei, & ante oculos ponit Satanam, ac infernalem damnationem, atque propter id ita perturbatur, ut nesciat quò se uertat præ angustia, putans totum mūdum tam arctum, ut non poßit locum habere quietis. Desiderat igitur ex animo grauißima peccatorum mole atq; fasce leuari, sitienter affectans scire, quo modo id fieri poßit.

Quid est uiuificatio, aut renouatio Spiritus?

Nihil aliud est, quàm in graui peccatorū pressura, angustia atque tortura confugere ad Christi præsidium, eumq; ueniam & peccatorum remißionem orare. Quod qui facit, ac peccare cessat, non per aliquod anni tempus, sed per totam uitam dicitur spiritu renouari, etiamsi fragilitatis humanæ uitio relapsus ad peccata fuerit, modò post casum resurrexerit. Est igitur mortificatio aut uiuificatio nihil aliud quàm à peccatis receßsio, sceleratæq; uitæ repudiatio, & ad Christianam, pœnitentia peccatorum ductam, uitam accessio. Primitus autem illa receßio fit in sacra baptismi regeneratione, in qua peccatis, mundo, Satanæ, omnibusq; eius astutijs, & iniquitatibus renunciamus,

nunciamus, & incipimus sub Christi signo militare, pollicentes nostram fidem nos erga Deum Patrem, Deum Filium, atq; Deum Spiritum sanctum, exercitaturos, & fidei fructus erga proximũ, atq; per totam uitam nostram pugnaturos contra peccata, mortificaturos ueterem Adamum, cum suis concupiscentijs, prauisq; omnibus affectibus, ut in dies renascamur homines noui redditi. Hæc in Baptismo data promissa Deus suscipit, atq; confirmat. Et licet postea relabamur in peccata, tamen ea non imputat ad damnationem. Cæterùm fœdus hoc si non esset ictum in Baptismo, tum nullum tam exiguum foret peccatum, quod nos omni hora, omniq; momento non posset damnare.

Quænam huius Epistolæ summa?

Quandoquidem pro nobis crucifixus, mortuus atq; sepultus Christus, morte sua deleuit peccata nostra, & nobis impetrauit resurrectione sua Spiritum sanctum, quò iustitiæ uiuamus in posterum, æquitas requirit, ut spiritum eius sequamur, ac carni resistamus, demumq; nullum prauis concupiscentijs locum, non permittentes, ut peccata nobis amplius dominentur. Nos igitur ad Dei laudem, atque gratiarum actionem, nostram carnem cum turpibus eius affectibus crucifigere debemus, ac omnem peccandi occasionem effugere, ne per ingratitudinis crimen reddamus nostram causam

deteriorem. Sub crudeli Satanæ, mortis & inferni captiuitate semel fuimus, sed in libertatem asserti, ac misericorditer erepti per saluatorem nostrum Christum, qui omnes inimicos nostros oppressit, exutos omnibus armis. Pro quo summo beneficio gratias agere debemus, in uitæ nouitate ambulantes. Quod ut faciamus, adiuuet nos Deus, Amen.

DOMINICA VII. POST Trinitatis, Epist. Rom. VI.

FRatres, Humanũ quiddã dico propter infirmitatẽ carnis uestrę. Quemadmodum enim præbuistis membra uestra serua immunditiæ & iniquitati, ad aliam atq; aliam iniquitatem, sic & nunc præbete membra uestra serua iustitiæ ad sanctificationẽ. Cùm enim serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ. Quem igitur fructũ habebatis tunc in his, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Nunc uerò manumissi à peccato, serui autẽ facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem autem uitam æternam. Etenim autoramenta peccati mors: donũ autẽ Dei, uita ęterna per Christũ Iesum, Dominum nostrum.

Quid S. Paulus in hac docet Epistola?

Per-

Pergit Christianos adhortari ad uitæ nouitatē, Vtitur autem pulcherrima similitudine, ostendens seruitium esse duplex: Alterum peccati, Alterum iustitiæ. Postremò enumerat fructus ac præmia peccatorum & iniustitiæ, E contrà, gratiæ atque iustitiæ.

Quomodo exorditur hanc Epistolam?

Sic ait: Humanum quiddam dico, propter infirmitatem carnis uestræ. Quasi dicat, Similitudinibus craßis uobiscum agam, easq; tam pingui Minerua, citra colores proferam, ut intelligere poßitis, quid à uobis requiram.

Quodnam igitur opus ab illis exigit?

Sicut, inquit, exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Q. d. Quandoquidem in Christi mortē baptizati, remißionemq; peccatorū, sine legis operibus, consecuti estis, iam meritò nouum hominem induere debetis, iustitiam sequi, atque uos bonis in operibus iugiter exercere. Constat enim baptizari neminem ut peccet, sed potius ut iustitiæ uiuat, carnem mortificet, ueterem Adamum unà cum prauis omnibus concupiscentijs proculcet, ac indies per fidem cum Christo resurgat à mortuis, noua Dei creatura factus.

Cur ait, Humanum dico?

Cadere,

Cadere, & per carnis imbecillitatem in peccata prolabi, humanũ est. Verùm in criminũ uolutabro perseuerare, sceleribus seruire, & ex immunditia ac iniquitate uoluptatẽ capere, Diabolicũ.

Hoc ipsum ne Romani fecerunt?

Priusquam Romani *susceperunt* Euangelium, *non modò fuerunt idololatræ, ut loco* Dei *creaturas adorarint, sed etiam efferam, ac impuram ætatem uixerunt, de peccatis in peccata, de facinoribus in facinora prolabendo, atq; mala malis contriplicando, quemadmodũ accidere solet, ubi non est* Dei Verbum, *neq; fides. Quod etiam S.* Paulus *alibi, nempe 2. Timoth 3. dicit, inquiens:* Mali ho*mines & impostores proficiunt in peius, dum & in errorem adducunt, & errant ipsi. Postquam autem receperunt* Euangelicam *doctrinam nonnulli, uelut ad uomitum canes, ad pristinam turpitudinem redire uoluerunt, quemadmodum in Aegyptum Iudæi, &c. Quos admodum familiariter S. Paulus admonet, ut in uia salutis permaneant, ne qui semel captiuitatem diabolicam effugerint, recidant in pristinos casses. Quod autem hoc loco Romanis atq; Iudæis scriptum est, id nobis quoque prædicatum reputabimus.*

Cur ait: Sicut exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ, ita nunc exhibete membra seruire iustitiæ?

Quom

Quoniam ea uerba planiora sunt, magisq; mouent animos hominum, quàm si protulisset simpliciter: Sicuti primò malè uixistis, ita iam econtrario piam uitam degite. Illa enim, qua utitur, similitudo malitiam impietatis amplificat, & abominationem immunditiæ exauget. Quasi dicat, Non solum est horribile dictu, sed etiā execrabile, quòd tam elegans, & aspectu iucundum Dei opus, nempe, Corpus hominis, ad similitudinem dei conditū, tamis immunditiæ peccatis conspurcetur, sceleribus impudicitiæ contaminetur, in seruitutem iniustitiæ redigatur, & in Diaboli guttur, infernaleq; barathrum præcipitetur.

Cur dicit: Iniquitati ad iniquitatem?

Hisce uerbis ostendit, quid euenire soleat, cùm habitus peccandi contractus fuerit, & assuetudo, ubi nullus peccandi finis. Exemplo sit Cain, Saul, Iudas, & eorum alij similes. Quemadmodum enim qui per unum scalæ gradum cespitat, atq; cadit, per omnes demittitur præceps, ita qui semel in peccata cecidit, & maleficijs assueuit, is non emerget facilè. Nam consuetudo est altera natura.

Quid ait de peccati seruitio?

Sic ait: Cùm serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ. Quem igitur fructum habebatis tunc in his, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Hoc in loco Sanctus Paulus utitur uocabulis SERVI, & LIBERI, quæ fuerunt in fre-

quemi Romanorum usu, atq; artificiosè trahit ea ad destinatam admonitionis suæ sententiam. Quasi dicat, Serui aliquando peccati fuistis. Seruire autem peccato, nihil aliud est, quàm Satanæ seruire, qui mendaciorum atq; scelerum omnium pater. Atqui nulla poterit ibi iustitia esse, ubi diabolo seruitur. Quæ enim concordia Christo cum Belial, 2. Corinth. 6.

Quænam præmia seruitium Diabolicum sequuntur?

Nihil aliud concomitatur, quàm æterna mors, quæ peccati stipendium. Nam peccator qui deditititius atque seruus peccati est, nihil aliud consequitur, quàm in hoc seculo dedecus, & infamiam, in futuro mortem æternam.

Quidnam dicit de iustitiæ seruitute?

Nunc uerò manumissi à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem autem uitam æternam. Quasi dicat, Qui iustitiæ seruiunt, Domino seruiunt, Qui autē Domino seruiūt, cum ipso regnāt, nec amplius sub peccati iugo sunt, sed sub gratiæ benedictione.

Quænam hoccine seruitium præmia consequuntur?

Vita æterna. Nā homo iustus, qui liber in Christo dominus est, per iustitiam consequitur sanctificationem, & æternam deniq; uitam.

Vtri Domino homines libentius inseruiunt?

Multò plures latam illam, quæ ducit ad inferna, mortemq́; uiam ingrediuntur, pauciores arctam, ad gaudia tendentem æterna. Sed cuinam maius inferunt damnum, & periculum adferunt, quàm sibiipsis? Cui conqueremur, quum sua sit ipsorum culpa? Quòd si fueris peccati seruus, consequêris dedecus, infamiam, & æternam mortem. Contrà, si iustitiæ seruus extiteris, habebis mercedem, sanctificationem, ac æternam uitam. Peccatores atque scelerum designatores, duplicia maleficiorum damna consequuntur. Principiò coram Deo nec non hominibus coguntur impietatis ignominiam sufferre. Deinde maleficiorum supplicia subire, atq; pœnas luere, moriq́; compelluntur, qui si iuxta præceptum Dei uiuerent, seruitia collocarent in meliorem usum, & corporis, membrorumq́; ministeria conferrent ad obsequium proximi, tum proculdubiò præstantiora perciperent præmia. Præterea cùm inseruimus peccatis, & libidinem Adami ueteris explemus, non obtemperamus Deo, nec adiuuamus proximum, imò rationibus occultis aut apertis nocemus, sic item duo nos sequuntur incommoda: Alterum mala conscientia, quæ nos coram Deo, et cunctis hominibus accusat, suffunditq́; pudore: Alterũ, amißio diuini fauoris atq; gratiæ, & æternum, si perseuerauerimus in malis, exitium.

Quomodo Sanctus Paulus hanc Epistolam conclu-dit?

Autoramenta uel Stipendium peccati mors, Donum autem Dei, uita æterna per Christum Iesum, Dominum nostrum. Quasi dicat, Duos hic habes Dominos, & utriusque simul præmia uides, atque mercedem, nempe peccatum & iustitiam, Mortem ac uitam. Vtri iam libentius uolueris inseruire? Si peccato, cõsequêris loco præmij dedecus, & ignominiam, æternamq́; damnationem. Contrà, si iustitiæ seruiueris, Christum secutus, accipies mercedem, nempe gratiam, & misericordiam Dei, & æternam denique uitam, Amen.

DOMINICA VIII. POST Trinitatis, Epist. Rom. VIII.

FRatres, Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus, nam si secundum carnem uixeritis, moriemini. Quòd si spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Etenim quicunque spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus: Abba pater. Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Quòd

Quòd si filij, igitur & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Siquidem simul cum eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur.

Quid S. Paulus in hac agit Epistola?

Postquam capite septimo præcedenti declarauit, assiduam spiritus & carnis in homine pugnam esse, eamq; conflictum in hac mortali uita nullum habere finem. Hoc igitur octauo capite consolatur eiusmodi pugiles & athletas, ne suspicentur, sese propter carnem damnari. Præterea dicit, quænam spiritus & carnis sit natura. Item quomodo Christus nobis impetrauerit spiritum sanctum, nos uerè spirituales reddentem, & ea quæ carnis sunt, conterentem, atq; certos reddentem, Dei nos esse filios, quamuis etiam in nobis exæstuent peccata: filios, inquam, si spiritum secuti, atq; peccatis reluctati fuerimus. Verumenimuerò quia nihil præstantius & efficacius ad carnem supprimendam, quàm ipsa crux atq; passio, nos consolatur in afflictionibus per præsidia Spiritus sancti, atq; creaturarum omnium.

Ad quidnam in hac Epistola S. Paulus adhortatur?

Admonitionum duo ponit genera. Quorum alterum pertinet ad obsequia spiritui præstanda: alterum ad ipsam cum Christo passionem, uete-

risq; hominis atque carnis peccatricis mortificationem.

Quid est caro?

Quicquid ex carne natum est, utpote totus homo cum corpore, anima, ratione, atque sensibus omnibus.

Quid Spiritus?

Quicquid uel intra uel extra hominem uiuit, ad spiritum, uitamq; futuram accommodum & appositum.

Quid significat, carni obedire?

Carnalibus desiderijs acquiescere & assentire, meris item uoluptatibus, atque peccatis uitam totam immergere.

Quid obedire Spiritui?

Viuere secundũ Dei uoluntatem, atq; præcepta.

Vtri debemus obedire, Spiritui ne, an Carni?

Sic ait S. Paulus: Fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus. Quibus uerbis profitetur ad opera nos obligatos esse, qui Dei spiritum accepimus, sed obstrictos nõ carni, sed spiritui. Dissentit autem διὰ διαπασῶν ab illis, qui libertatis Euangelicæ prætextu nihil aliud moliuntur, atq; cõtendunt efficere, quàm obedire neminem, & ætatem uiuere turpem, feram atq; proteruam.

Quid igitur debemus?

Debitores sumus bonis exercendis operibus: debitores

debitores, inquam, sumus, qui fidem nostram obstrinximus atq; promisimus in Baptismo, nos Diabolo, cunctisq; eius potestatibus renunciaturos. & in eo pacta foedera, spiritum sanctum accepimus ad ueterem hominem unà cum suis concupiscentijs, mortificandum.

Cur obtemperandum erit Spiritui?

Duas propter causas. Primò propter Deum, qui nobis Spiritum sanctum donauit, ad carnem nostrã coërcendam, pro quo beneficio gratias meritò agere debemus. Deinde nostra ipsorum causa. Nam in eodem obsequi uel obedientia posita est nostra prosperitas aut infortunium, Felicitas aut æterna damnatio.

Quanam ex re cognoscuntur filij Dei?

E carnis mortificatione, ductuq; Spiritus sancti. Nam Dei sunt filij, quicunque ducuntur Dei spiritu, hic cùm sit spiritus bonitatis, gratiæ, lucis, atque ueritatis, & ij qui ducuntur ab eo, gratia diuina illuminati fiunt boni, ueri, iusti, ac tandem beati. Cæterùm qui non aguntur Spiritu Dei, sed impelluntur spiritu malitiæ, peccatorum, tenebrarum, mendaciorum atque perditionis, efficiuntur eius similes, iniqui, peccatores, mendaces, & ad ultimum damnati.

Quodnam est genus hominum, qui ducuntur Dei spiritu?

Ii sunt, in quibus uetus Adam crucifixus est, & caro mortificata, Qui renouati spiritu, nouos induerunt homines, Qui aliter affecti, cogitant, loquuntur, operantur, & uiuunt aliter, quàm prius fecerunt, exercent erga Deum fidem, & eius fructus, quæ sunt opera charitatis erga proximos, incorruptam in mundo uitam agentes. In summa igitur, qui Spiritum Dei non habent, non sunt Christi. Nam hoc signum, atq; certa nota, qua filij Dei dinoscuntur ab impijs, qui sunt à Christo reuulsi, quòd Spiritus sancti gratia, donisq; careant.

Habent ne omnes homines eundem spiritum?

S. Paulus in hac Epistola ponit duo hominum genera, quorum alij habent spiritum seruitutis, Qui non aliter affecti sunt, quàm erga dominos serui, mercedis gratia laborantes, non ut filij erga parentes. Quicquid ergo serui faciunt, id aut pœnæ metu, aut spe mercedis exequuntur. Hi non sunt filij Dei, nec persuasum habent, eum clementem atque misericordem suum esse patrem, sed ut seuerum iudicem atq; tyrannum extimescunt. Qualem autem illum esse iudicant, talis etiam ijs imminet, quemadmodum Psalm. 17. dicitur: Cum sancto sanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.

Alij

Alij spiritum habent adoptionis, qui tali sunt affe-ctu præditi, quali filius in parentes. Qui ut fideles filij libenter atq; sua sponte semper admituntur hæreditatem paternam amplificare & conseruare. Quod non faciunt metu pœnæ, nec præmiorum spe, sed amore naturali, quo patrem prosequuntur. Hi sunt Dei filij, firmiter credentes Deum propitium suum patrem esse. Quamobrem permanent etiam apud patrem in domo, seruis foràs eiectis.

Quinam sunt habentes spiritum seruitutis?

Omnes qui sub lege sunt, uolentes proprijs meritis & operibus iustificari. Nam si Deus cum eiusmodi hominibus in iudicium descenderit, coram Domino concident, præ nimio metu liquescentes. Hinc David Psalmo 75. Ad nihilum, inquit, deuenient, tanquam aqua præteriens. Et rursum: Sicut cera liquefacta auferentur. Sic in Dei conspectu disperire coguntur, quicunq; secundum carnem faciunt, atq; uiuunt.

Quinam sunt, habentes spiritum adoptionis?

Credentes, uerią; Christiani, qui sub Euangelio sunt, scientes sese iustificari, atque saluari per solum Christi sanguinem. Hisce Spiritus sanctus dat testimonium, quòd filij Dei sunt, clamantes: Abba pater. Vbi iam Deus ut clementißimus pater agnoscitur, ibi nullus poterit esse formidinis

horror. Quis unquam fuit bonus pater, qui bono suo filio damnum intulit, aut læsit? quemadmodum Christus ipse, Lucæ 16. ait: Si nostis bona dona dare filijs uestris, quantò magis pater uester cœlestis? Ergo patrem æternum tam propitium, atque beneficum non formidare debemus, sed uotis summis optare, ut Christus in iudicium ueniat, & gemitus nostros exaudiens, imponat rebus finem, eò quòd nos perducat, ubi per æterna secula uicturi simus, atq; dominaturi.

Quomodo poterimus ad Dei filiorum adoptionem, Christiq; gloriam peruenire?

Filij Dei futuri sumus, si in Christi nomen crediderimus, Ioan. 1. Et si, quemadmodum S. Paulus in hac dicit Epistola, fuerimus cum illo paßi. Quòd si filij Dei, sumus & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, siquidem simul cum eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur. Vt autem uerba in pauca conferam, Si filij Dei uoluerimus euadere, oportet nos ueram fidem habere, & hanc eandem, si modò debeat uera manifestari, per crucem examinari, & uelut aurum per ignem, probari. Nam si perstiterit, atq; perdurauerit in tribulationibus inconcussa, nec à ueritatis confessione recesserit, habitura erit cum Christo ius filiorum Dei, ac hæreditatem cœlestem, nempe uitam æternam, Amen.

DOMINICA IX. POST

Trinitatis, Epist. I.Corinth. X.

FRatres, Hæc figuræ nostri fuerunt, ne nos simus concupiscentes rerum malarum, quemadmodum & illi concupierunt. Neque simulachrorum sitis cultores, sicuti quidam illorum, quemadmodum scriptum est: Sedit populus ut ederet ac biberet, & resurrexerunt ad ludendum. Neq; stupris inquinemur, sicuti quidam illorum stupris polluti sunt, & conciderunt uno die uiginti tria millia. Neq; tentemus Christum, sicut & quidã illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti sunt. Neque murmuretis, sicut & quidam illorum murmurauerunt, & interempti sunt ab extinctore. Hæc autem omnia figuræ contigerunt illis. Scripta uerò sunt propter admonitionem nostri, in quos termini ætatum inciderunt. Proinde qui sibi uidetur stare, uideat ne cadat. Tentatio uos non cepit, nisi humana. Sed fidelis est Deus, qui non sinet uos tentari supra id quod potestis, imò faciet unà cum tentatione euentum, quò possitis sufferre.

Quid S. Paulus in hac docet Epistola?

Præcipuum in hac est Epistola, quod dicit: Qui sibi uidetur stare, uideat ne cadat. Quibus uerbis inflatos atque temerarios Corinthios adhortatur ac docet, non satis esse, quòd inceperint credere, quòd Euangelium audierint, atq; Sacramentis fuerint usi, uario sublimioris spiritus munere, & gratia perfusi, sed oportere scire, permanendum, & fortiter ad finem usq; uitæ perseuerandum in fide, Euangelij confeßione, atque pia uiuendi ratione. Quod ostendit exemplo filiorum Israël, Qui licet electus Dei populus, eandem in Christũ, quam nos, fidem habuerint, eademq; sacramenta, imò longè plus gratiæ, atque donorum Dei, ut qui eos manu potenti liberauerit à Pharaonis captiuitate, atq; tyrannide, per mare rubrum, ac deserta loca traductos, &c. tamen de sexies centenis milibus uirorũ, duo tantùm, nempe Iosue & Caleb, peruenerint in Canaan, reliquis omnibus extinctis in deserto.

Quænam huius rei fuit causa?

Quoniam in fide incœpta non perseuerarunt, sed per incredulitatem in uaria peccatorum genera inciderunt.

In quænam peccata inciderunt?

In quinque peccatorum ac iniquitatum genera sunt prolapsi. Principiò in prauas cupiditates, Psalmo 105. Concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deum in aquoso. Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem

in

in animas eorũ, ut in nauſeam uerteretur. Secundò inciderunt in idololatriæ ſcelus, Fecerunt enim uitulum in Horeb, & , ut idem ait Pſalm. adorauerunt ſculptile, Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem uituli comedentis fœnum. Tertiò, ſcortationibus atque ſtupris inquinabantur. Fornicatus enim fuit populus cum filiabus Moab, quæ uocauerunt eos ad ſacrificia ſua, Nume. 25. Et initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum, ut habetur in memorato Pſalmo. Quartò, tentauerunt Dominum, Exod. 17. Quid iurgamini contra me, & tentatis Dominum? Et Pſal. ſupradicto: Irritauerunt eum ad aquas contradictionis. Quintò, murmurabãt cõtra Dominũ, ut in eodem Pſalmo dicitur: Murmurauerunt in tabernaculis ſuis, non exaudierunt uocem Domini.

Affecti ne ſunt propter ea ſcelera ſupplicijs?

Maximè. Pſalm. 77. mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantia. Tranſtulit Auſtrum de cœlo, & induxit in uirtute ſua Africum, & pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris, uolatilia pennata, & ceciderũt in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum

attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo, Ad huc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super eos. Et occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit. Furor Domini concitatus percußit plaga magna nimis, Num. 11. Secundò propter idololatriam interfecta sunt tria uirorū millia, Exo. 32. Tertiò propter fornicationes, occisi sunt uigintiquatuor uirorum millia, Numer. 25. Quartò propter tentationes, quibus dixerunt: Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuißimo: quamobrem misit Dominus in populum serpentes ignitos, quorū plagis in Israël plurimi moriebantur, Num. 21. Quintò propter murmurationes & inobedientiam percußi sunt quatuordecim millia hominum, & septingenti, absque his, qui perierūt in seditione Chore, Dathan, & Abirā, quos aperiens os suū terra, deuorauit uiuos, Num. 16.

Suntne eiusmodi supplicia nobis metuenda?

Maximè. Nam Sanctus Paulus ait: Hæc figuræ nostri fuerunt, ne nos simus concupiscentes rerum malarum, quemadmodum & illi concupierunt: neque simulachrorum simus cultores, sicut quidam illorum. Neque stupris inquinemur, sicuti quidam illorum stupris polluti sunt. Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti sunt. Neque murmuremus, sicut & quidam illorum murmurauerunt, & interempti

pti sunt ab extinctore. Quasi dicat, Nos Iudæorũ istorũ similes sumus, qui satis arbitramur esse, si cõfiteamur ore dixerimus: Credo, credo, Si audiuerimus Euangelium, & usi fuerimus Sacramentis, multa poterimus de scriptura dicere, sic belli uidemur nobis esse Christiani. Quos securos magna facit arrogantia, perseuerantes in pristino fastu, superbia, auaritia, impudicitia, & inuidia, atque adeò ut uix unus atque alter in uera fide, synceroq; permaneat Christianismo. Quapropter hoc in loco S. Paulus cauet, admonetq; nos fideliter, quemadmodum ipsos Corinthios, ut qui uidemur nobis stare, uideamus ne cadamus. Nam si tam excellens, & à Deo dilectus populus Israëliticus, tot miraculis diuinis illustratus, cecidit, quid non erit timendum nobis, in quos termini ætatum inciderunt, ubi nihil amplius sani, sed omnia corrupta sunt, & offendiculis & peccatis oppleta. Proinde non sine grauißima causa S. Paulus scribit, inquiens: Hæc figuræ nostri fuerunt, & scripta propter admonitionem nostri. Quòd si igitur nos concupiscentes rerum malarum inuenti, item Idololatræ, inobedientes, murmuratores, polluti stupris, alijsq; criminibus conspurcati fuerimus, euentura sunt eadem nobis, quæ contigerunt illis, supplicia, destitutis à Deo.

Atqui non tam crudeliter nobiscum est Deus acturus?

Nemo cogitet inanem, uanam, aut inutilem historiam hanc esse, qua Iudæorum exemplo, Deus nobis cauet, admonetq; ne nosipsos nimiæ securitatis, & uecordiæ uitijs seductos, fallamus, sed in metu semper atque timore simus, obseruantes anxij, ne fides nostra, citius quàm senserimus ipsi, cadat, ad nihilumq; redigatur, quum in nobis caro, prauaq; concupiscentiæ nondum sint mortificatæ, nec Satanas extinctus, qui iam in huius seculi termino, longè plus furit, quàm unquam antea, sciens quòd modicum tempus habeat, Apoc. 12.

Quomodo S. Paulus hanc concludit Epistolam?

Sic ait: Qui sibi uidetur stare, uideat ne cadat, quasi dicat, Alios alij nõ contemnant, quamuis animi magnitudine reliquis antecellant, cùm ignorent quàm diu possint ipsi consistere, facillimeq; sit effectu casus. Proinde uideamus, inquit, ante omnia, ne fratres nostros, etiamsi ceciderint, conculcemus. Nam quod ijs hodie contingit, id cras nobis euenire poterit. Hinc probè Sanctus Paulus Galatas 6. Si occupatus, inquit, fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate eiusmodi hominem, spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum, ne & tu tenteris. Qui modò stamus, temporis momento corruere: & qui cecidimus hodie, cras resurgere poterimus, quemadmodũ hîc S. Paulus ait de Corinthijs, quos tẽtatio non cæperit, nisi humana. Quo-

Quotuplex est tentatio?

Triplex, Diabolica, Humana, & diuina.

Diabolica tentatio in id directa est, ut omnem pietatem è medio tollat, & introducendo totum (ut aiunt) mare malorum, submergat, opprimatq; corpus & animam. Sic Euam tentauit Satanas.

Humana est tentatio, cùm caro nostra per ingenitas nobis cupiditates, insitosq; prauos affectus pellicit atq; rapit nos ad peccata, quemadmodum S. Paulus conqueritur, Rom. 7.

Diuina est fidei atq; patientiæ probatio. Quod uelut experimentum declarat eos, qui perseueraturi sunt in finem, & qui tempore tentationis à fide recessuri.

Habemus ne consolationem in tentationibus?

Maximè. Nam sic ait S. Paulus: Fidelis est Deus, qui non sinet uos tentari supra id quod potestis, imò faciet unà cum tentatione euentum, quò possitis sufferre.

Nouit ne Deus uires nostras?

Omnino perspectas habet. Hinc dispertit atque distribuit crucem atq; paßiones unicuiq; secundũ uirium mensuram ferre potentium. Quod testatur Psalm. 74. inquiens: Calix in manu Domini uini meri plenus. Et inclinauit ex hoc in hoc, uerumtamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes pec-

càtores terræ. Per merum intelligemus electorum crucem, paßionem illam temporariam, quam æterna cõsequuntur gaudia. Per fæcem pœnas graues, & horrenda Dei supplicia, quæ sumunt in hoc seculo exordium, atque durant in perpetuũ Debemus autem nos in tribulationum tempore Deum orare patientiam & auxilium, ne deficiamus in afflictionũ angustijs, aut uelut hastã abijciamus, sed fortiter pugnando uirtutis præmia consequamur. Et post uictoriam Deus semper peculiaria gratiæ dona cõfert, quib. efficaciores atque fortiores redditi poßimus insecuturas tribulationes perferre. Nos permittit in cruce pati, et in afflictionibus horrore concuti, non aliter ac si nullam nostri curam haberet. Ipse (quemadmodum in Canticis spõsa canit) stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Obseruat an patienter in cruce perseueraturi simus. Quòd si uiderit ad restim (ut aiunt) rem redire, & nos omnibus armis præsidijsq; destitutos, tum à nobis non procul abest, suppetias laturus. Quas tãtisper differt, dum omnia uel hominum uel creaturarum auxilia nulla sunt amplius futura. Hæc cùm cessauerint, exoritur præsidiũ diuinum. Habent igitur in summis afflictionibus & extremis neceßitatibus locũ adiutoria Dei, Qui propterea dicitur Psal. 45. Refugium & uirtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Eidem sit laus, gloria, et honor. Amen.

DOMINI.

DOMINICA X. POST Trinitatis, Epistola, I. Cor. XII.

FRatres, De ſpiritualibus nolo uos ignorare, Scitis quòd gentes fuiſtis, & ad ſimulachra muta utcunq; ducebamini ſequentes. Quapropter notum uobis facio, quòd nullus per ſpiritum Dei loquens, dicit anathema Ieſum: & nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi per ſpiritum ſanctum. Diuiſiones autem donorum ſunt, ſed idem ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum ſunt, ſed idem dominus: & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem eſt Deus, efficiens omnia in omnibus. Vnicuique uerò datur manifeſtatio ſpiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij uerò ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum, alij uerò dona ſanatio-num, per eundem ſpiritum, alij uerò efficaciæ potentiarum, alij uerò prophetia, alij uerò diſcretiones ſpirituum, alij uerò genera linguarum, alij uerò interpretatio linguarum. Sed omnia hæc efficit unus ille, & idem ſpiritus, diuidens peculiariter unicuiq; ſicuti uult.

Quidnam S. Paulus in hac efficit Epiſtola?

Postquam S. Paulus in praecedentibus capitibus fundamentum Christianismi, ut prudens architectus, posuit, & ostendit inexpugnabilem petram Iesum Christum crucifixum, cui fidere, & in quem debeamus superstrui, datam à Deo nobis sapientiam, iustitiam, sanctificationem, atque redemptionem. Incipit igitur in hoc duodecimo capite de spiritualibus donis dicere, declarans multa uariaq; spiritus sancti in Ecclesia Christi esse munera, quae pro sua uolũtate deus in uerbi ministros cõfert, atq; distribuit in Ecclesiae utilitatem & incrementa.

Ad solos ne Euangelij praedicatores haec pertinet epistola?

Minimè. Nam ad utrosq; spectat, Concionatores simul ac auditores. Principiò doctores in Ecclesia monet, ut sciant eiusmodi dona sibi diuinitus concessa, non ut propterea superbiant, aut abutantur, sed cogitent illa data ad Ecclesiae aedificationem, & ut à Deo sibi concreditum talentum, mensarijs ad usuram dandum, fideliterq; negotiandum esse, Lucae decimonono. Deinde auditores docet, ut haec eadem diuina munera habeant in summo precio, non temerè iudicent, nec condemnent, scientes huic ista dona, alij alia esse distributa, ut mutuis officijs adiuta Ecclesia Christi, poßit in Dei uerbo conseruari.

Nónne faciebant hoc idem Corinthij?

Non

Nonnulli muneribus diuinitus acceptis insolenter sese gerebant, & alios fastuosi contemnebant. Econtrà fuerunt, qui odio & inuidia pleni murmurabant aduersum illos, ut ea ratione magnum exoriretur dissidium. Cùm igitur S. Paulus non ignoraret Ecclesiam nulla re magis deuastari, quàm discordia, uoluit obiter Corinthijs indicare fontem ipsum, unde spiritualia dona profluerent, simulq; docere, quomodo ijs oporteret uti. Principiò autem breue præmittit exordium, deinde remipsam aggreditur.

Quonam usus est exordio?

Sic ait: Scitis uos gentes fuisse, quia ad simulachra muta utcunq; ducebamini sequentes. Quasi dicat, Non ignoratis quales olim homines fueritis, nempe prorsum expertes diuinæ cognitionis, nihil de Christo, nihil de Verbo, nihilq; de Fide scientes, sed non aliter atque feræ bestiæ trahebamini ad creaturas, cultumq; simulachrorum, Ac ueluti rationis nō compotes, idola diabolica uero Deo prætulistis, similes ijs, quos adorauistis, qui aures habent, sed non audiunt, &c. Psal. 113. Atqui iam quia Deum cognouistis, meritò debetis multò aliter sentire atq; uos gerere, quàm prius.

Quomodo ad propositam accedit doctrinam?

Tria ordine enumerat. Primò, spirituum differentias ponit, confirmans bonum spiritum esse, qui

Iesum confitetur: sed malum, qui Iesum dicit anathema. Tradit autem generalem, Christianis ualde necessariam, formulam, qua spiritus agnoscere debeamus, atq; discernere, ne malos pro bonis, atque ueritatis loco mendacia complectamur, cùm Diabolus in angelum lucis sese poßit transformare, et nominis diuini prætextu homines seducere, quemadmodum hactenus per uertignum spiritus effecit. Hi sunt enim fructus, quos in cordibus infidelium Satanas producit, nempe ignorantia, tenebræ, cæcitas, induratio, idolatriæ, mendacia, errores, blasphemiæ, quemadmodum etiam innuit S. Paulus Roma. 1. Nam quos caßibus suis irretitos, ac laqueis constrictos habet Satanas, ij more bestiarum irruunt in peccata, sequentes carnem atq; sanguinem. Qui Dei Verbum non audiunt, De Christo nihil boni sentiunt, Ordinationem diuinam ferre non possunt. Et in omnibus Deo repugnant, atq; uituperant, calumnianturq; omne, quod Christianum est, atq; diuinum.

Sed ij quidnam præmij tandem consequuntur?

Euenturum est ijs, quod accidit omnibus impijs, utpote Pharaoni, Antiocho, Herodi, &c. Impij uerbo Dei non credunt, uel minanti, uel consolanti. Cùm autem aduenerit hora mortis, qua futura corporis & animæ dissolutio, & aperti fuerint oculi, sensus atq; ratio, ut uideant atque sentiant miserabilem

ſerabilem exitum inſecuturum, tum demum intelligent Deum eſſe, nimirum eum quem acerrimum habituri ſunt hoſtem. Cùm igitur exitio mors imminuerit, Dei contemptorē accuſauerit Diabolus, & barathrum infernum, ad deuorandum aperuerit, coguntur deſperare, nullam in Chriſto nec in eius ſacroſancto Verbo conſolationem habentes. Cogentur item ipſa re fidem atq; ueritatem experiri.

Quodnam ſecundo loco docet?

Tria dona ſancti ſpiritus enumerat, inquiens: Diuiſiones donorum ſunt, ſed idem ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem eſt Deus, efficiens omnia in omnibus. Hoc in loco S. Paulus recenſet tria genera donorum, miniſteriorum, & operationum.

Quid ſignificant dona?

Ea omnia quibus loquimur de ſapientia diuina, de cognitione Chriſti, de fide, charitate, ſpe, patientia, & breuiter, de ſacra ſcriptura, atque ueritate diuina, ad utilitatem Eccleſiæ Chriſtianæ.

Quid miniſteria?

Cùm in uocatione ſua quilibet in Eccleſia facit diligenter officium ſuum, cantando, legendo, orando, prædicando, ut ſi quis fuerit Apoſtolus, Propheta, Euangeliſta, Doctor, Epiſcopus, aut Verbi miniſter ſatagens rerum ſuarum.

Quid operationes?

Cùm quis eiusmodi gratiam habet à Deo, ut prodigia & signa magna poßit edere, ut eijcere dæmonia, sanitati ægrotos restituere, & consimilia.

Estne spiritus unus, qui tam latè se diffundit?

Maximè. Nam sic ait Sanctus Paulus: Vnicuiq; datur manifestatio spiritus, ad id quod expedit. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij uerò sermo scientiæ, secundum eundem spiritum, alij uerò dona sanationum, per eundem spiritum. Alij uerò efficacia potentiarum, Alij uerò prophetia, Alij uerò discretiones spirituum, Alij uerò genera linguarum, Alij interpretationes linguarum. Sed omnia illa efficit unus ille, & idem spiritus, diuidens peculiariter unicuiq; sicuti uult.

Quid sapientia?

Est rerum spiritualium perceptio, & experientia, qua quis nouit de scriptura diuina loqui, aduersarijs responsa dare, atque Diaboli insidias atque malitiam prodere, & ad unguem scire, quid fides, & opera bona, quid gratia, & peccatum, quid lex & Euangelium, quid deniq; mors, quid uita.

Quid scientia?

Est qua quis nouit, quod uniuscuiusq; sit in uocatione sua officium, atque status, quid faciendum, quid omittendum. Quid Christianum deceat, quid dedeceat,

dedeceat, Quomodo cultus sit Deo præstandus, & usurpanda Christiana libertas.

Quid Fides?

Qua mordicus Dei uerbum tenemus, siue minetur, siue consoletur, parati, si necessitas exegerit, coram hominibus illud confiteri etiam cum uitæ periculo, quemadmodum sancti martyres.

Quid donum sanationis?

Magnus huius doni fuit usus in Ecclesia primitiua, necessarius etiam ad confirmandam doctrinam Christianam, ut dicitur Marci ultimo.

Quid efficaciæ potentiarum?

Quibus eijciuntur dæmonia, mortui suscitantur, montes transferuntur, & similia eduntur miracula.

Quid Prophetia?

Prophetare est prædicare, & sic interpretari scripturas, ut omnes intelligant, ac inde consolationes accipiant.

Quid discretiones spirituum?

Vt probentur spiritus, an boni sint, an mali, Veraces, an mendaces. Item ut discernantur conciones, & examinētur an rectæ sint, an alienæ à sacra scriptura.

Quid genera linguarum nouisse?

Est uarijs linguis loqui, hoc est, Hebraica, Græca, Latina, aliaq; lingua gloriam Dei prædicare, cantare, orare, atque legere, & omnia ad Eccle-

siæ ædificationem. Hinc S. Paulus, 1. Corinth, 14. Vnusquisque uestrum canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, reuelationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

Quid Christianus prædictorum aliquot munerum diuinorũ particeps redditus faciet?

Quòd si magna uel parua fuerit per diuinam gratiam consecutus, utetur omnibus ad Dei gloriam, & Euangelij propagationem, ac utilitatem proximi. Decem igitur qui acceperint talenta, conquirant alia decem. Qui quinque minas, conficiant alias quinq;. Cui talentum obuenerit unum, fideliter etiam negotietur, ut ubiq; Dei gloria, proximi utilitas & emendatio quæratur, & totius Ecclesiæ ædificatio.

Quodnam est tertium, quod in hac Epistola traditur?

Docet quomodo & qualiter uti debeamus donis spiritualibus, pulcherrimum adducens à corporis humani, eiusq; membrorum similitudine deriuatum argumentum. Quemadmodum, inquit, corpus unum est, membra habens uaria, quæ cum multa sunt, tamen unum sunt corpus, & quælibet suum officium faciunt, libenter atque promptè, utpote, oculi, aures, os, manus, pedes, quæ mutuis inuicem officijs sic obstricta sibi sunt, ut nulla prorsum exoriantur dißidia, sed alia alijs inseruiendi

perpetuam conseruent concordiam. Quòd si bene habet unum atq; lætatur, reliqua quoq; gaudio perfusa exultant: contrà, si unum affligitur, reliqua dolore plena compatiuntur. Sic omnes Christiani membra sunt corporis Christi, Alius quidem Apostolus, alius Propheta, tertius Euãgelista, quartus Verbi minister, quintus signa faciens, sextus in magistratu constitutus. In summa, quicunq; sunt in Christo Iesu baptizati, Iudæi, Gentes, serui, liberi, uiri, mulieres, ad hanc communionem, corpusq; Christi pertinent. Qui perseueraturi in fidei charitatisq; uia recta, peruenient & manebunt ibi, ubi caput, nempe Christus, in æterna uita, Amen.

DOMINICA XI. POST Trinitatis, Epist. I. Corint. XV.

FRatres, Notum uobis facio Euangelium, quod euangelizaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequimini, quo pacto annunciarim uobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim uobis inprimis, quod & acceperam, quòd Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris, secundum scripturas, & quòd sepultus sit, & quòd resurrexerit tertio die, secundum scripturas, & quòd uisus sit Cephę: deinde duodecim illis: postea uisus est

plus quàm quingentis fratribus simul, ex quibus plures manent ad hunc usque diem, quidam autem & obdormierunt. Deinde uisus est Iacobo, pòst Apostolis omnibus. Postremò uerò omnium uelut abortiuo, uisus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui nō sum idoneus, ut dicar Apostolus, propterea quòd persecutus sum Ecclesiam Dei. Sed gratia Dei sum id quod sum. Et gratia eius, quæ perfecta est in me, non fuit inanis, sed copiosius quàm illi omnes laboraui: non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mihi adest.

Quidnam in hac Epistola S. Paulus operatur?

Agit de summo fidei articulo, nempe de mortuorum resurrectione.

Quanam causa fuit ad id impulsus?

Corinthiorum quidam adeò fuerunt à falsis prophetis corrupti, & pseudapostolis seducti, ut nullam mortuorum resurrectionem crederent. Alij dicebant illam in Baptismo iam diu contigisse, & sic ad extremum inciderunt in errorem ac heresin Sadducæorum, qui post hanc nullam affirmabant esse uitam, sed homines more bestiarum interire. Contra quos uertignum spiritus hoc decimumquin

tum

tum caput S. Paulus conscripsit, ac inibi de resurrectione tractauit articulum, atque firmissimis argumentis confirmauit, eodem labore nobis quoque inseruiens. Quandoquidem autem spiritus sanctus prædixit, in extremis temporibus exorituros in Ecclesia contemptores Dei, habituros ludibrio articulos Fidei, præsertim de nouissimo die, de resurrectione mortuorum, & æterna uita: cauet igitur, atq; monet S. Paulus, ut quoniam sacrum Dei Verbum purum atq; syncerum habeamus ad manus, uigilanter idipsum audiamus, apprehendamus, atque firmiter conseruemus, ne eius neglectu subnascantur inter nos consimiles illorum hæretici, nostram fidem ad nihilum redacturi. Quòd si tanta fidei pestis succreuit in parochia & episcopatu Pauli, nempe Corintho, ubi tanto studio atq; fidelitate uerbum Dei plantauerat, quid eueniet nobis, qui in eiusmodi seculum incidimus, quod uario sectarum, falsarumq; doctrinarum genere contaminatum est, atq; conspurcatum?

Quomodo S. Paulus Epistolam hanc auspicatur?

Notum, inquit, uobis facio, fratres, Euangeliũ, quod euangelizaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequimini, quo pacto annunciârim uobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.

Quid per ea uerba tradit?

Duo

Duo præcipuè perficit. Principiò Corinthios, imò Christianos omnes admonet, ut in uerbo Dei fortes permaneant, nec ab eo patiantur sese deterreri. Quasi dicat, Operæprecium est iugiter instare, uobis inculcando, ut quod synceriter prædicaui Dei uerbum, in corde uestro conseruetis. Summo hactenus studio Euangelion audiuistis atq; suscepistis, & quotquot Christiani estis, per illud ueram in Christum fidem consecuti fuistis, ijdemq; in Baptismo Spiritum sanctum, futuri participes æternæ uitæ, si modò constantes in recta uia permanseritis. Cuius beneficij uobis ego proximus à Deo sum autor. Cur igitur iam à doctrina sana deflectentes, admittitis diabolica dogmata? Cur per inania colloquia, impios errores, ac Satanæ mendacia patimini uos à pseudapostolis seduci? Quòd si meam cum illorum prædicationibus doctrinam contuleritis, facilè uidebitis, hanc eandem incorruptam, ipsumq; Dei Verbum esse. Quod igitur audistis ex me, tenete mordicus, & execrabiles pseudoprophetarum offucias proijcite.

Deinde Corinthijs in memoriam reuocat, aperteq; declarat ea, de quibus antea diligenter admonuerat, instituitq; nouam de eadem re, nempe Christi resurrectione, concionem, qua potenter comprobat Christum à mortuis resurrexisse.

Quibus autem argumentis confirmat Christi resurrectionem?

Tria

Tria ponit testimoniorum genera. Primum è scripturarum sacrario depromptum est, contra uertiginosos spiritus, qui scripturam, & externũ uerbum contemnentes, intuentur in cœlum, imbiant cœlestem uocem, cùm tamen Spiritus sanctus omne suum consilium, atq; mysteria uerbo incluserit, & in scripturis declarauerit, ut nemo causari poßit, aliud quærendum aut inuestigandum esse, quod literis sacris non sit comprehensum.

Secundum à fide testium, à quibus post resurre ctionem suam Christus est uisus. Quorum è numero S. Petrus. Deinde Apostoli duodecim, Postea plures quàm fratres quingenti. Item S. Iacobus, Et postremùm omnes discipuli, Qui ueri certiq; Christianæ resurrectionis testes.

Tertiũ, à seipso ductũ, Postremò, inquit, omnium uelut abortiuo, uisus est et mihi. Quasi dicat, Et ego, quemadmodũ alij Apostoli, Christũ uidi, ab eo de item Apostolus creatus, ut iure poßim gloriari.

Cur se uocat abortiuum?

Quasi dicat: Quemadmodum per abortionem partus æditur intempestiuus, non potest uitam habere, aut manere superstes, ita me Synagoga mater abortiuit. Quæ cùm spiritualem me debuerat parere, & ut Apostolos alios, ad Dei regnũ transferre, ædidit embryonem immaturũ fœtum, mortis filium, qui Christũ & Euangelion persecutus sum. Quibus uerbis omnem suam pristinam reijcit sanctimoniam,

ctimoniã, atq; iustitiam. Quasi dicat, Incorruptæ uitæ Iudæus fui, synceriter in lege Domini uersatus, sed omnia ueluti fructus immaturos, & inutiles æstimo, qui permansissem abortiuus, & tanquã mortuus infans de tenebris in tenebras concessissem, nisi fuissem in Christo per baptismũ & Euangelium renatus.

Cur inquit: Ego sum minimus Apostolorum?

Quamuis Apostolorum ultimus sit, & priuatæ personæ respectu indignus, propterea quòd Ecclesiam Dei fuerit persecutus, non uult tamen officij atq; ministerij sui munus eleuari, atque contemni, cùm gratia Dei, in se perfecta, non fuerit inanis, & ipse copiosius, quàm alij summi Apostoli, laborauerit. Dicit igitur. Quòd si uocatus ego sum Apostolus à Christo, cur nõ de Resurrectione etiam testari debeo, quemadmodum alij testes Apostoli?

Quid est quod ait: Gratia Dei sum id quod sum?

Hoc loco uocat Apostolum, Concionatorem Euangelicum, Dei gratiam, Rem diuinam, & cœleste munus, quod ipse Deus concedere, & sine meritis ullis nostris conseruare soleat. Is, inquit, ego uir sum, à Deo uobis cœlitus datus, qui per Dei gratiam Euangelion attuli uobis, ut preciosus thesaurus donatus, talem igitur me, non alium æstimabitis. Non sum è numero pseudapostolorũ, qui pas-

ſim oberrantes ſcipſos cōſtituunt Verbi miniſtros, qui populorum ſeductores, me non æſtimant Apoſtolum: ſed ipſe reuera dicere poſſum, me diuinitus uocatum, multò plus præſtitiſſe, quàm omnes. Etenim diuina gratia promotus, Aſiam, Græciam, ac Italiam Euangelica doctrina repleui. Quod ad perſonæ meæ pertinet imbecillitatem, qua Eccleſiam perſecutus ſum, patiar à quolibet me reprehendi: ſed quod attinet ad officij mei rationem, non feram aduerſariorum calumnias. In hac parte ſi Deus curæ uobis, meritò requiram, ut me honore proſequamini, foueatis, atq; tueamini.

Quænam huius Epiſtolæ ſumma?

Sanctus Paulus oſtendere contendit, nullo medio, uel alia re melius intelligi poſſe articulum fidei noſtræ de Reſurrectione, quàm uerbo ore Dei prolato. Quod ſi fuerit ereptum, impoßibile nobis erit, uel minimum articulum conſeruare, imò nos uel in leuißima tribulationum tentatione conſiſtere poſſe. Qui ſimiles ſumus infantibus lactentibus. Horum ſaluæ res ſunt, dum in gremio materno recumbentes ubera ſugunt, ſed magna pericula ſubire coguntur, quum matres ereptæ fuerint, atque lac ſubductum. Ita nos in portu (quod aiunt) nauigamus, dum in diuino patris cœleſtis gremio requieſcimus, atque recreamur Dei uerbo: ſed actum de nobis, ſi fuerit illud è medio ſublatum.

ſublatum. Sic enim facilè in doctrinas falſas, menda cia, errores, imò perditionem incidemus. Hinc eſt quod Dauid, Pſalmo 130. Si non humiliter, inquit, ſentiebam, Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea. Quaſi dicat, Quòd ſi cor meum diuina gratia nõ ſuffulſiſſem, nec con ſtabiliſſem, neque Dei uerbo pacatum reddidiſſem, idem accidiſſet mihi, quod ablactato: promiſſionis enim atq; gratiæ diuinæ papillas amiſiſſem, nec ullam conſcientiæ pacem, animiq; tranquillitatem habuiſſem. Eadem propemodum dicendi forma Corinthios alloquitur Sanctus Paulus, inquiens: Vt nutrix fouet ſuos filios, ſic affectu propenſus in uos, Euangelium impertiui, uobis à Deo miſſus atque conſtitutus prædicator, ut doceam uoluntatem diuinam, eiq; uos morem geratis. Vtrunq; contigit, Prædicaui, atque uos audiuiſtis. Reſtabit igitur, ut quæ docui firmiter obſeruetis. Quæ ſi miſſa feceritis, aut contempſeritis, non me, ſed Deum, animarumq; ueſtrarum ſalutem atque felicitatem æternam eſtis contempturi, rationemq; reddituri ſeuero iudici Chriſto in extremo die. Perditionis ueſtræ minimè reus ego, ſed inſons precabor Deũ, ut uobis concedere dignetur reſipiſcẽtiam, uitæ emendationẽ, ac animarũ ſalutem, Amẽ.

DOMINICA XII. POST Trinitatis, Epiſt. II. Corinth. III.

Fratres

FRatres, Fiduciam huiusmodi habemus per Christum erga Deum: non quòd idonei simus ex nobisipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobisipsis: sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos fecit nos ministros Noui testamenti, non literæ, sed spiritus. Nam litera occidit, spiritus autem uiuificat. Quòd si administratio mortis in literis, deformata in saxis, fuit in gloria, adeò ut non possent oculos intendere filij Israël in faciem Mosi, propter gloriã uultus eius, quæ aboletur: cur non potius administratio spiritus erit in gloria? Nam si administratio condemnationis in gloria, multò magis excellit administratio iustitiæ in gloria.

Quotnam præcipuè res in hac Epistola nobis proponuntur?

Duæ potißimum. Principiò, humanæ naturæ fragilitas. Deinde Legis & Euangelij discrimen.

Quomodo humanæ naturæ res se habent?

Post Adæ casum natura hominis adeò corrupta est atq; perdita, ut in ea nihil prorsum boni resideat. Nos enim proprijs uiribus nostris efficere nihil possumus, non bonam aliquam cogitationem, nedum uerbum aut opus aliquod bonum produce-

re. Quicquid autem in nobis habemus boni, id operatur in nobis diuina gratia, siue id sit in ministerio prædicationis, siue administrationis officio.

Sumus ne igitur excusati nos, si nihil fecerimus boni?

Minimè. Nos omni tempore Deum orare debemus, ut nobis adiumento præsidioq; dignetur esse, nec repulsam, si modò crediderimus, patiemur, sed quæ necessaria nobis, accipiemus ab illo, qui promisit, Luc. 11. Petite, inquit, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis &c. Quòd si mensam instructam esuriens, cellam uinariam sitiens, & ambulando defessus lectum appetis, & ad eadem refrigeria properas, cur non ad Deum quoq; refugis, cùm laboras penuria fidei, charitatis, spei, patientiæ, atque consimilium? Talia promisit Deus sese nobis suppeditaturum, Iacob. 1. Et si teipsum bene curare, atq; reficere uales edulio, potu, somno, reliquisq; necessitatibus, fac eadem proximo tuo præstes. Nam Dei præceptum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum, Matt. 22.

Sed inquis, cur opera bona facienda sunt, cùm eadem nihil faciant ad iustificationem?

Audi homo, Quamuis opera nuda non iustificent, neque saluent, tamen ad res plurimas utilia sunt. Primò fidei testimonia sunt, & experimenta. Deinde sunt euidentia argumenta, & indicia nostra

stiae gratitudinis. Tertiò, per eadem nomen Dei glorificatur, & proximi commoditas spectatur. Quod ipse Christus faciendum docuit.

Quomodo S. Paulus hanc Epistolam exorditur?

Fiduciam, inquit, huiusmodi habemus per Christum erga Deum, non quòd idonei simus ex nobisipsis, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Q. d. Quòd utiles sumus ad inseruiendum Ecclesiæ, atque prædicandum Euangelium, non ab ingenij nostri uirtute profluit, nec à uiribus nostris proficiscitur, sed opus est omnipotentis Dei. Ego quod planto, Apollo rigat, sed Deus dat incrementum.

Cur S. Paulus ea uerba protulit?

In Corinthiorum Ecclesia uidebat falsos Apostolos, qui summa iactantia gloriabantur de ingenijs sui, & artium cultu, quòd essent tales, qui uarijs artibus expoliti, atque sapientia præditi, multum utilitatis afferrent, idq; proprijs animorum dotibus. Contra quos Sanctus Paulus hic scribit, asserens, neminem in terris esse quantumuis pium, doctum, atque sapientem, qui Noui testamenti ministerium possit, ut oporteat, exequi, si non Deus ipse per spiritus sancti gratiam reddiderit idoneum.

Quidnam S. Paulus dicit de Legis & Euangelij discrimine?

Summis laudibus euehit Euangelium, affirmans hoc ipsum multò preciosius esse, quàm legem. Et

licet Euangelium persecutionem patiatur, tamen augeri dicit in credentibus, quos in certam æternæ gloriæ spem erigat per crucem. Taxat igitur eos, qui legem Euangelio præferentes, introducunt externam sanctimoniam, & iustitiam hypocriticam, atq; relinquunt internam incredulitatis turpitudinem impunitam.

Quomodo separat Euangelion à Lege?

Triplici ratione graui discernit. Principiò donatione uel promulgatione. Secundò, ratione officij atq; ministerij. Tertiò, fructuum ratione.

Quomodo ratione promulgationis?

Quum Deus in monte Sinai Legem daret, nihil aliud uidebatur, quàm aëris intemperies, nubes tenebrosæ, fumus atque uapor igneus. Nihil item audiebatur, quàm fulgura, coruscationes atq; uehementes turbines, ut omnibus creaturis horrorem, summosq; metus incusserint, & populus Israëliticus Mosen rogauerit, ut ipse uelit ad eos uerba facere, non Deus, ne cogerentur interire. Sed cùm Euangelion exoriretur, & Christus in monte Thabor transformaretur, nihil aliud uidebatur, quàm fulgidum lumen atq; claritas. Nihil item aliud audiebatur, quàm iucundum colloquium, & amœna uerba, ut exultans gaudio S. Petrus dixerit: Domine, bonum est nos hic esse, Si uis faciamus hic tria taber-

tabernacula: tibi unum, & Moysi unum, & Heliæ unum. Et in die Pentecostes, quo mittebatur Spiritus sanctus, & Euangelium manifestabatur, nihil aliud uidebatur in discipulis, quàm igneæ dissectæ linguæ. Nihil item aliud audiebatur, quàm uarijs linguis prædicari Dei magnalia, atq; remissionem peccatorũ in nomine Iesu, promittiq; credentibus omnibus iustificationem, ac uitam æternam.

Quid nobis hæ designant historiæ?

Significant proprietatem atque naturam Legis & Euangelij, Lex peccatorum conscientiam exterret, ante oculos ponit admissa delicta, & minatur æternam mortem. Sed Euangelion terrore concussas conscientias consolatur, & ostendit eum, qui peccata, & mortis æternæ maledictionem potest auferre.

Quomodo ratione officij uel ministerij?

Legis officium est iubere, uetare, urgere, atque cogere, & in homine tædium, odium, impatientiam, contumaciam, & iram excitare, quemadmodum S. Paulus ait, Rom. 4. Lex iram operatur.

Quanam in re fuit lex scripta?

In tabulis lapideis.

Quid significant eæ tabulæ?

Significant humanas uires, Dei spiritus expertes. Quemadmodum autem malè scribitur in lapi-

cte, quòd difficulter hæreat atramentum: ita paris efficiunt humanæ uires, in rebus diuinis, nisi fuerint Dei *gratia perfusæ.*

Quodnam est officium Euangelij?

Euangelion consolatur, petit, rogat, monet, & meris utitur uerbis melle fluentibus. Dat *spiritum sanctum, & hominem reddit facilem, alacrem, paratum, atque promptum ad omnia* Dei *præcepta seruanda.* Po*stremò largitur uitam æternam, ut* S. *Paulus ait,* Rom. 1. *Euangelium, inquit, est* Dei *potentia, ad salutem omni credenti.*

In quanam re debet Euangelium scribi?

In animis credentium, & in tabulis cordis carneis.

Quænam sunt carnea corda?

V*eri* C*hristiani, uiua spiritus sancti uasa atque templa, quos* Dei *spiritus regit, atque ducit ad omne, quod diuinum, atq; Christianum est.*

Quodnam erat Moysis officium?

I*udæis prædicabat* L*egem, atque seuerus ijs proposuit plus quàm sexcenta mandatorum genera, proclamans horribili uoce, inquiens: Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit.* H*æc præclara fuit prædicatio, quæ ad desperationem adigebat omnes homines, uidentes sese nullum* L*egis præceptum seruare posse*

posse. Nihilominus tamen instabat Moyses, proponens id inamabile speculum, in quo deberent contemplari fragilitatem suam, et imbecillitatem agnoscere, ut pauperes ita spiritu redditi sitirent iustitiam, ad misericordiam diuinam aspirarent, sese ad gratiæ thronum reciperent, atq; peccata transfunderent in agnum Dei, Christum.

Quodnam est officium Christi?

Euangelion prædicat Christus, & non uarijs mandatis onerat, sed in pauca uerba conferens, inquit: Dilige Deum ante omnia, & proximum sicut teipsum. In eo tota Lex, ac Propheta pendent.

Quid est uetus Testamentum?

Omne quod urget, cogit & impellit, nec quid aliud præstare potest.

Quid testamentum nouum?

Omne bonum, quod alacriter fit, ex charitate non ficta, quod non coactum procedit, sed sua sponte profluit, gratia diuina, atque Spiritu sancto productum.

Quid est litera?

Omne quod scriptum est, ut Lex, Euangelion, doctrina, prædicationes, & breuiter omnia uerba & opera, quæ sine spiritu fiunt, nec in corde uiuũt.

Quid est spiritus?

Est uita, & Spiritus sancti nostris in cordibus operatio.

Da exemplum.

Externa circuncisio, sine interna, nihil aliud est, quàm litera: uerumenimuerò si accesserit interna, spiritus est. Quod Dauid obtulit, spiritus erat: quod autem Saul, lex. Item qui fide recta praeditus ad altaris sacramentum accedit, sed litera manet ei, qui sine fide sumpserit. In summa, Quicquid non liberè, nec alacriter, neque synceriter in Ecclesia fit, litera est: quicquid autem hilariter, atque puro cordis affectu contingit, spiritus est: siue id sit internum, uel externum. Cùm igitur Sanctus Paulus dit, se spiritus ministrum esse, non literae, significat se non modò ad legem praedicandam esse missum, sed etiam per Euangelij doctrinam suppeditandum Spiritum sanctum. Quemadmodũ autem S. Paulus fuit missus, ita sunt omnes Episcopi, atq; Concionatores missi, ad praedicandum Legem & Euangelion, poenitenciam & remissionem peccatorum in nomine Iesu, Lucae ultimo.

Cur litera occidit?

Quoniam docetur sine spiritu, atq; fide. Audio quidem nõ committendum adulterium, nec furtum neq; caedem faciendam esse. Caeterùm quia non spiritum, nec fidem habeo, quo possim ista mandata seruare, trucidat, & meram in me suscitat iram.

Cur Euangelion uiuificat?

Quoniam ea doctrina est, quae secum affert fidem, atq; spiritum, qui solummodo me ducit ad un

cum Christum, eiq; copulat, atque sic unit, ut in me Christus, & ego maneam in illo.

Quomodo ratione fructuum differunt Lex & Euangelion?

Legis fructus sunt: metus, terror, ira Dei, cauteriata conscientia, maledictio, atque damnatio. Contrà sunt Euangelij fructus: gaudium, consolatio, Dei gratia, bona conscientia, peccatorum remißio, & uita æterna. Lex quidem ostendit ea, quæ facienda sunt, sed non auxilium, neq; spiritum præstat, quo poßim imperata facere. Iubet enim ac uetat, terret ac minatur, maledicit ac execratur, ut nemo reddatur inde melior, sed deteriores omnes. Ostendit quid peccata, sed ab ijs neminem potest eripere, sed relinquit homines in Adami ueteris sterquilinio iacentes. Contrà demonstrat Euangelion, quæ sunt omittenda, & quæ facienda, sed interim robur ac uires addit, confertq; spiritum atq; gratiam perficiendi nouos homines, reddens propensos, intimoq; cordis affectu promptos ad Dei mandata seruanda. Etenim sua sponte, & cum gaudio, non impulsi nec coacti, faciunt omne, quod Deus requirit. Sed is spiritus litera nulla comprehendi potest, nec atramento scribi, sed est uiua spiritus sancti scriptura, cordibus credentium insculpta. Proinde Iudæi, Moysis discipuli manent, cùm ad externam literam adhærescant, habentq; uelamen oculis obuolutum, ut syncerum scripturæ sen-

ſum uidere, nec ipſa de Chriſto uaticinia poßint intelligere. Moyſes obtecto uultu Iudæis uoluntatem Dei, atq; beneplacitum indicat, ſed non poſſunt uelatam eius faciem intueri, magis autem petunt, ut eam contegat: & in hunc uſq; diem uelamen cordibus illorum impoſitum eſt. Ad hoc ipſum operam ſtrenuam nauant Rabini, & operum doctores. Verùm ſi ad Chriſtum ſeſe conuerterent, tum è medio tolleretur uelamen, ac ipſi conſequerentur Dei ſpiritum, atq; cognitionem Chriſti.

Eſt ne igitur lex prædicanda?

Quamuis Chriſtiani Verbum ſpiritus habeant, tamen neceſſaria prorſus eſt legis prædicatio, ut per eam arrogantia, præſumptioq; redigatur ad nihilum, & peccatorum agnitio ſuccedat, qua homines ſibi conſcij fiant ſpiritu pauperes, gratiam diuinam ſitientes, cauſamq; iuſtam habeant confugiendi ad miſericordiam, & auxilium Chriſti. Lex & litera conſcientiam excarnificant, atque faciunt ut nemo poßit ad iram Dei ſubſiſtere. Sed Euangelium atque ſpiritus præſtant, ut nemo de gratia, miſericordiaq; diuina deſperet. Quàm atrociter ac horrendùm exterret minaturq; Moyſes, tam clementer, ac miſericorditer conſolatur atq; lætificat Chriſtus. Lex igitur et urgentia mandata relinquantur in Eccleſijs, ut publicum humanæ uitæ ſpeculum, in quo contemplemur imbecillitatem & imperfectionem noſtram, & peccata cognoſcentes

gnoscentes incipiamus delictorum agere pœniten tiam, exuendo ueterem hominem, & induendo nouum, ut uetus illud dictum: Γνῶθι σεαυτὸν, præcedat, hoc est, Cognosce teipsum. Et sequatur: COGNOSCE IESVM CHRISTVM. Hic uerus est ad Dei Regnum perueniendi gradus atq; processus. Vnde Iudæis aßimilantur ij, qui proprijs meritis, & operibus suis nituntur iustificari. Nam oculis eorum, quod Moysis faciem tegit, uelamentum impositum est, ut non queant, nec uelint nudatum Moysis uultum intueri, hoc est, non cognoscere opera sua esse peccata, nec se se peccatores coram Deo, quemadmodum ille publicanus, humiliare. Vana itaq; sui fiducia superbiunt, & iactantia nimis impia, quemadmodum in Euangelio Pharisæus, gloriantur de suis meritis, proprijsq; superstitione procreatis operibus, quæ Dei atq; Saluatoris loco uecorditer habent, proculcantes paßionem atq; mortē Christi. Quapropter nō iniuria Deus permittit eos occæcari, atq; indurari, ut perpetuò maneant in mortua litera, nunquam peruenientes ad uitam spiritus.
Quòd si autem sublato uelamento, Moysis faciem rectè cōtemplati fuerint, uiderent legē, ostensis peccatorum uulneribus, ad pœnitentiam uocare, Deinde ad uerum deducere medicū, nempe Christum, à quo solo peccatorum remißio proficiscatur, & æterna deniq; uita, Amen.

DOMI-

DOMINICA XIII. POST
Trinitatis, Epistola, Galat. III.

FRatres, ſecundum hominem dico. Hominis licet teſtamentum, tamen ſi ſit comprobatum, nemo reijcit, aut addit aliquid. Porrò Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius. Non dicit: & ſeminibus, tanquam de multis, ſed tanquam de uno, Et in ſemine tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico, teſtamentũ antè comprobatum à Deo erga Chriſtum, lex, quæ poſt annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritum, ut abroget promiſsionem. Nam ſi ex lege eſt hæreditas, non iam ex promiſsione. Atqui Abrahæ per repromiſsionem donauit Deus. Quid igitur lex? propter tranſgreſsiones addita fuit, donec ueniret ſemen, cui promiſſum fuerat, ordinata per angelos in manu interceſſoris. Interceſſor autem unus non eſt, at Deus unus eſt. Lex igitur num eſt aduerſus promiſsiones Dei? Abſit. Etenim ſi data fuiſſet lex, quæ poſsit uiuificare, uerè ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

Quid

Quid in hac Epiſtola S. Paulus operatur?

Cùm S. Paulus omnia ſua argumenta fortiter in id direxiſſet, ut aduerſus operum iuſtificationem fidei iuſtitiam confirmaret, ac defenderet Chriſti gloriam, quæ peculiariter læditur per doctrinam de operum iuſtificatione, iam hoc loco de promiſsione (cùm in iuſtificationis negotio promiſsiones Dei fortiſsimorum argumentorum loco ſint) Abrahæ facta dicturus eſt, ac eiuſdem ratione ſua confirmaturus argumenta. Sed ab initio quædam à rerum humanarũ ordinationibus adducit, ut eò tenacius diuino teſtamẽto poſsit inniti.

Quomodo hanc auſpicatur Epiſtolam?

Sic ait: Fratres, ſecundum hominem dico, Hominis licet teſtamentum, ſi ſit tamen comprobatum, nemo reijcit, aut addit aliquid.

Quid per ea uerba intelligit?

Horũ uerborum argumento potenter oſtendit, Galatas mente captos, aut faſcino perditos eſſe.

Quænam huius rei cauſa eſt?

Quoniam Chriſti teſtamentum, quod ipſe Chriſtus ſua morte, atq; ſanguine confirmauit, mutare uoluerunt, atq; reſcindere, cùm tamen hominis teſtamentum in ſua uirtute, iure, & honore cogantur relinquere. Nam in ordinatione ciuili firmiter obſeruari ſolet, ut teſtatoris ultima uoluntas

(quod

(quod testamentum appellamus) inuiolabilis habeatur, atq; plurimùm obliget, si testatoris præcipuè mors intercesserit. Quòd si igitur plurimum in hoc casu ponderis habent, quæ sunt ab hominibus facta, sancitaq;, cur non ualere debent, quæ Deus ipse decreuit, atq; constituit? Cur non plus Dei testamentum pollebit, quàm hominis? Porrò cùm nemini liceat hominis testamentum uiolare aut infringere, multò minus decebit irritum diuinum testamentum facere, quod precioso sanguine suo Dei filius sanciuit.

Quodnam est Dei testamentum, quod tantis præconijs S. Paulus extollit?

Sic ait: Abrahæ dictæ sunt promißiones, ac semini eius. Quibus uerbis significat Dei testamentum, in hanc sententiam enuncians: Deus Abrahæ, atq; eius semini testamentũ condidit, atq; promisit sese cunctis gentibus in eius nomine benedicturum.

Quid significat benedicere?

Benedicere est à maledictione legis, à peccatis, Satana, & inferno liberare.

Quid per semen benedictum intelligitur?

Semen benedictum est Christus, qui Abrahæ ueluti testamento promissus atq; donatus fuit. Nec Abraham de eo dubitauit, sed certò credidit uenturum, qui peccata, mortem, Satanam, & infernũ oppressu

oppressurus esset, et electis iustitiam atq; salutem ex mera gratia sua, sine meritis nostris, collaturus.

Nónne sufficiebat eiusmodi testamentum ad iustificationem: cur Deus coactus Legem promulgare?

Ad quod S. Paulus respondet, inquiens: Hoc dico testamentum antè comprobatum à Deo erga Christum, lex quae post annos quadringētos, et triginta cœpit, nō facit irritū ut abroget promißionē.

Quando promissionem Deus benedicti seminis dedit?

Principiò dedit Adae in paradiso, cùm diceret ad serpentem, Gene. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuū & semen illius. Ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Postmodum Abrahae, quindecimo propemodum ante circuncisionem anno, Gen. 12. & 15. Ante legis autem traditionem annis quadringentis, atq; triginta, ut omnes homines uiderent à Deo non esse datum eiusmodi testamentum ex debito, sed mera gratia.

Nónne iustitia comparari potest per legem?

Sic ait S. Paulus: Si ex lege est haereditas, iam nō est ex promißione. Atqui Abrahae per promissionem donauit Deus. Q. d. Quòd si res ita se habent, proculdubiò non ualitura sunt in negotio iustifica-

stificationis opera legis, sed fidei, promißionem apprehendemus.

Quid igitur lex prodest, cùm non iustificet?

Ad hoc S. Paulus respondet, inquiens: Propter transgreßiones addita fuit, donec ueniret semen cui promissum fuerat, ordinata per angelos in manu intercessoris. Intercessor autem unius non est, at Deus unus est.

Sed cur lex data?

Duas propter causas.

Quænam est prior?

Vt inobedientes atq; præfractos transgressores atq; peccatores in officio contineret atq; compelleret eos, ut nolint uelint cogerētur ordinationi ciuili, atq; morib. politicis obtemperare. Cuius rei causa pœnas etiam externas adhibuit, quibus externæ legum transgreßiones punirentur. Atque is legum usus politicus habetur.

Quænam est altera datæ legis causa?

Vt iudicet, atq; manifestet peccata. Nam ignorassemus adulteria, furta, homicidia, libidines, atque prauas concupiscentias peccata esse, si lex non dixisset: Non committes adulterium, Non furaberis, Non concupisces &c. Eiusmodi præcepta suscitarunt, atq; uiuum reddiderunt in nobis peccatum, quorum traditione cognouimus peccata.

Suffi-

Sufficit igitur, quòd lex peccatum prodit, atq; punit?

Aliud quiddam accedat oportet, nempe semen cui facta fuit promißio. Nam si homo peruenerit ad agnitionem peccatorum, & non protinus fuerit ad semen illud benedictum, nempe Christum, perductus, adigitur ad desperationem. Omnis enim fuerit adempta spes, atq; consolatio, ingruerit metus omnis, & ubiq; tremor. At si statim in agnitione peccatorum homo sese receperit ad promissum semen, ueteris serpentis extinctorem, Christum, salua res erit, & extra periculum omnia, maximè si fuerit animo percepta firmiter Abrahæ atq; semini eius facta promißio. Sic officio suo rectè fungetur lex, accedensq; Euangelion. Nam illa seuera peccatum ostendit, hoc plenum gratia remittit. Quisquis hanc nouit utriusque differentiam, bene poterit de Lege & Euangelio disserere, atque rectè docere.

Qualiter in hisce rebus Galatæ fuerunt adfecti?

Per fidei atque Euangelij susceptionem Galatæ fuerunt consecuti huius testamenti bona, nempe benedictionem diuinam, remißionem peccatorum, atque animarum salutem: sed eò stultitia dementati peruenerunt, ut à falsis Apostolis retraherentur à Christianismo ad Iudaismum, uolentes per Moysi legem, & eius opera iustificari. Quod erat stultâ

rationis consilium, quo Christiani studebant ad Iudaismum relabi. Hoc erat admouere manū aratro, & respicere à tergo.

Sed Iudæi rationes excusatorias prætexere solent.

S. Paulus irridet eos, inquiens: O stulti Galatæ, si modò bene didicistis supputare, digitis uestris enumerate, quantum intercesserit temporis inter promißionem Abrahæ factam, & legem Moysi datam. Quod si feceritis, inuenietis proculdubiò quadringentos annos & triginta. Quòd si igitur tanto tempore, tamq; diu ante legem datam promissio facta est, & Deus, qui promisit, fallere non potest, quid est, quòd inani uerborum strepitu, & ineptis argumentis uanitatem uestram defendatis? Ad consimilem rationem poterimus dicere: Nostræ iustificationis opus ante mille quingentos annos perfectum est. Atq; nostra, totiusq; mundi peccata, sunt eo tempore per Christi sanguinem preciosißimum abluta, deletaq;. Vestrum operari est aranearum telas (ut aiunt) texere, & ædificare in harena. Soli Christo laus, & gloria sit per æterna secula, Amen.

DOMINICA XIIII. POST Trinitatis, Epistola, Galat. V.

FRatres, Dico aūt, spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis.

ficietis. Nam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus aũt aduerſus carnem. Hæcautem inter ſe mutuò aduerſantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadem faciatis. Quòd ſi ſpiritu ducimini, nõ eſtis ſub lege. Porrò manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt opera hæc: Adulterium, ſcortatio, immunditia, laſciuia, ſimulachrorum cultus, ueneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, ſeditiones, ſectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: de quibus prædico uobis, quemadmodum & prædixi, quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. Contrà fructus ſpiritus ſunt, charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Qui uerò ſunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentijs.

Quid S. Paulus in hac docet Epiſtola?

Poſtquam fidei ſolidum iecit fundamentum, atq; ualidiſsimis argumentis confutauit eos, qui iuſtificationem operibus adſcribunt, atq; negant fidei iuſtificationem, iam incipit docere fidei fructus, & opera bona, præcipuè quæ Deus *atq; ſanctus ſpiritus in nobis requirunt.*

Quomodo auspicatur hanc Epistolam?

Fratres, inquit, spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit aduersus spiritum. Hæc autem inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadem faciatis.

Quid per ea uerba significat?

Hominis Christiani uitam describit, nempe certamen atq; conflictationem perpetuam contra diabolum, mundum, & carnem propriam. Instruit item, qualibus consolationibus eiusmodi athletæ sint confirmandi, ne desperabundi grauibus in necessitatibus hastam abijciant, animumq; despondeant. Neq; desciscant, etiamsi ueteres ad peccata procliues affectiones in carne resederint. Nam eiusmodi tentationes tantisper dum uixerimus perduraturæ sunt, quemadmodum ipse S. Paulus conqueritur, Roma. 7. Hæc itaq;, dicit, Fratres, admonui uos, ne uicißim alius alium morderetis, ne uicißim alius ab alio consumeremini. Quo dicto nihil aliud uolui, nisi ut resisteretis prauis affectibus, & concupiscentijs carnalibus, uiueretis autem secundum Spiritum, hoc est, ut non per omnia carni morem gereretis, & quamuis cogitationes malæ uobis inciderint, nactiq; fueritis occasionem ulciscendi, non eam uindictæ opportunitatem arriperetis, sed ex animo cogitationes impias, peccandiq; faces eijceretis

retis atq; profligaretis, non in turpitudinem aliquam consentiretis. A malis cogitationibus nec immunes, nec uacui poteritis esse. Nam Satanas, mundus, & homines mali uarias uobis occasiones praebebunt ad iram, uindictam, inuidiam, & odium, sed per diuinum auxilium deuitare poteritis, & efficere ne in eadem consentiatis crimina.

Profer exemplum.

Legimus in Vitis Patrum, fuisse Fratrem, qui senio confectum Heremitam rogabat, qua ratione posset à malis cogitationibus liberari. Cui senex respondit, inquiens: Cœli uolatilibus liberum in aëre uolatum non poteris impedire, sed ne tibi uel in caput uel aures nidificent, probibere potes: Sic cogitationibus uiam praecludere non uales, nec efficere, quò minus ueniant, aut protinus recedant: Sed obsistere potes per auxilium diuinum, ne te totum occupent, aut captiuum trahant.

Diu ne carnis haeccine, atq; Spiritus pugna durat?

Per totam hominis uitam. Nam in terris nulla certa pax erit speranda. Nam Christus ait, Ioan. 16. In mundo afflictionem habetis, in me pacem. In bello ciuili nonnunquam milites liberi sunt ab armis, ut hyberno tempore, & induciarum diebus. Sed in hac spiritus pugna non momento temporis arma sunt deponenda. Semper enim nos oportebit uelut in acie paratos stare, Nam aduersarius noster

Diabolus nunquam quiescit, sed ut leo rugiens obambulat, & quærit quos deuoret.

Quid est Caro?

Omne id caro dicitur, quod natum est ex carne, utpote totus homo, cum anima & corpore, ratione atque sensu. Quicquid intra uel extra hominem uenit, & operatur, pertinens ad carnis utilitatem, aut uitam temporalem. Et licet de rebus arduis, atque spiritualibus disserat, scribat, cogitet, aut meditetur, tamen nihil aliud est, quàm homo carnalis. Nam S. Paulus etiam Gal. 5. sectas & hereticorum dogmata carnalibus operibus adnumerat, licet rerum spiritualium sint crimina, cordibus insculpta.

Quid est Spiritus?

Spiritus etiam significat hominem totum, cum anima, corpore, ratione, atq; sensibus: & omne uel externum, uel internum, quod uiuit & efficax est ad spiritum, atq; uitam euenturam, licet etiam circa res externas uersetur, quemadmodum Christus, cùm lauaret discipulis pedes. Et S. Petrus piscabatur, homo tamen spiritualis fuit.

Quid est homo carnalis?

Qui uel externis, uel internis rebus exercet, & facit ea, quæ carni iucunda simul ac dulcia perplacent.

Quid est homo spiritualis?

Qui uel interna uel externa ratione facit, ac operatur

operatur, quod carni contrarium, sed spiritui sancto beneplacitum.

Quomodo scire possum, utrum carnem, an spiritum sequar?

Ex fructibus, inquit Christus, cognoscimus arborem an bona sit, an mala: dulcis, an amara. Sic opera produnt, & indicant, hominem uel carnalem esse, uel spiritualem.

Quæ sunt opera carnis?

Adulteriũ, scortatio, immũditia, lasciuia, simulachrorum cultus, ueneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, cõcertationes, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & similia.

Quodnam illa præmium sequitur?

Sic ait S. Paulus: De quibus prædico uobis, quemadmodum & prædixi, quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt.

Quinam sunt fructus spiritus?

Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.

Quænam præmia subsequuntur?

Aduersus huiusmodi non est lex. Qui uerò sunt Christiani, carnem crucifixerunt cum affectibus, & concupiscentijs.

Qui uocantur spirituales?

Omnes Christiani spirituales esse debent. Hoc est, ita uiuere semper, ut omni tempore spiritus superemineat, & opera sua per fidem & charita-

tatem exerceat, tametsi præpeditus externis negotijs ad uitam sustentandam. Et quamuis pedes atq; manus, omniaq; membra sint obstricta & præpedita rebus externis, ad uictus & amictus necessaria comparanda, tamen cor rectum & integrum erga Deum esse debet, Quæ uera est spiritualitas.

Quinam carnales aut mundani uocantur?

Qui carnalia quærunt, res mundanas unicè curant, atque huius seculi cupiditatibus cor absorptum habent, Siquidem Deus non respicit externas istas laruas, cucullum geras, an rasuram: ligneas soleas, an sandalia: fune stringaris, an cingulo: portes sericum, an canabinum: Edas carnes, an pisces: intres cœnobium, an extra maneas. Deus corda scrutatur. Quòd si cor fuerit syncerum, tum omnia clara futura sunt, atq; salua. Quòd si cor non fuerit bonum, nihil iuuerint rasuræ, nihil profuerint habitus omnes externi. Quid enim summo pontifici Cayphæ utilitatis attulit Episcopalis ornatus? Quid Iudæis uestimentorum splendor? Deus requirit cordis synceritatem, atq; nouitatem uitæ.

Quomodo concludit hanc Epistolam?

Post habitum de fide atque charitate sermonem, concludit hanc Epistolam mortificatione carnis, ac ueteris hominis, inquiens: Qui spiritu Dei ducuntur, hi Christi sunt, Qui Christi sunt, ij crucifigunt carnem

carnem cum affectibus & concupiscentijs. Qui autem mortificant ueterem hominem, nouæ creaturæ fiunt, quibus cœleste regnũ est promissum. Oportet igitur Christianum tria habere: Principiò fidem erga Deum, Postea charitatem erga proximum, Tertiò mortificationem carnis, erga seipsum. In hæc tria baptizati sumus, & nos ea seruaturos sanctè promisimus. Væ nobis, si id non fecerimus. Contrà nos beatos, si promissa rebus confirmauerimus. Sic enim futuri sumus Dei filij, & cohæredes Christi in æterna uita, Amen.

DOMINICA XV. POST Trinitatis, Epist. Gala. V. & VI.

FRatres, Si uiuimus spiritu, spiritu & incedamus. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem nos prouocantes, inuicem inuidentes. Fratres, etiamsi occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Inuicem alij aliorum onera portate, & sic complete legem Christi. Nam si quis sibi uidetur aliquid esse, cùm nihil sit, suum ipse fallit animum. Opus autem suum probet unusquisque, & tunc in semetipso tantùm gloriationem habebit, & nõ in alio.

Vnusquisq; enim propriam sarcinam baiulabit. Communicet aũt qui catechizatur sermone ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. Ne erretis, Deus nõ irridetur. Quicquid enim seminauerit homo, hoc & metet. Nam qui seminat per carnem suam, de carne metet corruptionem: sed qui seminat per spiritum, de spiritu metet uitam æternam. Bonum autem faciendo ne defatigemur. Tempore enim suo metemus non defatigati: Itaq; dum tempus habemus, operemur bonum, cùm erga omnes, tum uerò maximè erga domesticos fidei.

Quid S. Paulus in hac docet Epistola?

Post carnis opera, fideiq; fructus enumeratos, adhortatur eos præcipuè, qui præfecti ministerijs in Ecclesia *laborant,* Principiò *caueant ambitionem, propriæq; laudis cupiditatem.* Deinde, *ne contemnant aut proculcent eos, qui fuerint in aliquod delictum à Satana præcipitati.* Quod *fecerunt Sacerdos atque Leuita,* Luc. 10. Postmo*dum omnes admonet auditores Verbi, ut animarum curatores atque prædicatores adficiant honore, & impertiant uitæ necessaria.* Postremò *omnes Christianos admonet, ut certatim faciant, quod bonum est, toti profuturum Ecclesiæ.*

Quomo-

Quomodo hanc Epiſtolam auſpicatur?

Sic ait S. Paulus: Si uiuimus ſpiritu, ſpiritu & incedamus.

Quid eſt ſpiritu uiuere?

Nihil aliud eſt, quàm in Ieſum Chriſtum credere. Nam ſpiritus fidei, ſpiritus ſanctus eſt. Ergo qui credit in Chriſtum, is Spiritum ſanctum accepit, & per eundem uiuit, ac facit omne bonum: Contrà qui non credit, is caret ſpiritu ſancto, ſed maligno captus, rapitur ad omne malum.

Quid eſt, ambulare ſpiritu?

Nihil aliud eſt, quàm prauis affectibus, atq; concupiſcentijs reſiſtere, & acceptam fidem bonis erga proximum operibus declarare. Quòd ſi igitur Chriſtiani atq; ſpirituales haberi, & eſſe uoluerimus, oportebit nos Chriſtiano dignam hominæ uitam exigere. & ſpiritui ſancto placentia opera facere. Principiò fidem ac omnem fiduciam in Deum omnipotentem reponere. Deinde per eandem fidem, membra carnis mortificare, & affectus omnes atq; concupiſcentias ſpiritui deuota ſubijcere. Poſtremò ſuſceptam fidem, per erumpentes fructus & opera charitatis, proximo perſpectam reddere: neminem contemnere, neminem lædere, ſed quemlibet honore præuenire, conſolari, miniſtrare, atq; ſuppetias ferre. Nam hæc Chriſtianiſmi ſumma: In Deũ credere, proximũ diligere, & uetere carnem mortificare.

Quid

Quid per ea uerba S.Paulus intelligi uult: Quòd si spiritu uiuimus, spiritu & incedamus?

Hoc dicit: Quòd si in Baptismo Spiritum sanctum accepimus, ambulemus igitur secundum spiritum, atq; piè conuersemur inter homines. Hoc est, *Si doctrinam Christi semel accepimus, mordicus eam teneamus. Simpliciter atque synceriter Christum doceamus, atque prædicemus, ac illi soli gloriā attribuamus. Nemo præ se contemnat aliū. Nemo sectas, neque schisma serat, uel excitet, sed in uia progrediatur, quam Christus uoluit prescribi, & per Paulum prædicari. Quicquid autem mali fuerit illatum à Satana, mundo, impijsq; tyrannis, tolerate, atq; patienter sufferte.*

Quænam est prima huius Epistolæ adhortatio?

Nec efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem nos prouocantes, inuicem inuidentes. Quibus uerbis S. Paulus teterrimum crimen, ambitionem, aut inanis gloriæ cupiditatem taxat, quod præcipuè regnat in pseudoprophetis, qui nihil aliud apud auditores, quàm meros honorum titulos, atq; mundanam gloriam quærunt, atq; faciunt ut Dei gloria, atque S. Pauli doctrina pessum eat, Vt S. Augustinus rectè dixerit: Vanæ gloriæ crimen esse matrem omnis hæreticæ prauitatis, fomem omnis deuastationis, & exitium in Ecclesia. Nul-

lus

lus est pagus, nullum oppidum, nulla denique ciuitas, in qua non inueniantur, qui cæteris sese non studeant præferre, qui nō fastuosi reliquos pessundare comendant. Quo pacto factum, ut nemo uelit alij cedere. Quilibet haberi uult, & esse perspicacißimus, doctißimus, atque sapientißimus. Suum cuiq; pulchrum uidetur, imò, quod aiunt, suus cuique crepitus bene olet. Quamuis autem hoc ipsum crimen Rebusp. plurimum incōmodat, tamen in Ecclesia multò nocentiorem affert perniciem, illic in periculum uocantur honores transitorij, mundana gloria, temporaria potestas, atque fluxæ diuitiæ. Sed hîc corpus, anima, & æterna felicitas in acie nouaculæ, quod prouerbio dicunt, uel in cadarum sunt ulnis.

Vnde subnascitur ambitio, proditq; uana gloria?

Accidere plerunque solet, ut cùm Deus in messem suam pios, atque fideles operarios mittit, statim exuscitet ac simul extrudat Satanas suos Apostolos & hypocritas: qui (quoniam princeps huius mundi, maximam in aula sua fouens militum ac satraparum turbam) stipantur undique atque circumuallantur ingentibus copijs, ut paucioribus, qui tamen solent ad ueritatem adhærescere, facilè præponderent. Et uidentes sese numero superiores esse, ferociunt, tolluntq; cornua, nemini cedere uolentes. Quorum tamen arrogantiæ atque

conatibus impijs locum dare non debent Apostoli ueri, sed se fortiter, per sanum Dei uerbum, opponere. Oportet enim Deum Magistrum permanere Dominum. Hinc dißidia, sectæ, & Christianorum diuisiones exoriuntur, quemadmodum accidit apud Galatas, Vbi pseudapostoli statim post S. Pauli discessum irruebant, omnem sibi uendicabant autoritatem, & suam potestatem, doctrinam, ac sapientiam sine fine iactabant, sese ueros Apostolorum discipulos prædicabant, sese uidisse & audisse Christum, Arguebant Paulum non Apostolum esse, quum nec uiderit neque audierit Christum, proinde nullum fore Euangelium Pauli. Qua uaniloquentia Galatas abalienabant à S. Paulo. Sed impij seductores non uiderũt extremũ, qui actus probabit, exitum. Mundanã perditi gloriam quærebant, splendidosq; nominis proprij titulos, quemadmodũ hodie inter Christianos ij, qui sectarũ autores sunt, quiq; uertiginum spiritibus trahũtur.

Quidnam in Ecclesia maligni spiritus sunt moliti?

Non paruum intulerunt damnum. Quum enim syncera Euangelij doctrina fuisset ab initio prædicata, statim exoriebantur sectarum autores, Prophetæ, qui se uocabant cœlestes, imaginum expugnatores tumultuosi, templorum destructores impetuosi, Sacramentarij, Anabaptistæ, & Apo-

stoli

stoli Satanæ. Qui licet ab initio Euangelij claritate conspicui prodire uidebantur, tamen sanctimoniæ simulatores sub Euangelij melle uenenum conditum effuderunt. Etenim carnalem rusticis libertatem promiserunt, Libera esse docuerunt flumina, syluas, prata. Tradiderunt Christianis non opim esse magistratibus, iure ciuili, turribus, atque patibulis. E medio tollenda horologia, & arenaria. Quæ prædicationes uulgo mirum in modum placuere, Certatim omnes accurrere. Atqui Deus ad nihilum reduxit, qui Satanam, atque complices tum eius omnes confudit, & perdidit, insigni dedecore affectos.

Quænam est altera in hac Epistola admonitio?

Fratres, si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis, cõsiderans temetipsum, ne & tu tenteris. Inuicem alij aliorum onera portate, & sic complete legem Christi. Hoc dicit: Quòd si homo (qui sanguis & caro, nihil aliud potest, quàm peccare) præpeditus fuerit aliquo delicto, culpa fragilitatis humanæ, uel ignorantiæ, uos qui spirituales estis, aut Euangelici, debetis eum redarguere mansuetudinis spiritu, & instaurare, correctum recipere in gratiam, cùm facilis sit casus, humanum peccare, & mundus ualde lubricus. Qui stat igitur, uideat ne cadat. Nihil aliud æquè

Iacob. 5. [illegible]

declarat uirum spiritualem, quàm alienorum peccatorum patientia. Proinde S. Gregorius, Verus, inquit, Christianus cum peccatore patientiam habet, sed hypocrita damnat. Non enim Christiano uoluptati sunt aliorum peccata, nec ea propagare, sed tegere studet, atque precatur ut à Deo condonentur. Econtrà gaudens in sinu hypocrita peccatorem proterit atq; damnat, quemadmodum Pharisæus ille, Lucæ 18.

Quotnam inueniuntur peccatorum genera?

Quidam animo procaci, deditaq; opera peccant, & sua sponte proruentes flagitia designant, contra Dei uerbum, imò contra omnem honestatem. Qui post unam atque alteram admonitionem non resipiscentes, relinquendi sunt, & habendi, ut Christus ait, Matthæi 18. uelut Ethnici & publicani. Etenim non habebit apud eiusmodi locum spiritus mansuetudinis, sed potius, ut S. Ioannes ait: Ne dixeritis eis, aue. Qui enim dicit, aue, cōmunicat operibus eorum malis.

Alij peccant humanæ fragilitatis instinctu: his omnis lapis est mouendus, & tantisper instandum, dum in uiam reuocaueris, & Christo fueris lucratus fratrem. Nec arbitreris te extra telorum iactum esse, ut non poßis ipse aliquando impeti à Satana, & ad peccandum solicitari. Considerabis igitur teipsum, ne & tu tenteris. Nam quod illis accidit,

cidit, & tibi poterit euenire. Qui iam pius atque sanctus effulges, post temporis momentum fieri poteris impius, atq; scelestus.

Quomodo igitur me geram?

Teipsum cognosce, & opera tua diligenter excute atque proba. In omnibus uel ad teipsum, uel ad proximum pertinentibus negotijs te gere iuxta Scripturæ decretum, atq; pietatis Euangelicæ regulam. Quod si feceris, gloriari poteris apud te de bona conscientia, minus accusare potente. Super id aūt si quis fortè peccauerit, admoneri debet, et ad pœnitentiam inuitari. Si audierit, bene: sin minus, relinquendus erit. Vnusquisq; enim propriam sarcinā portabit, rationemq; reddet in nouißimo die.

Quænam admonitio huius Epistolæ tertia?

Communicet autem qui catechizatur sermone, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. Hoc est, qui uerbo Dei eruditur, impertiat ei qui erudit, de cunctis suis bonis ac facultatibus. Quibus uerbis S. Paulus adhortatur filios parochiales, & auditores Verbi, ac instituit, quomodo sese erga Concionatores, atq; Verbi ministros gerere debeant, nempe, ut in omni necessitate subueniant illis, & sua rerum copia subleuent illorum inopiam, quemadmodū Christus ait Lucæ 10. Et S. Paulus 1. Cor. 9. Idem hoc in loco, Auditores, inquit, suis doctoribus atq; præceptoribus communicent in omnibus bonis. Sed quā

tis ea permutatio? certè χρύσεα χαλκείων, hoc est, aurea pro æreis, quum pro frusto panis, pro una ceruisiæ mensura, pro uno deniq; denariolo datur thesaurus cœlestis, Dei uerbum, & æterna uita.

Ea ne contingit in bonis omnibus communicatio?

Istas scripturæ sententias euertit omnino Satanas, hodieq; cordibus hominum exemit. Nam olim ad personatum illum Dei cultum, plena manu largissimè dabatur. ~~Sed hodie ubi Dei Verbum prædicatur, mira est hominum tenacitas. Etenim nihil numeratur, aut parcissimè datur.~~ Imò reperiuntur, qui non modò nihil adferant, sed etiam quod antea fuit in usum diuinum collatum, auferant, atq; sacrilegi rapiant, unde Ecclesia, eiusq; ministri debent sustentari.

Sed ad ea quid ait Deus?

Ne erretis (inquit S. Paulus) Deus non irridetur. Quicquid enim seminauerit homo, hoc & metet. Nam qui seminat per carnem suam, de carne metet corruptionem: sed qui seminat per spiritum, de spiritu metet uitam æternam. Quasi dicat, Ne cogitetis impunitum à Deo relinqui: non enim fallitur, nec deridetur Deus. Quòd si fueris ingratus, nec gratiam retuleris, neq; uerbi ministris, pro summo in te collato beneficio, bona rependeris, non prosperam ætatem exacturus eris ipse. Nam super carnem seminasti, & per ingratitudinem tuam prodi-

disti cordis infidelitatem, metes igitur de carne corruptionem. Contrà si per spiritum seminaueris, & non modò Verbi ministris, sed omnibus etiam pauperibus, & cunctis in uniuersum hominibus benefeceris, metes proculdubiò de spiritu uitam aeternam. Ad quam nos omnes perducat Deus *omnipotens, Amen.*

DOMINICA XVI. POST
Trinitatis, Epist. Ephes. III.

FRatres, Peto ne deficiatis ob afflictiones meas, quas pro uobis tolero, quae est gloria uestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis à communi patre cognitio in coelis & in terra nominatur, ut det uobis iuxta diuitias gloriae suae, ut fortitudine corroboremini per spiritum suum in internum hominem, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus uestris, fixis in charitate radicibus, & fundamento iacto, ut ualeatis assequi cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas, cognoscereq; praeeminentem cognitionis dilectionem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei uerò qui potest cumulatè facere ultra

omnia, quæ petimus, aut cogitamus, iuxta uim agentem in nobis, sit gloria in Ecclesia per Christum Iesum, in omnes ætates seculi seculorum, Amen.

Quid S. Paulus in hac docet Epistola?

Postquam S. Paulus in primis duobus ad Ephesios capitulis Euangelij ministerium merita laude prædicauit, atq; uerbis grauissimis euexit, ostendendo quanta commoditas, quanta potentia, quanta demiq; sapientia atque thesaurus bonitatis profluat ab illo: iam indicat, quàm solicitus ipse, & quàm anxius optet, atq; precetur, ut susceptam Euangelij doctrinam conseruent, nec ab ea patiamur sese deterreri. Ad quod persuadendum utitur ratione duplici. Principio consolatur & admonet. Deinde precatur, & optat.

Cur Ephesios consolatur simul ac admonet?

Actorum Apostolorum liber satis indicat, quantos labores docendo atq; prædicando Sanctus Paulus exhauserit apud Ephesios. Item quas tribulationes atq; calamitates propter Dei Verbum tulerit, afflictus à Iudæis atq; gentibus, cumprimis autem ab Argentario fabro Demetrio. Meminit etiam 1. Corinth. 15. quòd Ephesi depugnauerit cum bestijs, quibus, ut deuoraretur, obiectus fuit. Cùm autem ab Ephesijs Hierosolymam proficisceretur, captiuus

Romam

Romam pertractus, hac Epistola uoluit Ephesios admonere laboris atque concionum habitarum, et adhuc semel in memoriam reuocare omnia, quæ præsens docuisset. Adhortatur igitur, ut in Euangelica doctrina perseuerare uelint, non offendi propter tribulationes, atque captiuitatem suam, ueluti rem ignominiosam, iuxta pseudapostolorũ calumnias.

Quænam uerba consolationis sunt, & admonitionis?

Quapropter, inquit S. Paulus, postulo, ne deficiatis ob afflictiones meas, quas pro uobis tolero, quæ est gloria uestra. Quasi dicat, Firmiter eam, quam à me percepistis, doctrinam, conseruate, non offensi per Apostolos falsos, qui calumniatores dicunt: Paulus iste uobis prædicauit, & uerba sesquipedalia proferens, asseruit ab ipso Christo sese missum, longè plura, quàm omnes alij, præstitisse, & uos eum gloriosè collaudastis, plurimiq; fecistis, in summo habitum precio. Sed iam ubi præstigiator is est? Quid uos modò poterit adiuuare? Maleficus Romam captiuus est abductus, non modò damnatus à Iudæis, sed etiam à Cæsare Nerone, cuius in manus tandem incidit, sese dignum Melampygum. Nónne hoc ipsum iam diu futurum prædiximus? Ea præmia seductorum esse solent. Quòd si Pauli istius doctrina uera fuisset, non in tantam modò calamitatem à Deo fuisset præcipitatus. Ad

quæ S. Paulus respondet, ac monet Ephesios, ne eiusmodi calumniosis aduersariorum dictis perturbentur, aut à ueritate deterreantur. Quamuis, inquit, affligamur, atq; uarias tribulationes patiamur, tamen uos nolite deficere, credentes, Verbum esse Dei sanctumq; Euangelion, quod uobis prædicaui.

Est ne adhuc hodie ea admonitio necessaria?

Maximè. Nam apud homines huius seculi sunt ignominiosæ, probrisq; refertæ Christianorum passiones, atq; tribulationes, & infirmas conscientias offendunt. Sic enim uulgus putat, Deum ijs iniquũ esse, qui affliguntur, permittere igitur ut in uarias tribulationes conijciantur, ut interturbatores publicæ pacis, hominumq; seductores. Sed apud Christianos gloriosæ sunt passiones. Et pij gaudent & exultant, cùm uarijs tentationum, persecutionum, afflictionũ, morborumq; generibus obruti fuerint, non ignorantes, quod Sanctus Paulus ait, Romanorum 5. quòd afflictio patientiam pariat, patientia probationem, probatio autem spem. Porrò spes non pudefacit. Sed pro uobis, inquit, patior, non ut maleficus, sed ut seruus Iesu Christi: quæ est gloria uestra.

Sed quænam hæc gloria nostra, quòd in carcerem coniectus, Paule, magis est dedecus atque opprobrium?

Verum est, Nam apud mundum Christianis miseris nulla maior ignominia, dolorq; grauior contingere poterit, quàm si uiderint animarum curatores, à quibus sanam doctrinam, atque consolationem acceperint, turpiter enecari. Atqui reuera apud Deum Christianorum tribulatio maxima est gloria, quam alacriter poteris ubiq; iactare, & aduersariorum argumenta conuertere, dicens: Propter istas afflictiones nouimus Pauli doctrinam esse Dei uerbum. Sic enim accidere solet, ut Dei uerbum, eiusq; cultores à Satana affligantur, uariasq; pati cogantur persecutiones.

Quænam uerba sunt precationis & optationis?

Huius, inquit S. Paulus, gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis parentela in cœlis & in terra nominatur. Primum indicauit Sanctus Paulus, quænam suo nomine apud Ephesios facere debeant, Iam ostendit ulterius, quænam ipse faciat illorum causa, nempe pro illis Dominum oret. Non solùm autem concionatoris officium est, Dei uerbum synceriter prædicare, sed etiam fideliter orare pro auditoribus, ut non modò Verbum diligenter audiant, atque suscipiant, sed etiam custodiant, ac in eo perseuerent. Vnde propter solam orationem ipse Christus in desertum sæpius concessit, ut legimus Marci 1. & Ioan. 6.

Quotnam res in hac oratione Pauli obseruabimus?

Præcipuè tres. Principiò, quomodo S. Paulus sese gerat in orando. Deinde, ad quem dirigat orationem suam. Tertiò, quid precetur.

Quomodo sese gessit in orando?

Flexit genua, & proculdubio manus suas ad Deum sustulit, serioq; orauit, non solùm ore, sed etiam toto corde precatus. Sic Rex Solomon orauit, & flexis genibus expandit manus suas in cælum, 3. Regum 8. Sic item in horto Christus orauit, in faciem procidens, atque genua. Sic S. Paulus admonet 1. Timot. 2. Volo orare uiros, in omnibus sustollentes puras manus, absque ira & disceptatione.

Ad quem orationem suam S. Paulus dirigit?

Ad Patrem Domini nostri Iesu Christi. In mundo nullum est gratius, nec magis amicum, neq; dulcius nomen, quàm Patris. Ergo Christus ipse nos orare docuit, inquiens: Pater noster, qui es in cælis. Hoc patris suaue nomen erigit corda nostra ad Deum, & in certam spem adducit, ut de illo nobis omnia bona polliceamur, firmiterq; credamus, illum nobis, ut dilectis suis filijs, auxiliaturum: & licet nõ mereamur, tamen clementißimum patrem nos omni beneficio prosecuturum.

Quidnam orat S. Paulus?

Orat

Orat ut misericors Deus dignetur Ephesijs elargiri benigniter hæc tria.

Quodnam primum?

Precatur, ut Deus iuxta diuitias gloriæ suæ, donet Ephesijs, ut fortitudine corroborentur, per spiritum sanctum, qui confortet eos in omni cruce, tribulatione, atq; paßione. Quemadmodum etiam Dauid orat, Psalmo 50. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Et hæc valde necessaria est oratio. Nam si Deus à nobis eripuerit suum spiritum, manumq; retraxerit auxiliatrices, actum erit de nobis, Vt uidemus ex 2. Reg. 7. & 3. Reg. 8. 9. Item Hieremiæ 7. 10. 14. & 23. Sin autem umbra alarum eius protecti fuerimus, atque ipse nos conseruauerit, spirituq; suo cōfirmauerit, tum satis fortes sumus futuri contra Satanam, atq; totum mundum, Rom. 8.

Quidnam orat secundò?

Deum precatur, ut Ephesijs fidele cor donet, in quo spiritus sanctus inhabitet, cum patre, Quemadmodum Christus, Ioannis decimoquarto, promisit. Quid autem in hoc mundo gloriosius atque felicius poterit nobis Christianis euenire, quàm quòd in terris templa Dei simus, futuri & habitacula simul atq; paradisus, imò regnum, atq; cœlum Dei Patris, & Filij, & spiritus sancti, futurorum conuictorum nostrorum quotidianorum. Qui hospites benefici, non ueniunt muneribus uacui, nec ingra-

ti recedunt. Nam quemadmodum uenientes secum afferunt plenos diuinorum bonorum atque gratiæ thesauros, ita recedentes post se relinquũt omnem benedictionem atq; felicitatem.

Quidnam tertiò?

Orat, ut Deus donet charitatem non fictam, per quam radicitus inserantur Ecclesiæ Christi, cùm ipse nullum certius Christianismi signum reliquerit, quàm proximi dilectionem non simulatam. Ioan. 13. In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, Si charitatem habueritis inter uos mutuam.

Debentne concionatores omnes secundum hoc S. Pauli exemplum orare?

Ante omnia precari debent Verbi ministri, ut Deus dignetur auditoribus hæc tria concedere. Principiò Spiritus sancti fortitudinem, Deinde cor fidele, Tertiò charitatem non simulatam, cùm eadem in terris maximo ubique tribulationum fluctu impetantur.

Quid est, quòd ait: Vt assequi ualeatis cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas, &c.

Hisce uerbis precatur, & optat Ephesijs, ut Deus eam gratiam donare uelit, ut certò credant, nihilq; dubitent, quin Dei consilium, & auxilium, consola-

consolatio, bonitas, gratia, atq; misericordia diffundātur et extendamur ubiq; super omnes creaturas, imò super omnem longitudinem, latitudi..ē, profunditatem, atq; sublimitatem à cœlo usq; ad abyssum, Ab oriente ad occidentem, & à meridie septemrionē uersus, ita ut prorsus nihil in cœlo, nihil in, aut sub terris sit tam longum, latum, profundum, aut sublime, quò non potentia Christi sit extensa, nec ullus locus, ubi non consolari poßit, & auxiliari. Et hæc præclara consolatio Christianorum, qua nouerunt sibi non metuendum esse Satanam, mundum, mortem, peccata, uel infernum, siue fuerint in aquis, igni, siue aëre, terrisq;: Deus enim est ubiq;. Nec ullus est in cœlis, uel in, aut sub terris locus, ubi Deus non sit. Quemadmodum Dauid ait, Psal. 138. Quò ibo à spiritu tuo: & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. S. Paulus igitur admonet, ut huic maximo, omnipotēti, fortißimo, et æterno Deo confidamus, omnemq; spem reponamus in hunc unum, qui multò plura potest, quàm nos orare, uel intelligere poßimus. Adhortatur item ut huic summo Deo, pro suis immensis beneficijs, & ineffabili bonitate, gratias agamus, benedicamus, laudemus, atq; glorificemus, ore similiter ac intimo corde semper orantes, ut misericors pater nobis adesse uelit, atq; nos, omnesq; Christianos in rebus cunctis necessarijs confirmare,

re, nempe in fide ac charitate. Deinde patientiam in cruce atq; tribulationibus donare, suamq; semper in hoc seculo gratiam, & post hanc uitam, gloriæ sempiternæ gaudium, Amen.

DOMINICA XVII. POST *Trinitatis*. Epistol. Ephe. IIII.

FRatres, Hortor uos ego uinctus in Domino, ut ambuletis ita ut dignũ est uocatione, qua uocati estis, cũ omni submissione ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes uos inuicem per charitatem, studentes seruare unitatem spiritus per uinculum pacis. Vnum corpus & unus spiritus, quemadmodum & uocati estis in una spe uocationis uestræ. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & pater omniũ, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus uobis.

Quid Sanctus Paulus in hac tradit Epistola.

Capitibus præcedentibus ostendit, quid sit Euangelium, quod ante secula Deus prædestinauit, & Christus reuelauit, iactoq; sic per fidem Christianismi fundamento, iam superædificat in sequentibus capitibus, atq; superstruit uera Christianæ pietatis opera, præclaram ad eos, qui fu-

runt

runt apud Ephesum, Christianos, paraeneticam orationem habendo.

Cur eam habuit orationem?

Vt Ephesios admoneret suae captiuitatis, atq; tribulationum, quas Euangelij nomine ad illorum gloriam pertulit, ut & ipsi doctrinam Euangelicam honore afficerent honesta uita, bonisq; conuersationibus. Qua uel una re cognoscimus, quantam solicitudinem curamq; S. Paulus gesserit pro tota Ecclesia, ut etiam propriae calamitatis oblitus, omnes suas cogitationes, et neruos eò tetenderit, ut paßim Ecclesia spiritus sancti fortitudinē, atq; consolationem consequeretur.

Quaenam admonitoriae sunt orationis uerba?

Sic ait: Ego uinctus in Domino uos adhortor, ut ambuletis ita, ut dignum est uocatione, qua uocati estis, cum omni submißione, & mansuetudine. Communem hic S. Paulus Christianorum uocationem tangit, atq; ponit partes quinq;. Primò, quisnam uocauerit nos Christianos. Secundò, ad quid. Tertiò, per quid. Quartò, quomodo debeamus in eiusmodi uocatione ambulare, atq; uiuere. Quintò, cur in eadem uocatione sic ambulare conueniat.

Quis igitur nos uocauit?

Omnipotens atq; misericors Deus, qui nomen à bonitate habet, Mera enim in eo bona sunt, mera

gratia atq; misericordia, & tam exuberantes omnium bonorum diuitiæ, ut ubertim sese transfundant in omnes creaturas, quæ sunt in cœlo & in terra.

Ad quidnam Deus uocauit nos?

Ad suum regnum, & æternam uitam, ut nos Dei filij, fratres Christi, & cohæredes fiamus, & ex gratia cœlorum possessores. Quapropter & in hoc seculo nos sic uitam nostram instituere debemus, & exigere ætatem, ut per eam Dei nomen, atq; uerbum sanctificetur atq; glorificetur, quemadmodum Christus ait, Matthei 5. Est autem in hoc homo conditus, ut Dei gerat imaginem, & ad id, ut per eum uelit atq; debeat agnosci. Summo igitur Christianus studio curare deberet, ne Dei nomen prophanetur, afficiaturq; dedecore.

Per quid autem nos Deus uocauit?

Per uarias rationes atq; uias, externas simul ac internas.

Quomodo nos uocat per externa media?

Principiò per corporales creaturas. Nã quicquid in cœlo uel in terra Deus creauit, id omne cõdidit, ut ad se nos ea ratione uocaret, & ad inuisibilem rerum omnium conditoris perueniremus cognitionem, per creaturas eiusmodi uisibiles.

Deinde nos Deus uocat per uarias tentatio-

nes

nes, tribulationes, persecutiones, calamitates, angustias, miserias, paupertatem, infortunia, supplicia, lues & pœnas, quæ nobis cœlitus immittuntur, ut sunt: pestilentiæ, caritas annonæ, seditiones, bella, atq; consimilia. Quibus Deus agit & impellit nos, ut per eam occasionem atq; necessitatem ad ipsius auxilium atq; præsidium confugiamus, atq; prouocemus illum ad nos adiuuandum.

Quomodo nos Deus per interna media uocat?

Per salutares admonitiones, atq; cautiones, imò per sanctas cogitationes et inspirationes, quas nobis Deus infundit, uel per bonum spiritum, uel per nostram ipsorum conscientiam, uel auditionem Verbi diuini. Et profectò si uocationis huius internæ admonitiones amplecteremur, atq; sequeremur, non externis illis suprà dictis excitaret, aut impeteret nos Deus. Cæterùm quia nolumus benigniter duci, trahimur nolentes, iuxta illud: Compelle intrare. Tot enim obruimur miserijs atq; tribulationibus, ut ad ultimum, uelimus nolimus, sequi cogamur, & ad Dei præsidium confugere, nulla etiam nobis habita gratia.

Quomodo in uocatione nostra ambulabimus?

Vt dignum est uocatione, qua uocati sumus, cum omni humilitate, & submißione, atq; mansuetudine, cum animi lenitate, & unitate spiritus.

Quid

Quid est humilitas?

Est uirtutum mater, qua nemo sese praefert alijs, nec quenquam habet despectui, quasi melior, atq; praestantior reliquis, sed ut S. Paulus ait, Roma. 12. Alius alium honore praeueniat, atq; praecedat, quemadmodum & Christus docet, Matth. 20. &c. Et propter huius uirtutis transgreßionem Angelus de coelo fuit deturbatus.

Quid mansuetudo?

Qua pius homo non facile mouetur, nec ad iracundiam prouocatur, ad uim inferendam alijs, uerbo uel opere, sed admititur ut omnia familiariter, & amicè transigantur, nutibus, gestibus, uerbis, & operibus.

Quid patientia?

Qua toleramus aequanimiter omnia, soliq; Deo uindictam relinquimus.

Quid charitas?

Qua libenter alios sufferimus, & eorum infirmitatem boni consulimus. Quod saepißimè Christus fecit. Qui non repulit discipulos propter eorū fragilitatem, aut petitiones stultas.

Quid unitas est spiritus?

Qua concorditer in uera doctrina, recta fide, puraq; charitate uiuimus, & unanimiter sentimus, sic ut fides syncera, incorrupta, sanaq; permaneat, non coloretur fuco, neq; diuidatur, ut ex Deo pars media pendeat, altera salutem quaerat apud

crea-

creaturas. Sed ubiq; sit unitas spiritus: Et charitas uera, non hypocritica, ne prodeat è corde falso, sed procedat ex animo pacifico, & amico, cùm erga fautores, tum osores ac hostes.

Cur ambulare debemus in humilitate, mansuetudine, lenitate, patientia, & spiritus unitate?

Rationem S. Paulus reddit, inquiens: Vnum corpus, & unus Spiritus, quemadmodum & uocati estis in una spe uocationis uestræ. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus uobis.

Quænam est horum uerborum sententia?

Quoniam, inquit, Christiani omnes membra sumus corporis unius, participes omnium cœlestium donorum, atq; bonorum spiritualium, ac omnes simul eundem habemus thesaurum, nempe Deum, atque patrem unum in cœlis, Vnum Dominum atque saluatorem, Idem Verbum, Baptisma, atq; Fidem, Et in summa, felicitatem eandem. Nos igitur tanquam fratres atq; sorores sub eodem patre, ac domino nostro, concorditer uiuere debemus, ac alijs alij communicare, libenterq; impertiri, quicquid gratiæ uel beneficij acceperis à Deo. Nam hoc Dei præceptum est, ut nos inuicem diligamus, mutuis obsequijs adiuuemus, inopiam proximi subleuemus,

atq; pauperibus in omni necessitate subueniamus unanimiter.

Estne unitas ista spiritus necessaria?

Maximè. Nam per eandem in Ecclesia ueri cognoscuntur Christiani. Etenim ubicunq; fides eadem fuerit, eadē doctrina, idem baptisma, eademq; Dei patris atq; Christi cognitio, ibi uera atq; catholica Ecclesia creditur esse, nullo respectu habito rerum externarum, atq; uitæ corporalis. Porrò ueram Ecclesiam non dirimunt, neq; rescindūt aliquæ diuersitates rituum, ordinum, atq; ceremoniarum. Verum enimuerò qui non habuerint unitatem Spiritus, hoc est, eandem Euangelij doctrinam, & in Christo fidem, sed discordiam excitant, offendiculumq; præbent per hominum traditiones, & opera, meritaq; propria, ij non sunt membra Ecclesiæ catholicæ, sed eiusdem prophanatores, atq; deuastatores, ultorem suum habituri. Cæterùm eos, qui saluari uolunt, oportebit Ecclesiæ Dei penitus insitos esse, quum extra eam nulla sit salus. Ergo Deus omnipotens elargiatur, ut in eadem Ecclesia catholica poßimus concordes, eademq; præditi recta fide reperiri, Amen.

DOMINICA XVIII. POST
Trinitatis, Epist. I. Corinth. I.

Fratres

FRatres, Gratias ago Deo meo semper pro uobis de gratia Dei, quæ data est uobis per Christum Iesum, quòd in omnibus ditati estis per Iesum, in omni sermone, & omni cognitione, quibus rebus testimonium Iesu Christi confirmatum fuit in uobis, adeò ut non destituamini in ullo dono, expectantes reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & cõfirmabit uos usq; ad finem, inculpatos in die Domini nostri Iesu Christi.

Quid in hac Epistola docetur?

Postquam S. Paulus Euangelium Corinthijs prædicauit, aliò profectus est. Quo facto uariæ peruersitatis sectæ cooriebantur, magnaq; fiebat rerum confusio, cùm in doctrina, tum instituto uitæ. Propter quæ flagitia S. Paulus adnitebatur acriter castigare Corinthios, atq; duriter eos tractare, sed tamen boni concionatoris officio functus, utitur exordio mansueto, atq; uerbis amicis, ob oculos ponens abinitio, quæ & quanta bona consecuti fuerint per Euangelium, ut sic admoneret eos gratitudinis erga Deum, adhortareturq; ad ea, unde gloria Dei sit profluxura, nempe ad sanam doctrinam atq; uitam concorditer agendam, ad sectarum item scandalorumq; deuitationem.

Quomodo hanc Epistolam exorditur?

Sic ait : Gratias ago Deo meo semper pro uobis, de gratia Dei, quæ data est uobis per Christum Iesum, quòd in omnibus ditati estis per ipsum, in omni sermone, & omni cognitione, &c.

Quidnam per ea uerba S. Paulus intelligit?

Hoc sentit: Cogitate fratres, atque perpendite, quàm magnam gratiam, atq; munera Deus in nos contulerit, non legis nomine, nec causa uestræ iustitiæ, meritorum aut operum, ut ullam habere poßitis occasionem gloriandi, aut sectas introducendi, sed omnia uobis contigerunt Christi beneficio, per Euangelij prædicationem. Ditati estis in omnibus per ipsum, adeò ut in nullo destituamini dono, nec aliud restet, quàm expectare salutarem illum diem, quo Christus cum omnibus donis cœlestibus, quæ iam per fidem habetis, appariturus erit.

Hæc profectò mollis est, atq; suauis admonitio?

Nimirum. Sed ea uerborum dulcedine Corinthios allicere contendit, ac eò deducere, ut Euangelium æstiment omnium preciosißimum atq; charißimum thesaurum, idq; facit suo ipsius exemplo. Nam suis uerbis illorum nomine gratias agens Deo, prouocat eos consimilem ad gratiarum actionem, atque dandam gloriam Deo. Ad reuocandum item in memoriam, quidnam ipsi præterito tempore fuerint, hoc est, ante prædicatum Euangelion,

&

& quæ per huius sacrosanctæ doctrinæ beneficia consecuti. Exhortatur itaque Sanctus Paulus, ne priorum, quibus affecti fuerant, malorum obliti, neque præsentis immemores gratiæ, relabantur in pristinam cæcitatem, quod per uarias sectas facere cœperunt. Euangelium pertæsi, gratiæq; contemptores, aliud quærere, & eligere uisi. Concionatores autem omnes hoc S. Pauli exemplum imitari debent, ac uitia, criminaq; non ex odio, uel ira castigare, sed animo ueluti paterno coarguere, ut syncera cordis mansuetudo possit deprehendi, in ijs præcipuè, qui bonæ uoluntatis sunt. Nam sic magna profluet inde commoditas.

Quænam requiruntur ad Verbi ministrum?

Hæc tria. Primum, Dei uerbo populum fideliter atque diligenter instituere. Secundum, Pro suis auditoribus suppliciter orare, quò Deus spiritum suum sanctum ijs donet, ut Euangelij doctrinam assequi possint, & conseruare, totamq; uitam iuxta normam illius prudenter instituere. Tertium, Gratias agere Deo, cuius misericordia populus ad agnitionem Christi peruenerit. Quod ipsum diligenter admodum & ipse Christus fecit, Matt. 5. & 11. Et Ioan. 17.

Quænam in auditoribus requirenda?

Eadem tria. Principiò docet auditores diligen-

ter in Dei uerbum intendere, ac secundum eius præcepta totam ætatem exigere. Deinde pro Verbi ministris orare Deum, ut in officijs suis ipsos concionatores conseruare dignetur, atq; confortare. Postremò, Gratias agere Deo, pro omnibus suis beneficijs, quæ per Euangelium acquisiuerunt: Quæ tria iam dicta, in Ecclesia primitiuæ Christiani habuerunt in usu maximo.

Eadem ne iam habentur in usu?

Hodie, bone Deus, exoleuerunt. Nam seculo nostro complures Parochi, atq; Concionatores inueniuntur, qui suis auditoribus non Dei uerbum, sed humanas traditiones prædicant: nec orant, ut Dei spiritu illustrentur, ad Euangelium suscipiendum: nec gratias agunt Deo, quòd populus desideret Christum agnoscere, & percipere ueritatem diuinam: sed magis optant, ut in pristino erroris statu, atq; hominum figmentis perseuerent.

Sic futura numerosa auditorum turba?

Maximus est eorum numerus, qui Dei uerbum repudiant, et multò libentius mendacia, atq; fabulas audiunt. Qui nunquam orant, ut Deus in messem extrudat, atque confortet Euangelij ministros, sed potius ut conseruet humanarum traditionum prædicatores, scrutorum ebuccinatores, cæcosq; cæcorũ duces. Nec gratias agunt pro exorto Euangelij lumine, sed potius exoptãt, ut exploso uero Deo, Sa

tana

tanas cũ infernalibus suis dogmatibus in terris semper regnet. Sic hodie mundus insolescit, ac insanit.

Sed ista est execrabilis abominatio.

Nimirum. Sed ulterius audi, quomodo se res habeat. Extincta fides est, charitas refrixit, Dei uerbum oppressum. Indubitatam quidem erga Deum fidem habere, charitatemq; erga proximum exercere deberemus, sed nos hoc ipsum inuertimus, contrarioq; facimus modo. Nam operibus nostris, quorum non indiget, Deo satisfacere connitimur. Et fidem humanis, ad quas non pertinet, inuentionibus attribuimus. Nam traditiones hominum multò pluris æstimamus, quàm Dei uerbum, Quandoquidem autem Deus tam peruersa uidet in nobis instituta, permittit ut omnia deterrimo succedant ordine, & euentu. Mutua inter nos charitas ardere deberet, sed merum odium & ira prædominantur. Quilibet seipsum diligit, & prosequitur cum amore, à quo se sperat commoditatem assecuturum. Frequenter illud non in ore solùm est, sed in corde fixum: Tibi proximus esto. Item: Genu sura propius. Decora teipsum. Charitas incipit à seipsa. Vnde fit, ut proximi dilectio, charitasq; fraterna nulla sit, rarissimaq; Christi atque eius uerbi cognitio. Multò libentius Ethnicorum scripta, ut Aristotelis, & aliorum hominum figmenta legimus, quàm Euangelion. Alacrius Sophistarum Codices aut decreta reuoluimus, quàm diuinam scri-

pluram. Quorum lectores, interpretes, atq; prædicatores, meri sunt Ethnici redditi, multò minus de Euangelio, de fide, charitate, spe atq; sacramentis intelligentes, quàm statuæ.

Quænam est huius rei culpa?

Ingratitudo nostra. Quæ una facit, ut loco s. dei, prædicentur humana opera, Charitatis locum occupent dißidia, Et ubi spiritus unitas esse debebat, ibi magnus imminet sectarum & hæreticorum numerus. Vbi deniq; pax atq; uita trãquilla esse, ibi discordia, metus & horror ingruunt: ut nunc omni no sit tempus Deo gratias agendi, quòd tam periculoso tempore, suos tam clementer in Euangelio conseruet.

Cur S. Paulus Corinthiorum nomine gratias agit Deo?

Quòd eos ditauerat non corporalibus, sed spiritualibus bonis. Acceperant enim Euangelij salutarem doctrinam. In Iesum Christum crediderãt, Remißionem peccatorum, Veram fidem, & uaria sancti spiritus dona consecuti fuerant, ut alia re nulla uisi opus habere, quàm aduentu Domini, ab omnibus eos malis liberaturi.

Sed hasce diuitias cœlestes non curat mundus.

Id nimis est uerum apud homines huius seculi. Qui cùm arcas preciosis uestibus, granaria frumentis, loculos pecunijs, Apothecas uino plenas habuerint,

fuerint, nihil cœlestia, & immortalia dona curare solent. Sed apud eos, qui ueritatem agnouerunt, semelq; cœlestia bona gustauere, longè alia est ratio: Quorum corda non saturantur bonis fluxis & momentaneis, sed cœlesti & æterno gratiæ thesauro, quem per Verbum suum nobis communicat Christus, quem non ærugo nec tinea corrumpit, nec fures perfodiunt, neq; furantur.

Quid S. Paulus de Corinthiorum diuitijs atq; donis multùm gloriari potest, cùm inter eos schismata fuerint, atq; sectæ?

Nulla tam pura fuit Ecclesia, ut simul in ea non fuerint falsi atq; impij Christiani. Quemadmodum enim zizania bonis segetibus semper immiscentur, atque piperi murium excrementa: sic semper inter bonos mali sunt, imò longè maior impiorum ubique quàm meliorum prouentus. Qui iam uana persuasione protractus Ecclesiam iudicare uoluerit iuxta externam bonorum aut malorum æstimationem, is plurimùm aberrauerit à scopo, nec unquam inueneri Ecclesiam. Porrò quòd nunnulli sunt adhuc imperfecti, alij infirmi, alij increduli, hoc solùm ipsis, qui talibus uitijs obnoxij sunt, nocet, atq; damnum infert, non Ecclesiæ.

Quomodo S. Paulus hanc Epistolam concludit?

Sic ait: Fidelis Deus, per quem uocati estis in

consortium filij ipsius, Iesu Christi, Domini nostri, &c. Cùm paulò antè dixisset: Expectantes reuelationem Domini nostri Iesu Christi, &c. potuissem inferre, atq; dicere: Quis reuelationem Domini poterit corde læto expectare? Ad quod S. Paulus respondet, inquiens: Christus confirmabit uos usque ad finem, inculpatos in die Domini nostri Iesu Christi. Quasi dicat, Quòd si fortiter perseuerauceritis in fide recta, in Charitate, atq; Christi cognitione, nauigabitis in portu, remq; factam habebitis. Etenim quod Deus uobis promisit, certò præstabit. Promisit autem atque dixit, Ioan. 3. Qui credit in filium, habet uitam æternam, &c. Ad quod demuò potuissem obijcere, atq; dicere: Verum id quidem est, Deus promisit; sed fortasse non nobis: quis nos promissionis certos reddet? Cui obiectioni S. Paulus respondet, inquiens: Deus est fidelis, per quem uocati estis, &c. Quasi dicat, Quod in uobis incepit Deus, id perficiet, & confirmabit uos usque ad finem, dummodò uos ipsi non recideritis ab illo. Dei enim Verbum non, ut hominis, est mutabile, sed in æternum manet. Ipsi laus, honor, & gloria per sempiterna secula, Amen.

DOMINICA XIX. POST Trinitatis, Epistola, Ephes. IIII.

FRatres, Deponite iuxta priorem conuersationem, ueterem hominem, qui corrum-

corrumpitur iuxta concupiſcenitas erroris. Renouamini uerò ſpiritu mentis ueſtræ, & induite nouum hominem, qui juxta Deum conditus eſt, per iuſtitiam & ſanctitatem ueritatis. Quapropter depoſito mendacio, loquamini ueritatem quiſq; proximo ſuo, quoniā ſumus inuicem membra. Iraſcimini, & non peccetis: ſol ne occidat ſuper iram ueſtram, neq; detis locum calumniatori. Qui furabatur, non amplius furetur: magis autem laboret operando manibus, quod bonum eſt, ut poſsit impartiri ei, qui opus habuerit.

Quid S. Paulus in hac docet Epiſtola?

Fidei ueros fructus tradit, hoc eſt, uera Chriſtiani hominis opera, utpote de carnis mortificatione, & de hominis renouatione. Et admodum familiare S. Paulo fuit de ueteri atq; nouo homine dicere, non ignorans, id ualde neceſſarium Chriſtianis ſcitu. Hinc enim diſcum ex ſcripturis multa intelligere neceſſaria cognitu, nempe, Quid peccatum orignale, Quid hæreditaria iuſtitia, Quid caro, Quid Spiritus, Quid deniq; peccatū, gratia, mors, atq; uita.

Quid ait de homine ueteri?

Deponite, inquit, iuxta priorem conuerſationem,

nem, ueterē hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris.

Quid est uetus homo?

Est totus homo carnalis, casu Adæ perditus, peccatis oppletus, in peccatis conceptus atq; natus, malis affectibus, prauisq; concupiscentijs refertus, quæ postmodum erumpunt in cogitationes iniquas, uerba & opera interna & externa: Sunt autem interna: incredulitas, idololatria, blasphemia, Verbi cōtemptus, desperatio, & consimilia. Externa sunt: superbia, auaritia, luxuria, ira, odium, inuidia, prædatio, homicidium, ebrietas, inobedientia, &c. Hi sunt ueteris hominis fructus.

Quid ait de nouo homine?

Renouamini, inquit, spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est, per iustitiam, & sanctitatem ueritatis.

Quid est homo nouus?

Est totus homo, qui per aquam & spiritū sanctum in fide, Verbo Dei, iustitia, sanctitate, atque ueritate regeneratus est, omnibus donis cœlestibus, gratia, bonisq; diuinis repletus, quæ ubertim etiam exundant, profluentia in omnes sanctas atq; salutares cogitationes, uerba & opera, interna & externa: Interna sunt, Deo fidere, eumq; laudare, atq; glorificare. Externa: auxiliari, & consolari proximum. Hi fructus noui sunt hominis.

Cur ait: Renouamini spiritu mentis uestræ?

Qui

Quibus uerbis ostendit, hominis renouationem esse opus sancti Spiritus. Non iubet Sanctus Paulus, ut, quemadmodum Anabaptistæ docent, uocationem nostram missam faciamus, aut singulare genus uitæ seligamus, ut ab hominibus in desertũ, aut in cœnobia, quemadmodum eremitæ uel monachi, secedentes: sed uult, ut renouemur spiritu. Quasi dicat, Oportebit nos nouam mentem, nouum animum, atque cor nouum assumere. Nam in nouitate mentis omnia sita sunt, ex quibus noua promanare debent opera, atq; noua uita.

Quomodo nouus homo compositus erit?

Quandoquidem uetus homo tribus principalibus criminibus est oppressus, utpote mendacio, ira, & furto, quæ traxit à Satana, qui mendaciorum, & homicidarum pater, atq; princeps furum animarum: uult igitur Sanctus Paulus, ut abijciamus ista crimina diabolica, nempe mendacium, iram, atq; furtum, & in eorum locum recipiamus & induamus, & exerceamus tres istas principales uirtutes, nempe ueritatem, mansuetudinẽ, atque libertatem, quæ à DEO proficiscuntur.

Quid est mendacium?

Mendacium est falsa mentis significatio. Et quicquid homo uerbis, operibus, signis, nutu, uel gestibus exprimit, nec idẽ sentit animo: cùm aliud ore dicit, aliud corde tegit, Aliud stans, aliud sedens

dens loquitur, ut uerbis opera minimè responde-ant. Imò mendacium est, quicquid homo prætextu atque titulo ueritatis dicit, aut facit, non gloriam Dei, nec utilitatem proximi, uel Ecclesiæ quærendo, sed priuatam cōmoditatem, laudem, gloriam, pacem atq; tranquillitatem. Item, mendacium est omnis falsa doctrina, hypocrisis, adulatio, sectarum, hæreticorum scripta contra Euangelion, & prædicationes aduersus fidem. Quæ sunt omnia mendacia, quoniam repugnant uerbo Dei, nec cū ueritate concordant Euangelica. Expectabunt igitur illud, quod per Spiritū sanctū est scriptū, Psal. quinto: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Quid est ira?

Ira est accensio sanguinis circa cor. Et est duplex: Altera humana, uel naturalis: Altera peccans, noxia, uel diabolica.

Quænam est ira naturalis?

Est eorum, qui in magistratu nōnunquam excandescunt, propter peccata atq; crimina subditorum: ut quum irascuntur domini famulis delinquentibus, parentes filijs immorigeris. Item quum principes, & qui præsunt alijs, indignantur, atq; supplicijs afficiunt nocentes. Hæc ira laudabilis est, ac utilis. Atqui moderata, & breuis esse debet, ne super eam sol occidat, ne fiat inde odium, quod est inueterata ira.

Quænam est ira diabolica?

Est

Est cùm homo percitus ira, & maleuolentia furibundus, cogitat mala pro malis reddere, par pari referre, atq; proximum omnino perdere constituit. Malo igitur uictus ita loquitur: Disperéam nisi uindicauero, pœnasq; sumpsero. Item, Iniuriã non impunitam relicturus sum, etiamsi Dei faciem nunquam sim contemplaturus. Hæc abominabilis est ira, faciẽs ut homo Dei prorsum obliuiscatur, uelitq; Deus esse, & in proximum uindicare, cùm Deuteron. 32. dicat Dominus: Mihi ultio, ego rependam. Præterea execrabilis illa ira, homines penitus occæcat, ut ueritatem uidere non poßint, nec quod bonũ est agnoscere. Omnibus itẽ gratiæ donis exuit, atque uirtutibus priuat corporalibus atque spiritualibus, et ad extremum pertrahit ad cunctum infortunium, perniciem, ac interitum.

Quid est furari?

Est aliena bona per uim & iniuriam ad se trahere, atq; per omne fraudis, uersutiæ, & perfidiæ genus rapere, in proximi damnum, atq; calamitatem, quod accidit furta committendo, prædando, fœnerando, non iustam dando mensuram, adulterinas merces uendendo, promeritam supprimendo, aut negando mercedem, depositum retinendo. Et in summa, furtum est, quicquid homo sibi, quod non suum est, uendicat.

Sed, ut audio, furti nomen se latius extendit, ac ad plurimos pertinet.

Maximè.

Maximè. Nam diffusissima est furum tribus! Etenim si cunctos uniuersi mundi status diligenter excusseris, nihil aliud inuenies, quàm spaciosum septum, aut stabulum furibus atq; prædonibus oppletum. Sunt enim fures in domibus, in foro, in agris. Sunt fures corporum, animarum, atque Dei.

Quinam fures sunt domestici?

Fures sunt liberi, qui parentibus suis clanculum surripiunt aliquid, ut numulos, Item panes, carnes, edulia, &c. ut luxuriosè, aut furtim abligurriant. Prouerb. 28. Qui subtrahit aliquid à patre suo, & dicit non esse peccatum, particeps homicidæ est, & socius furum. Item furti rea familia est, quæ negligenter ac infideliter suis dominis atque matronis seruiunt, eorum bona per desidiam aut malitiam negligunt, disperdunt, aut temerè damnum inferunt, aut permittunt inferri ab ijs, quos prohibere potuissent, aut præuenire. Item mercenarij laborantes infideliter. Huc etiam referendi sunt fures in sellis, & prædones in pergulis, ut cerdones, & artifices manuarij, qui suas operas atq; merces sic expoliunt, ac uendibiles reddunt, ut non durabiles sint, sed splendido fuco pigmentata extrudere possint. Huius item farinæ sunt fœneratores, qui per unum aureum decem lucrantur, expilando proximum, & excoriando.

Quinam sunt fures forenses?

Negotiatores sunt ac institores, qui mensuris, pon-

Ponderibus, atq; stateris utuntur iniustis, & merces uitiant, ac adulterant, atq; pro bonis uendunt, falsis adiurationibus imponendo. Item fures sunt propolæ, qui merces multò pluris uendentes, expilant inopes, atq; marsupia miseræ plebis exenterant: qui ueri sunt hirudines, cutem non mittentes dum plenæ cruoris. Item, caupones, qui ceruisiam, aut uina corrumpunt, ueteribus noua commiscentes, fæcemq; pro bono potu uendentes? Aut iniquas mensuras præbent, debitumq; simplex dupliciter exigunt, gemina creta notatam. Sunt item pistores atq; lanij, qui miseræ plebi pro pecunia sua non satis rependunt, sed leuiora, quàm æquum sit, pondera faciũt, aut panes minores, quàm par sit, uendunt: aut uitiosas, pro bonis, carnes.

Quinam habentur fures campestres?

Sunt qui proximi segetes in agris, & fruges, aut gramina in pratis excîdunt, euellunt, defalcant, aut iumentis depascuntur, fructusq; furtim eripiunt. Qui sulcos aliquot arando finibus suis adijciunt, poma decerpunt in hortis, arbores decorticant, nouellas extirpant, aut perdunt: in uineis palmites resecant, aut aliquid è dumetis aut arbustis aliò transferunt: pecudes abducunt, & iumenta. Huc referendi sunt rustici, hortulani, & agricolæ, qui terram negligenter ac infideliter colunt, exercent, arant, seminant, atq; plantant. Item, qui, cùm

in urbes conuehunt merces, uendunt longè carius, quàm ualent, & sic iniquis rationibus inopes emũgunt argento: uenalia extrudunt impura frumenta, oua putrida, gallinas effœtas, aut à pullis nondũ plumantibus raptas: uitiosum butyrum, aquatũ lac, atque nodosa, mutiliaq; ligna.

Quinam corporum sunt, aut honorum fures?

Sunt impudentißimi cinædi, qui scortationibus & adulterijs indulgent, proximorum uxores stuprant, uirgines corrumpunt, liberos, & familiam seducunt ac alienant, ad peccata solicitant, & expugnant. Huc referendi sunt oblocutores, detractores, hypocritæ, delatores, & assentatores, qui proximi nomen bonum, famam & honores contaminant ac auferunt calumnijs, aut testimonijs falsis. Huc item referendi sunt iurisperiti, atq; forenses rabulæ, qui pecuniæ gratia bonas causas faciunt iniquas: & econtrario iustas malas: quiq; actiones, unde maior lucri spes affulserit, in longa tempore solent extrahere, sed eas, unde commoditas nulla prouentura, breuiter absoluere. Huc item referendi sunt debitores, qui multa commodant & accipiunt mutuò, sed nunquam cogitant reddere uel exoluere. Item inutiles mendici, qui bolum è faucibus uerorũ pauperum eripiunt, inopiæ prætextu, cuius farinæ sunt monachorum greges, & fratres Iacobitæ.

Quinam

Quinam fures animarum?

Sunt omnes falsi doctores, & mendaciorum somniorumq; prædicatores, qui simplicem populum seducunt, coniiciuntq; in summum animarum periculum, ac interitum. Cuius generis sunt *Anabaptistæ. Sacramentarij, & breuiter omnes, qui contra fidei articulos agunt, atq; docent.*

Quinam sunt fures Dei?

Qui sibiipsis omnem potestatem, honorem, artes, aut diuitias adscribunt, imò qui per iustitiam propriam, opera, atq; merita contendunt iustificari atq; saluari. Quo pacto præripiunt Deo *atque Christo suam gloriam. Huc remittendi sunt principes, & mundani gubernatores omnes, qui nouis exactionibus, & irritamentis auaritiæ miserum populum affligunt, nouis uectigalibus atq; ministerijs seruitijsq; aggrauant.* Item Ecclesiastici *proceres, qui nunquam inseruiunt* Ecclesiæ, *nec officio suo funguntur, & nihilominus tamen bona consumunt, atque turpiter dilapidant ecclesiastica. Item auari, qui suis à* Deo *acceptis facultatibus non adiuuant, nec reficiunt afflictos pupillos, orphanos, uiduas, sed inedia perire sinunt. Hi fures omnes* Dei *supplicia non sunt effugituri.*

Quænam tres sunt principales uirtutes, quas S. Paulus opponit tribus prædictis capitalibus flagitijs?

Sic ait: Deposito *mendacio loquamini ueritatem quisque proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Irascimini, & non peccetis: Sol ne occidat super iram uestram, neq; detis locum calumniatori. Qui furabatur, non furetur amplius: magis autem laboret operando manibus quod bonum est, ut possit impartiri ei, qui opus habuerit.*

Quid significant ea uerba?

Hoc dicit; Quemadmodum Euangelium recta, *uerax, atque* constans *est doctrina, ita qui susceperunt illud, atq; credunt, esse debent homines ueraces, atq; constantes, iuxta doctrinam* Christi, *dicentis* Matth. 5. *Erit sermo uester, est est, non non. Deinde, quoniam affectus humani, dum uiuimus, in nobis manent, prospicere debemus, ne uincamur ab illis, ad peccata praecipitati.* Hinc Psalm. 8. *Irascimini, & nolite peccare.* Postremò, *quoniam* Genesis 3. *Deus homini laborem imposuit, ut à furtis retraheret, meritò* Christiani *debemus* Dei *praecepto obtemperare, non aliena rapere, sed potius operando manibus laborare, ut de nostris facultatibus possimus suppeditare, & opitulari pauperibus, eoq; pacto fidem nostrā declarare per opera misericordiae, atq; testari nos ueros* Christianos *esse, qui de mammona iniquitatis amicos facimus, ut in aeterna recipiant nos tabernacula, Amen.*

DOMINICA XX. POST

Trinitatis, Epist. Ephes. V.

Fratres

FRatres, Videte quomodo circumſpectè ambuletis, non ut inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes occaſionem, quòd dies mali ſint. Propterea ne ſitis imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit uoluntas Domini. Et ne inebriemini uino, in quo luxus eſt, ſed impleamini ſpiritu, loquētes uobiſipſis per pſalmos & hymnos, & cantiones ſpirituales, canentes ac pſallentes in corde ueſtro Domino, gratias agentes ſemper de omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo & patri, ſubditi uiciſsim alius aliĳ cum timore Dei.

Quæ nobis in hac Epiſtola proponuntur?

Grauiſsimæ tres admonitiones ob oculos nobis ponuntur. Quarum prima nos exhortatur, ut circumſpectè ambulemus, & ſapienter conuerſemur in hoc periculoſiſsimo tempore. Altera, ut nō indulgeamus genio, nec pergræcemur, ſed ſobriè uiuamus, cùm ebrietas homines faciat impios, et efferos. Tertia, ut Deum glorificemus per Pſalmos & hymnos, & cantiones ſpirituales. Nam id acceptum eſt Domino.

Quibus uerbis expreſſa eſt admonitio prima?

Sic ait S. Paulus: Videte quomodo circumſpe-

ctè ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes, redimentes occasionem, quòd dies mali sint. Propterea ne sitis imprudentes, sed intelligentes, quae sit uoluntas Domini.

Cur S Paulus ea fuit usus admonitione?

Propter nimiam nostri fiduciam. Nam ita solet accidere, ut postquam audiuimus Euangelium, atq; nobis bellè uidemur habere fidem, incipiamus securè uiuere, perniciosa nostri fiducia suffulti. Qui nobis persuademus rem in uado esse, nullum metuendum amplius periculum, non cogitamus adhuc in nobis carnem & sanguinem esse, atque nos uiuere in mundo, cuius princeps Satanas. A curis itaque uacui degimus aetatem, quasi Satanas sit mortuus, non ut leo rugiens obambulet. Vnde fit, ut in media securitate miserabiliter obruamur à Satana, atque carne nostra, ut ab Euangelio non sentientes abstrahamur, nec aliud retineamus, quàm inanem de Euangelica doctrina multiloquentiam, qua nimis gloriamur, sed fidem praedicatam opere nullo Christiano uel exprimimus, uel ostendimus.

Quid significat, circumspectè ambulare?

Est nobis semper ob oculos ponere Dei uoluntatem, & opera nostra omnia, totamq; uitam instituere, iuxta praeceptum illius. Quod speculum si permiserimus ab oculis tolli, statim ingruet Satanas, atque

atq; damnum inferet. Nam ex Christiano faciet hominem oscitantem, & ueterno torpentem, atque sui fiducia tumentem hypocritam: ex hypocrita schismaticum, & hæreticum: ex hæretico publicum ueritatis hostem. Proinde S. Paulus indicat, rem iocularem non esse reputandam, sed accuratè prouidendum, atq; potius ambulandum circumspectè, qui nolunt à Satana seduci, uel in captiuitatem redigi, cùm ille sit non inimicus simplex, qui nos impedire uel seducere contendat, sed acerrimus hostis, qui funditus perdere connitatur, ut ne quidem, iuxta prouerbium, ignifer supersit.

Cur ait: Videte ne ambuletis ut insipientes?

Hisce uerbis Christianos exhortatur, ut semper in oculis ferant, & obseruent Dei uerbum, cùm in eo repositus sit totus hominis intellectus, & omnis sapientia. Cæterùm si reiecto Dei uerbo concionati fuerint in Ecclesia prædicatores inepti, nihil aliud docentes, quàm inuentionis propriæ dogmata, hominumq; traditiones, tum actum erit de Ecclesia, fient enim auditores similes concionatoribus, cæci cæcorum duces. Ad consimilem modum si quilibet seorsim Christianus eloquiorum diuinorum oblitus fuerit, atque curis huius seculi præpeditus inierit rationem, qua magnas ad diuitias peruenire poßit: is facilè redditur frigidus ac ineptus Christianus, imò prædurus atq; præferox, qui tan-

dem Dei uerbum atque uoluntatem eius sit contempturus, quòd cupiens ditescere, inciderit in tentationes & cupiditates multas stultas & noxias, quæ demergunt homines in exitiũ & interitũ, 1. Tim. 6.

Quinam dicuntur insipientes?

Qui non cogitant, nec perpendunt, quæ sit Dei bona uoluntas, atque sic improuidi suæ uisitationis ac gratiæ tempus negligunt atq; perdunt, non seriò respiciunt nec probant seipsos, an ueri Christiani sint, hoc est, an rectam atq; synceram fidem habeant, an libenter audiant Dei uerbum, & secundum hoc ipsum piè uiuant. Salutis igitur propriæ nullam habentes rationem, uerè desipiunt, ignorantes Dei uoluntatem. Nam ab oculis diuinam lucem remouerunt, ac propriæ persuasionis offucias atq; præstigias sibi offuderunt, per quas uelut pictum uitrũ aspicientes ipsi, putant in tuto sese fore, si rationem propriam fuerint secuti, cùm interim eos laqueo captos trahat Satanas, ut præcipitet atque disperdat.

Quinam sapientes reputantur?

Qui uerbum Dei semper animo reuoluunt atq; libenter audiunt. Quorum uoluntas in lege Domini, ac in ea meditantur die atque nocte. Nec solum hoc ipsi faciunt, sed ut idem alij quoq; faciant, summo studio collaborant.

Quid est, quod ait: Redimentes occasionem, quòd dies mali sint?

His

Hic eius eſt ſenſus: Ne cogitetis, aut ſperetis uos habituros meliora tempora, in quæ ſalutis ueſtræ cauſam extrahere uolueritis. Nũquam enim futuri ſunt dies meliores, nunquam commodiora tempora, Nam habituri ſemper eſtis in mundo Satanam, qui uos ab omnibus bonis abiget atq; profligabit, atque ueritatis uiam præſtruet, aduoluendo longè maiora, quàm unquam, impedimenta. Et quò diutiꝰ [illegible]eritis, eò pertinacior atq; furioſior ille ueſtris imminebit capitibus, ut quò diutius expectaueritis, eò minus poßitis, quod bonum eſt, facere. Et ſi præſens neglexeritis, non tam bonum inſequens habituri tempus. Quapropter occaſionem redimite, atq; præſentem opportunitatem arripite, & eam, quacunq; etiam ratione poteritis, ſuffuramini prædaminíq;, permiſſuri nihil omnino uobis tam charũ atq; precioſum fore, quàm Dei regnum. Quod ante omnia quærite, totamq; ueſtram uitam ad utilitatem proximi & Eccleſiæ ſynceriter inſtituite, nullo præpediti rerum caſu. Quod ſi feceritis, ſalui futuri eſtis.

Sed quomodo mihi redimendum erit tempus?

In manus ſume Decem præcepta, eademq; tecum reuolue. Item Apoſtolicum ſymbolum, & orationem dominicam. In hiſce teipſum exerce. Ora pro tua, ſimul ac totius Eccleſiæ ſalute. Vitam tuam dirige iuxta Dei mandatum, ut per te nomen eius ſan-

ædificetur, uitaq; tua ſecundum diuinam uoluntatem decurrat. Quod ſi diligenter effeceris, non ambulabis imprudenter, peccata deuitabis, & quod bonum eſt, operaberis, accepta beneficiendi occaſione, cùm dies mali ſint.

Sunt ne dies mali?

Quamuis per ſe tempus bonum ſit, & uerè ſeculum aureum, quo nobis ſuam gratiam atque miſericordiam Deus, per Euangelij ubiq; gentium prædicati, ſacroſanctum nuncium impertit, tamen Satanas, & eius miniſtri corrumpunt illud, grauius q; & peius Chriſtianis reddunt. Coguntur igitur pij per tot obſtantia tentationum mala, per q; tot offendiculorum impedimenta fortiter erumpere, et quæ bona ſemel acceperunt, totis animi uiribus, in finem uſq; conſeruare, nullis poteſtatibus extorta relinquere.

Quænam eſt altera Epiſtolæ huius admonitio?

Sic ait S. Paulus: Ne inebriemini uino, in quo luxus eſt. Quæ uerba duplicem habent doctrinam: Altera uetat ebrietatem: Altera cauſam reddit, cur ebrietas ſit deuitanda, nempe, quòd in ea ſit luxus, & inquinans animam, ſpurcitia. Q. d. Vos potores, & ebrioſi uentres, fortaſſe per inſpirationem Satanæ poteritis cogitare, non eſſe peccatum ebrietatem, nec aliquod inde proficiſci dedecus: At ego ſancti ſpiritus inſtitutione doctus uobis ſcribo,

scribo, maximum crimen ebrietatem esse, qua peruersitas & inanis impietas, imò damnatio promanat æterna. Proinde ne inebriemini uino, sed potius sobriè uiuite. Sic apti manere poteritis ad omne bonum erga Deum simul ac homines.

Quænam crimina profluunt ab ebrietate?

Quid non designat ebrietas? Inguinis & capitis quæ sint discrimina nescit. Hinc proferuntur obscœna uerba, detestabiles execrationes, gestus impudici, turpia facta, calumniæ, mendacia, detractiones, maledicentia, uariæ ludorum imposturæ, simultates, rixæ, iurgia, cædes, blasphemiæ, desidia, diuini uerbi neglectus, atque contemptus. Quid? cùm obrutus uino fuerit homo, uirtutis omnis obliuiscitur, in libidinem subat, oculi toruum uident, aures ad audiendum turpia procliues, Os plenũ inutilib. uerbis, totum corpus inefficax, somnolentũ, & rebus honestis inutile. Tota mens, et omnes sensus extincti: uires naturales uirtutibus omnibus priuatæ. Omnia denique membra accensa ad peccata, atque flagitia detestanda.

Potest ne huius rei exemplum dari?

Vino obrutus homo, similis aurigæ, cui frena sunt ab equis erepta. Is igitur retinaculis amissis fertur, atque rapitur per arida, uiridia, lamas, ualles, nemora, paludes, dumeta, nec est possibile

ut

ut diu poßit incolumis ita uehi, nam ad extremū præcipitatur, atque iugulum frangit. Is item similis est nauclero, qui amisso clauo relinquitur arbitrio uentorū, donec ad scopulū aliquē, aut rupes illidit nauim, atque cum omnibus suis submergitur.

Hæc profectò maxima sunt pericula.

Quòd si potores tot execrabilia peccata, & incommoda tanta, quæ producit ebrietas, noluerint considerare, tamen eos ab impijßimo bibendi studio deterrere deberet, quòd eos oportebit manifestari ad Dei tribunal, & de unoquoq; ocioso uerbo rationem reddere, nedum de tot flagitijs, sceleratis operibus, de bonæ Dei creaturæ abusibus, & perditione temporis preciosi, quod comessando, pergræcando, ludendo, & uociferando turpiter exegerint. Hæc enim omnia Deus non relinquet impunita,

Quænam est tertia huius Epistolæ cohortatio?

Vide D. Chrysost. ... in Ep. ... fol. 258. b. 259.

Impleamini Spiritu, loquentes uobismetipsis per Psalmos & Hymnos, & cantiones spirituales, canentes ac psallentes in corde uestro Domino: gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi.

Quænam huius admonitionis sententia?

Sic ait: Christianos decet laudare, gratias agere,

gere, atq; glorificare Deum Psalmis & cantionibus spiritualibus. Nec gratius neq; acceptius Domino poterimus facere, quàm meritis laudib. euehere, atq; pro cunctis in nos cœlitus collatis beneficijs, gratias agere. Quod satis exempla testantur Moysi & filiorum Israël, post rubri maris transitum. Exod. 15. Et Dauid ante arcam Domini ludens, atq; canens. Nónne Prophetæ, Esaias, Abacuc, Ionas, Item Ioannis pater, Zacharias, Item Maria uirgo, & Simeon, præclaros hymnos cecinerunt? Et in Ecclesia primitiua Christiani solebant statis diebus ante lucem conuenire, & carmina Christo dicere. Cuius rei meminit etiam Plinius, libro Epistolarum decimo. Nec ulla re Satanã magis offendere poterimus, quàm pijs spiritualium cantilenarum exercitijs. Quod satis planum facit historia Saulis & Dauidis, 1. Regum 16. Cùm enim Saul à Satana spirituq; maligno corriperetur, leuius ferebat, Dauide citharam pulsante, atq; psallente. Neq; rem ipsis nobis utiliorem, aut magis salutarem facere poterimus, quàm Psalmis Deum laudare. Quod alioquin officio debemus, qui plurima à Deo beneficia consecuti sumus, non solùm externorum, sed etiam internorum munerum, corporis & animæ, quæ sunt: ratio, sensus, ualetudo, robur. Item fides, spes, patientia, Dei uerbum, Euangelium, sacramenta, remißio peccatorum, & æternæ uitæ promißio:
pro

pro quibus summis beneficijs meritò debemus agere Deo gratias. Quod ut aßiduò faciamus, nobis misericorditer concedat Deus, Amen.

DOMINICA VIGESIMA
prima post Trinitatis, Epist. Ephe. VI.

FRatres mei, sitis fortes per Dominum, perq; potentiam roboris illius. Induite totam armaturam Dei, ut possitis stare aduersus assultus diaboli. Quoniam non est nobis lucta aduersus sanguinem et carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Quapropter assumite uniuersam armaturã Dei, ut possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. State igitur lumbis circumcinctis baltheo per ueritatem, & induti thoracem iustitiæ, & calceati pedibus, ut parati sitis ad Euangeliũ pacis: super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere: galeamq; salutis accipite, & gladiũ spiritus, qui est Verbum Dei.

Quotnam in hac Epistola res nobis proponit S. Paulus?

Tres

Tres præcipuè. Prima demonstrat impendere capitibus assiduò nostris acerrimum hostem Satanam. Secunda profert, quàm fortis atq; potens ille sit. Tertia docet, quibus armis induti poßimus illi resistere.

Qualisnam hostis est diabolus?

Crudelißimus, omnibus item insidiarum dolis instructißimus, hinc mille artifex dicitur, impurus spiritus, mendacijs atque maleficijs plenißimus, homicidiorum pater, uitæ atq; ueritatis acerrimus hostis, & accusator filiorum Dei. Teterrima calamitas atq; pernicies omnis ordinationis, politiæ, & cultus diuini: pestis omnium hominum. Qui si fuit ausus in Christo suam artem experiri: nobis proculdubiò non erit parsurus. Vt autem facilius poßit nos opprimere, copias auxiliares accersit, mundum, atq; carnem nostram.

Quid est Mundus?

Est Satanæ regnum, paradisus, atq; uoluptatis palatium, uerißima latronum spelunca, & mendaciorum officina, quam ut carnis suæ prolem post se relinquit Adam, belua quæ uarijs modis in nos ubiq; facit impetum, per suos complices hypocritas, hæreticos, falsos doctores, sectarum autores, tyrannos, trucidatores Christianorum, & per impij uulgi perditas cateruas, qui neq; Deum, neq; curant homines. [illegible]

Quid est caro?

[illegible] Caro [illegible]

Caro et sanguis est Adami proles, & homo plenus peccatis, auaritia, superbia, immunditia, inuidia, infidelitate, curiositate maligna, prauis cupiditatibus, turpibus affectibus, & execrandis deniq; scelerũ atq; flagitiorũ omniũ inquinamẽtis.

Quomodo istis hostibus S. Paulus occurrit?

Quemadmodum expeditus in bello dux aut imperator, qui dirigens in hostes aciem, ubiq; laborat, suos instruit, & aßiduis adhortationibus instãmat, ut in armis sint, ac in hostẽ acriter pugnẽt.

Quomodo suos exhortatur?

Verborum pulcherrimo, concionis ueluti militaris, utitur incitamento, quo suos milites excitat, ut armati stent in procinctu, fortiter insultus hostiles excipiant. Ait enim: Fratres, sitis fortes per Dominum. Q. d. Admodum estis infirmi, respectu uestræ personæ, & debiles nimis, ut hosti tam potenti atq; feroci non poßitis resistere: proinde fortes sitis per Dominum Iesum Christũ, qui uicit, & exuit eundem hostem armis omnibus. Per potentiam igitur roboris illius induite totam armaturam Dei, ut poßitis stare aduersus assultus diaboli, fraudũ & insidiarum plenũ. Q. d. Si non quæsiueritis, & acceperitis à Domino Christo uires et arma, nõ poteritis stare contra tam potentem atq; truculentum hostem, qui non intelligitis quanta sit eius potentia, quanta fortitudo, atq; ferocitas.

rocitas. Ad quem collata uestra robora sunt quasi palea uentis iactata.

Quàm fortis igitur est atq; potens Satanas?

Id S. Paulus indicat, inquiens: Non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum huius seculi, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Q. d. Hostes acerrimi nostri sunt spiritus, quos non gladijs, cuspidibus, aut halbardachis profligare possumus, Et eiusmodi, qui non pecuniam nostram, aut externa bona quærunt: sed insidiantur, & exitium machinantur nostro corpori, uitæ, carni, sanguini, medullis, spiritibus, & animabus nostris, ut in hoc bello uincendum sit, aut moriendum: & proposita illinc cœli gloria, hinc æternum gehennæ supplicium.

Cur mundi dominus atq; princeps appellatur?

Quoniam non est simplex spiritus, sed potentissimo stipatus exercitu. Nam in aciem educere potest innumera Turcarum atq; cohortis impiæ millia. Ad hæc longum habet rerum experientiam, ut qui iam ultra quinq; millia annorum habuerit in mundo suum imperium, optimè callens, quali quemq; ratione debeat aggredi. Est enim omnis malitiæ doctor, & in cunctæ prauitatis arte uersatus, & exercitatus ad unguem.

Vbinam habitat Satanas?

S. Paulus ait: In cœlestibus, in tenebris huius seculi. Non igitur cogitabimus Satanam procul abesse, ut apud Indos, Aethiopes, Aegyptios, aut Babylonios: sed propè est, latera nostra claudit, & circa, retrò, supra & infra nos plurimus adest. Vbicunq; steterimus, ambulauerimus, iacuerimus, aut sederimus, ibi diabolorum turba, non aliter atq; cynomyiarum atq; crabronum examina circumuolitant. Et uisibili sæpenumerò specie uidendos sese præbent, ut in cœlo draconum ignitorum figura, & in campis uelut ardentes faces. Libenter incolunt deserta loca, domos, solitudines, paludes, & abyssos, quò delatos homines sæpius submergere solent, atque trucidare. Et illorum plenissimus aër, ut omnia præoccupet, quæcunq; circa nos atq; supra sunt, mali spiritus: Impendentes igitur ubiq; nobis, obseruant, ac uelut in insidijs meditantur omni momento, quomodo nobis inferre damna, & exitium, & à gaudijs deniq; cœlorum, unde ipsi exciderunt, nos deturbare poßint.

Nondum igitur diaboli sunt ad Tartara detrusi?

Sanctus Petrus describit, Deum angelos, qui peccauerant, catenis noctis in Tartarum præcipitatos tradidisse, seruatos in iudicium. Interim uerò nos omnes in id uigilanter intendunt, ut corpore

nostro

nostra simul ac animas disperdant. Quòd si non poterit unus id perpetrare, septem alios se nequiores spiritus assumit: Quòd si nihil septem effecerint, accersit decem, uiginti, centum, aut mille. Nulla requies hîc est, hamum dirigit. Iam quinque millium annorum tempore non cessauit, neque dormitauit, Et ut leo rugiens adhuc hodie obambulat, quærens quem deuoret, 1. Pet. 5.

Sed qualibus armaturis utemur aduersus tantum hostem?

Quapropter, inquit Sanctus Paulus, assumite uniuersam armaturam Dei, ut poßitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. State igitur lumbis circumcinctis baltheo per ueritatem, & induite thoracem iustitiæ, & calceati pedibus, ut parati sitis ad Euangelium pacis, super omnia assumpto scuto fidei, quo poßitis omnia iacula mali illius ignita extinguere. Galeam salutis accipite, & gladium spiritus, qui est uerbum Dei, &c. Hîc S. Paulus ex armario suo profert uera contra Satanam arma ualentia, nempe baltheum, thoracem, calceos, scutum, galeam, atque gladium.

Quomodo miles Christianus se contra Satanam armabit?

Quemadmodum mundani milites ad prælia se parantes, primò circundant lumbos, ac induunt uenetralia caligasque, ut ad gradus, cursus, sal-

tus, aut pugnam idonei magis inueniantur: deinde crura muniunt ocreis aut ferreis tibialibus: postea loricam atq; thoracem induunt: item se gladijs accingunt, & assumunt clypeum: Postremò galeam imponunt capiti: Sic oportebit Christianum arma spiritualia corripere, atq; se præmunire, sine quibus cum Satana uelle confligere temerarium fuerit, atq; ualde periculosum.

Quid baltheus ueritatis?

Significat Christianos debere in conuersatione sancta, recta fide, & accurata Verbi diuini obseruatione totam ætatem exigere, et ne latũ quidem digitum à Dei præcepto recedere. Quod Christus faciendum docet, Luc. 12. Succincti sint lumbi nostri, &c.

Quid ad Euangelium pacis calcei significant?

Docet nos debere pacem cum hominibus omnibus habere, quibuslibet benefacere, subuenire, auxiliari, consilium dare, & consolari per Euangelium. Quamuis autem mutuas turbas, item simultates, odia, dißidiaq; mundus excitet, atq; nos lacessat, ac iniurijs afficiat, tamen non decere nos uindictam expetere, sed per patientiam erumpere atque superare, ueluti per difficilem transitu uiam, sentibus undiq; refertam.

Quid thorax iustitiæ denotat?

Designat

Designat nos debere bonam habere conscientiam, atq; sic uiuere, ut nemo possit de nobis conqueri. Neminem lædere, aut damnum inferre, sed omnibus ex æquo ministrare atque benefacere. Nam ubi non fuerit eiusmodi conscientiæ tranquillitas atq; puritas, ibi facilè uictoria potietur Satanas, sine negotio ualens debilem saucij cordis fiduciam euertere, atq; miserabiliter hominem disperdere.

Quid est gladius Spiritus?

Est Dei uerbum. Hunc gladium educere, manu fortiter apprehendere, & aduersus hostem pugnare debemus, non facere quemadmodum falsi Christiani, qui passi sunt illum in uagina ferrugine consumi. Etenim Euangelium atq; salutare Dei uerbum apud eos, per hominum traditiones, diabolicas doctrinas, atq; pharisaicam hypocrisin adeò contaminatum est & obscuratum, ut non facilè causasit casurus Satanas.

Quid fidei scutum?

Nihil aliud significat, quàm fidem in Iesum Christum, ut in omnibus tentationibus & afflictionibus, constanter atq; mordicus Christum teneamus, & insultando Satanæ dicamus: Fateor me, quem accusas, peccatorem esse, Sed is homo, qui pro me passus atq; mortuus est, sanctus & immaculatus, ex eo solo pendebo, quocunq; tandem fuerit mea uita abducta. Scutum meum & inex-

pugnabilis arx erit mihi Christus, in hoc totus con fidam, qui me facilè poterit protegere, atq; conseruare. Et certus atq; firmus stare contra portas omnes infernorum.

Quid galea salutis significat?

Vt firmiter credamus in Iesum Christum, qui Satanæ, mundi, & breuiter omnium est dominus, per quem certò nos aliam uitam expectamus, nihil addubitantes, quin nos ab omnibus malis sit erepturus, & supplantaturus omnia, quaecunq; iam nos molestant, anguntq;, ut liberè & alacriter possimus dicere: In te, Domine, spes nostra, non permittas nos confundi. Da precor, ut Euangelij tui nos armis præmuniti, feliciter ad metam salutis, ad quam uocati sumus, hoc est, uitam æternam, queamus peruenire, Amen.

DOMINICA VIGESIMASE cunda post Trinitatis, Epist. Philip. I.

FRatres, Gratias ago Deo meo in omni memoria uestri, pro omnibus uobis, cum gaudio precationem faciens, quòd ueneritis in communionem Euangelij, à primo die usque ad hoc tempus, persuasum habens hoc ipsum, quòd is qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usq; ad diem Iesu Christi: sicut iustum est mihi, ut hoc sentiam de omnibus uobis,

bis, propterea quòd habeam uos in corde, & in uinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij, cùm sitis omnes mihi consortes gratiæ. Testis enim mihi est Deus, quàm desiderem uos omnes in uisceribus Iesu Christi. Et illud oro, ut charitas uestra adhuc magis ac magis exuberet in agnitione, omnique intelligentia, ut probetis quæ sunt præstantia, ut sitis synceri, ac tales, ut nemini sitis offendiculo in diem Christi, impleti fructu iustitiæ, qui contingit per Iesum Christum, ad gloriam & laudem Dei.

Quid Sanctus Paulus in hac efficit Epistola?

Principiò laudat Philippenses, quòd in fide, atque Dei uerbo constanter permanserint, non ut alia ciuitates susceperint pseudapostolos, atque predicatores falsos. Deinde cohortatur, ut in sancto proposito fortiter perseuerent, & charitate crescant: obiter item monet, ut à falsis Apostolis caueant, magisq; doctrinam, quàm uitam considerent, expendantq;: cùm hæc imponere poßit, atque fucum facere, sed illa non poßit. Nam externo splendore uita longè poterit aliter effulgere, quàm in corde sit. Atqui uerbum Dei non poterit fallere, cùm sit uerax, sanctum, immutabile, æternum,

atq; salutare, atq; ij qui fide concipiunt illud, & custodiunt, fiant consimiliter sancti, ueraces, iusti, atque beati.

Quomodo S. Paulus exorditur hanc Epistolam?

Sic ait: Gratias ago Deo meo in omni memoria uestri, semper in precatione mea pro omnibus uobis, cum gaudio precationem faciens, quòd ueneritis in communionem Euangelij, à primo die usq; ad hoc tempus.

Quid hisce uerbis Sanctus Paulus docet?

In tres partes huius Epistolæ doctrinam digerit. Prima gratias agit pro diuino beneficio, per quod Philippenses in communionem Euangelij uenerint, gratiæ cœlestis facti participes. Altera precatur, ut eiusmodi cognitione & Euangelij fructibus augeantur indies, locupletentur, & quod in ijs incepit Deus, misericorditer perficere, summamq; summam addere dignetur. Tertia orat, ut illorum charitas semper exuberet, ac quotidie copiosior reddatur in agnitione, omniq; intelligentia. Ut hæc omnia facit propterea, ut eos exhortetur, quò fortes atq; cōstantes in proposito sancto persistant, et in recta, quam habent, fide, permaneant.

Quomodo precatur, ut in Euangelica ueritate perdurent?

Sic

Sic ait: Persuasum habens hoc ipsum, quòd is qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usq; ad diem Iesu Christi, sicut iustum est mihi, ut hoc sentiam de omnibus uobis, propterea quòd habeam uos in corde, &c. In hoc uerborum contextu S. Paulus appellat Euangelium opus bonum, sed hoc ipsum non adscribit nostris operibus aut uiribus, sed aßignat Deo. Consimiliter quòd in opere bono perseueramus, non attribuit nobis, sed Deo soli. Quòd si igitur principium, incrementum, atq; finis nostræ salutis non est in manu nostra, sed in sola Dei gratia, quid stulti iactamus, aut gloriamur de nostris operibus? Porrò uel hic solus scripturæ locus funditus tollit totum liberum arbitrium hominis cum omnibus suis operibus, meritis, atq; uiribus, in negotijs præsertim ad Deum pertinentibus atq; nostram salutem. Huius principium & finis solus est Deus. Hunc oportebit structuram inchoare, primumq; lapidem ponere, summum item fastigium addere, si modò bonũ debeat ædificium esse: Proinde Io. 15. sic ait: Sine me nihil potestis facere. Et S. Paulus, 1. Cor. 3. Ego, inquit, plantaui, Apollo rigauit, sed Deus dedit incrementum. Quæ & similia dicta sententiasq; nobis scriptura proponit, ad extinguendam arrogantiam, & gloriam inanem, ut sapientiores tandem redditi, deferamus omnem gloriam Deo, atq; nos supplices illius auxilium, consolationem, atq; gratiam quæramus. Et misericors

pater non denegaturus est petentibus, sed exauditurus clamantes.

Quomodo pro Philippensibus orat?

Testis est mihi Deus, quàm desiderem uos omnes in uisceribus Iesu Christi. Et illud oro, ut charitas uestra adhuc magis ac magis exuberet in agnitione, omniq; intelligentia, ut probetis quæ sunt præstantia. Hic S. Paulus totum effundit cordis affectum, qui penitus exarsit, inflammatus gaudio atque lætitia, propter id, quòd uidit Euangelium agnosci, suscipi, & honoribus affici. Flagrantissimo igitur sacro erga Ecclesiam amore accensus, nihil nouit maius & excellentius illis precari, atque Deum orare, quàm ut in Euangelica ueritate suscepta permaneant, & exuberent charitate.

Debemus ne hoc S. Pauli exemplum imitari?

Maximè. Etenim Christianum, qui per Euangelij gratiam accepit fidem, decet ab initio se gratū exhibere, non solùm Deo, sed etiam hominib. Huc pertinet sacrificium laudis, ut non ore tantùm, sed etiam toto corde, corpore & anima tota Verbum Dei prædicemus, audiamus, obseruemus, ueneremur, atq; promoueamus. Deinde, ut fidei quoq; fructus, & opera iustitiæ coram hominibus luceant, in eos potißimum exercita, à quibus audiuimus & accepimus Euangelium.

Quid

Quid autem Verbi minister faciet?

Verus pastor gregem sibi commissum intimo cordis amore prosequi debet, ita ut non modò lupos abarceat, sed ut oues etiam opportuno tempore in pascua ducat, atq; reducat, imò pro ijs uitam, Christi exemplo, ponat. Qui talem erga suos habuerit charitatem, is proculdubiò medijs in tribulationibus & angustijs curam habebit ouium, quemadmodum in cruce Christus ait, inquiens: Sitio. Sic etiam in carcere S. Paulus maxima eorum, quos instituerat in Euāgelio, cura solicitatus fuit. Eos scripto docuit, ac cōfirmauit. Exhortatus item ad mutuam charitatem atq; conuersationem Christianam. Præterea pro ijs orauit, ut bonorum operum fructu quotidie redderentur locupletiores.

Atqui mundus admodum ingratus est.

Quamuis ingratus sit, nec à nobis corrigi possit mundus, tamen ingratitudinem grauiter castigare debemus, & in hoc teterrimum crimen inuehi, diligenterq; omnes admonere, ut illud deuitent, quo turpius nihil in terris existit. Sed hoc molestiæ nos oportebit deuorare, quòd ingratos inter homines uiuere cogamur. Qui nihil offensi, pergere debemus cunctis gratificari, atq; benefacere. Cæterùm si uolueris beneficijs tuis à mundo gratiam inire, atq; meritis tibi tuis illum astringere,

re, falleris, atque contrarium experieris. Malam enim gratiam referet, & tu condignam labore mercedem consequêre, talem nimirùm, qualem accipiunt, qui uitiosam ore nucem momorderint, spurcitia palatum replentem. Quòd si praeterea nihil amplius boni uolueris facere, sed indignari potius, aut coelum (ut aiunt) territare, non eris Christianus, qui teipsum affligens, & excrucians nihil promouebis. Illud igitur, quid sibi uelit, reuolues: QVI RETRIBVVNT MALA PRO BONIS. Hoc qui nolit discere, de mundo protinus exeat.

Cur tam diligenter S. Paulus orat, ut Philippenses exuberent in agnitione, omnique scientia?

Propter tres causas. Quarum prima est, ut doctrinas atque conciones discernant atque dispiciant, quae uerae sint, et quae falsae: quò sciant pseudapostolos deuitare, atque seductores effugere, & apud purum Dei uerbũ, quod hîc uocat, praestantia permanere. Altera, ut synceri fulgeant, neminique sint offendiculo. Hoc est, ut non sint hypocritae, nec offendiculum praebeant, neque per alios offendantur, sed ueri Christiani reperiantur. Tertia, ut repleantur fructibus iustitiae, quae per Iesum Christũ contingit, quò confiteri cogantur omnes homines, atque sibi persuadere, nos in eorum esse numero, qui rectam in Iesum Christum fidem sunt consecuti.

Cur

Cur addit ista uerba: Quæ per Iesum Christum contingit?

Hisce uerbis ostendit, oportere bona opera ex fide proficisci, eademq́; in Christo, & per Christum contingere, aliàs inutilia esse, quemadmodum S. Paulus ait, Ro. 14. Quicquid non ex fide fit, peccatum est.

Ad quid contingunt opera bona, iustitiæq́; fructus?

Non ut per ea iustificemur, aut beati reddamur, sed fiunt ad laudem atq; gloriam Dei. Nam opera bona non iustificant, neq; saluant, licet oporteat ea contingere: sed in hoc instituta sunt, ut quū ea relucere uiderint homines, laudent Deum, atq; glorificent. Deinde, utilitatem inde percipiant pauperes, & proximus adiuuetur.

Quid igitur præcipuè discemus ex hac Epistola?

Quamdiu uixerimus in terris, debere nos uerum Dei cultum exercere, & quotidie sacrificium laudis & orationis offerre. Illud pro beneficijs acceptis, quod Gratiarum actio dicitur. Hoc, quo precamur per Orationem dominicam, ut à malis eripiamur. Nam hæc nostra uita nondum, quò debet, ad finem malorum est deducta. Per fidem uidemus quidem nobis promissa bona, sed nondum possidemus. Prius enim quàm ad ea perueniamus, oportebit per innumera nos emergere pericula &

atrocia mala. Tantisper igitur opus erit assidua, ut ab impendentibus malis liberemur, oratione, dum in tranquillitatis portum appulerimus, hoc est, aeternam uitam, ubi non amplius orabimus, sed potius gaudebimus, exultabimus, & audiemus aeternum Deo *gratias, &* Alleluia. *Quod ut nobis contingat,* Deus *omnipotens elargiatur, Amen.*

DOMINICA XXIIII. POST *Trinitatis,* Epist. Philip. III.

FRatres, Estote imitatores mei, & considerate eos, qui sic ambulant, quemadmodum habetis nos pro exemplari. Nam complures ambulant, de quibus saepe dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum Deus uenter, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Nam nostra conuersatio in coelis est, ex quo & seruatorem expectamus, Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest etiam subijcere sibi omnia.

Quid in hac Epistola S. Paulus expedit?

Principio reijcit atque confutat impiam humanarum

rum traditionum iustitiam, quam falsi Iudæorũ ob ambulantiũ prædicatores docuerant, multosq; seduxerant. Summa igitur affectus paterni cura sollicitatus S. Paulus excitat Philippenses, ac inflãmat ad Christi iustitiam, ad uerã fidem, charitatẽ, crucem, patientiã, diligenter adhortans, ut constanter in ea, quã acceperant, doctrina sana permaneant. Quod grauibus duabus efficit admonitionibus.

Quænam est prior admonitio?

Imitatores, inquit, mei fratres estote. Q. d. Inter uos estis habituri lupos atq; canes, ut prospiciendum uobis sit, ne seducamini, atq; dilaceremini. Nõ omnes synceri sunt, qui se doctores atq; prædicatores Euangelij gloriose uenditabunt. In Apostolorũ numero Satan suos quoq; transfiguratos in lucis angelos habiturus erit. Proinde mea uestigia sequimini. Mei estote imitatores, quemadmodum ego Christi.

Quid est, quod ait: Considerate eos, qui sic ambulant, quemadmodum habetis nos pro exemplari?

Hoc sentit: Noui quòd me nemo tanquã hominẽ imitari debeat. Sed quia Christum imitor, expediet uobis, ut me sequamini. Me habete pro exemplari, et quemadmodum nos neq; ad dextram, neq; ad sinistrã deflectimus, sed in recta uia permanemus, solumq; Deũ sequimur, ita uos quoq; facite. Quod usuri pseudapostoli, proculdubiò nihil apud uos perpetrabunt.

perpetrabunt. Omnes igitur qui sic docent, atq; uiuunt, quemadmodum ego, item Timotheus, & alij cooperatores mei uos docuerunt, & inter uos conuersati, sunt Episcopi ueri, doctoresq; synceri. Cõtrà qui non consimili doctrina, uitaq; relucent, canes sunt atq; lupi, hoc est, doctores falsi, quamuuis etiã inter uos externo splendore præfulgeant.

Quomodo falsos Verbi ministros describit?

Complures, inquit, ambulant, de quibus sæpe dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum Deus uenter, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant &c. Quibus uerbis animaduertimus, quantum cordis dolorem attulerit S. Paulo doctrina peruersa, uitæ offendicula, atq; fratrum perditio. Præbet igitur nobis exemplum, atq; docet, quomodo nos erga falsos doctores gerere debeamus, & quomodo affecti esse erga populum infelicem, miserè seductum.

Quomodo igitur nos erga falsos Verbi ministros gerere debemus?

Omnem lapidem mouere, ac neruos omnes in id debemus intendere, ut peruersos eiusmodi doctores ad sanam doctrinam poßimus reducere, & impia dogmata refutare: Cuius rei gratia semel, bis aut ter eos grauiter adhortari. Quòd si nihil promouerimus, id quod S. Paulus ad Titum, docet,

cet, faciemus: Sectarum, inquit, autorem hominem post unam aut alteram admonitionem fuge, sciens quòd euersus sit, qui eiusmodi est, & peccet per se damnatus.

Quid cum ijs, qui seducti, falsaq́; doctrina corrupti sunt, agendum?

Diligenter adlaborare debemus, ut ijs suppetias feramus, Nihil omittere, sed potius intendere neruos omnes, quò melius instituti resipiscant, & ab erroribus conuersi redeant in uiam. Et Christus, Luc. 15. Relictis in deserto nonaginta nouem ouibus, unam perditam quæsiuit, atque reduxit. Quòd si nostra solicitudo, atq; diligens auxiliandi conatus nihil profecerit, tamen flebilis illa tot hominum perditio, nobis afferre dolorem, & misericordia nostros animos commouere debebit. Et S. Paulum hoc loco uidemus condoluisse miserabiliter perituris.

Quibus nominibus S. Paulus appellat Apostolos falsos?

Vocat canes, malos operarios, concisionem, uentres, inim[illegible] crucis Christi, terrestria curantes.

Cur appellat canes?

Quoniam contra doctrinam Euangelicam, atq; ueritatem diuinam non aliter atq; canes latrant. Vnde Christus ait, Matth. 7. Ne detis quod sanctum est, canibus: nec proieceritis margaritas uestras ante porcos, ne quando hi conculcent eas pe-

dibus suis, & illi uersi in uos, lacerent uos. Esaias cap. 56. uocat eos canes impudentißimos, saturitatem nescientes, non ualentes latrare, dormientes, & amantes somnia. Nam huius mundi uoluptatem atq; delitias secuti, nõ curant ea quæ Dei sunt, sed stertentes, permittunt sectas atq; schismata, imò scelerum omnium genera subnasci atq; prædominari. De canibus eiusmodi dicitur Apocal. 22.

Cur malos operarios uocat?

Quoniam in opere atq; messe domini quærunt non Dei gloriam, sed propriam utilitatem atq; honorem, nec fideliter in Domini uinea laborant, neq; curant uigilanter oues sibi commissas, sed potius ad res proprias diligentius attendunt. De quibus ait Christus, Matth. 7. Nunquam noui uos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.

Cur appellat concisionem?

Quia concisionem aliasq; legis ceremonias docebant ad animarum salutem esse necessarias. Quo peruerso dogmate abalienabantur, & à fide rescindebantur corda credentium Christianorum, simulq; rapiebantur à uia salutis ad interitum.

Cur uentres?

Quoniam abdomini seruientes, habent Deum uentrem. Nihil enim faciunt, nisi ut uentris gratia per doctrinam falsam atq; mendacia, simplicem ac innocentem plebem seducant. Ergo Christus Mat. 23. minatur ijs æternum Væ.

Cur

Cur inimicos appellat crucis Christi?

Quoniam solo nomine atq; titulotenus sese iactabant Christianos, & discipulos Christi prædicabant, interim tamen neq; doctrina, neq; uita Christum sequebantur, sed pietatis Christianæ prætextu Iudaicas ceremonias tradebant, & miseras conscientias certis personarum, uestimentorum, escarum, locorum, atq; temporum circunstantijs astringebant. Quorum in numero fuerunt, qui docuere, feliciter omnia in Ecclesia procedere, eamq; tranquillam & quietam bene florere, cùm à mundo atq; tyrannis nihil uexata, locupletetur & augeatur pecunia, diuitijs, & honoribus. Ea enim ratione Deum Ecclesiæ prospicere solitum, ac clementem patrem esse.

Cur ait: Gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant?

Ea meta falsorum Christianorum, & scopus est, ut in hoc mundo gloriosi, summos ad honores, potestatem, atq; diuitias euehantur, quo Sardanapali aut Pepones uitam, ut aiunt, tibicinis, aut sponsi uiuere possint. Sed hoc ipsum durabile non est institutum. Ad ultimum enim dedecore confunditur. Quamuis autem in hoc seculo omnium sapientissimi gentes, atq; Philosophorum principes summo relucentium honorum splendore refulserint, maximisq; præconijs celebrati fuerint, qui multa

fecerint uirtutis amore, tamen omnes eorum res gestæ uitaq; dedecus est apud Deum. In mundo quidem ac hominum consortio gloriari, serioq; iactare poterunt, studio uirtutis atq; iustitiæ labores exhaustos fuisse: sed ea gloriatio non ualebit coram Deo, nec consistet. Nec amplius illi poterunt efficere, quàm ut ipsorum facta, & quæ κατορθώματα uocant, coram mundo splendida laudabiliaq; prædicentur, cùm tamen apud Deum nullius momenti, nequeant uitam æternam consequi, sed potius ad extremum homines miseros deserant, turpiterq; destituant morti rapiendos, infernoq; deuorandos.

Quomodo uerorum Apostolorum conuersationem describit?

Nostra, inquit, conuersatio in cœlis est, ex quo & seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest etiam subijcere sibi omnia. Hoc est, quoniam pseudapostoli, atq; complices eorum terrestria curant, sensus quoq; & animi ipsorum à rebus mundanis pendent. Atqui ueri Christiani ueritatem Euangelicam habentes nouerunt in elementis terrestribus non hærendum, nec ullam spem esse reponendam, sed in cœlo conuersationem habendam, cùm non sint huius interituræ, sed æternæ ciuitatis incolæ.

Quid

Quid significat in cœlo conuersari?

Nihil aliud denotat, quàm indubitatam ueramq́; fidem, atq; rectum cor & animum erga Deum, ac omnes homines habere. Nos enim Christiani, qui baptizati sumus, atq; Christo per fidem insiti, non amplius uocamur ciues in terris, sed per Baptismum renati sumus, facti ciues sanctorum, atq; Dei domestici. Proinde sic nos gerere debemus, & ita conuersari, quemadmodum decet sanctos, quorum patria non terrestris est, sed æterna ciuitas in cœlis. Qui iuxta præfixum signum insequuntur ad palmam supernæ uocationis Dei per Christum Iesum. Et hunc ipsum saluatorem de cœlis expectant, allaturum æternam iustitiam, uitam, honorem, atq; gloriam. Hic sordidum, corruptibile, atq; miserabile corpus nostrum in aduentu suo tam candidum, lucidum, clarum, atq; gloriosum efficiet, ut conforme sit futurum, atq; simile proprio suo immortali atq; glorioso corpori, non ut in cruce pependit, aut sepulchro conditũ, sed ut modò clarificatum resurrexit, & ad dextram Dei patris sedet. Ergo non debemus terreri, neq; perhorrescere propterea, quòd hoc mortale corpus aliquando nos oporteat deponere, spoliatos omni honore, iustitia atq; uita eius, quod humo contegetur, à uermibus corrodetur, & à morte deuorabitur: sed potius læta spe, certaq́; fiducia suffultos expectare Christum, mox

aduenturum, atq; nos ab omnibus sordibus ac miseriis liberaturum. In huius enim manu sumus, non aliter ac opus figlinæ in manu figuli. Et omnium conditor ille, potest ex hac argilla sordida facere nouum pellucidum opus, seu corpus multò clarius, atque splendidius sole. Quod ut fiat, adiuuet nos Deus omnipotens, Amen.

DOMINICA XXIIII. POST Trinitatis. Epist. Coloss. I.

FRatres, Non desinimus pro uobis orare, & poscere, ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni sapientia & prudentia spirituali, ut ambuletis dignè Domino, ut per omnia placeatis, in omni opere bono fructificantes, & crescentes, in agnitionem Dei, omni robore corroborati, iuxta potentiam gloriæ illius, ad omnem tolerantiam ac patientiam cum gaudio: gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participationem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos à potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filii sibi dilecti, per quem habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.

Quid

Quid Sanctus Paulus in hac efficit Epistola?

Principiò Colossensibus gratiam & pacem exoptat. Deinde collaudat eos, quòd pseudapostolis non auscultauerint, sed in doctrina Christi constantes permanserint. Postmodò præcauet & exhortatur, ut in Euangelicæ puritatis eloquio perseuerent, bonamq; conuersationem habentes, salutaria proferant opera, bonosq; fructus ædant. Ait enim: Propterea & nos, ex quo die audiuimus, non desiuimus pro uobis orare, & poscere, &c.

Quotnam res à Deo petit, Colossensibus erogandas?

Sex.

Quid primò poscit?

Vt impleantur agnitione uoluntatis Dei, in omni sapientia & prudentia spirituali.

Quid sapientia?

Est sana doctrina fidei atq; cognitionis Dei. Est item id omne, quod ad Dei gratiam atq; uirtutem pertinet, ut conscientiarum consolatio, peccatorum agnitio, & arrhabo nostræ salutis, nempe Spiritus sanctus, quo obsignati sumus in acquisitæ redemptionem possessionis cœlestis, atq; adoptionem filiorũ Dei. In summa, sapientia est, qua homo nouit, quid Deus sit, et quomodo sese rebus in omnibus erga illũ gerere debeat. Vt in terris nihil præstãtius, nihil excellentius, nihil deniq; preciosius æsti-

met, quàm Dei uerbum, & eius opera. Vt semper in lege Domini uoluntas ipsius, & in lege Domini meditetur die ac nocte.

Quid prudentia?

Est externa coram hominibus conuersatio, qua colligere poterimus, & iudicare, quod pium externum Deo placeat opus, & quod iniquum displiceat. Huc pertinent omnes sacrarum literarum admonitiones, quæ passim adhortantur ad uigilias, preces, obsequia, auxilia, consilia, honorum exhibitiones, charitatis officia, liberorum educationem, rerum domesticarum administrationes, & reliqua ad piæ conuersationis rationem spectantia.

Cur ait: In prudentia spirituali?

Vt mundanam, carnalem, & humanam prudentiam separet atq; discernat à cœlesti, spirituali atque diuina prudentia. Illa est in rebus ijs, quæ sunt ob oculos positæ. Hæc autem occulta refugit prophanarum conspectum. Illa prædicat Deum esse clementem atq; propitium ei homini, cui omnia succedunt ex animi desiderio, qui splendidè uiuit, qui diues est, potens, honore præfulgens, bonaq; præditus ualetudine. Beatum enim dixerunt populum, cui hæc sunt, Psal. 144. Contrà coarguit Deum hostem eius, ac infœlicem eum esse, qui pauper, calamitosus, debilis, afflictus, & mari (quod aiunt) malorum obrutus est. Atqui diuina prudentia confirmat

mat eum Dei amicum esse, atq; beatum, qui sæpius affligitur, multam crucem patitur, qui spiritu pauper, qui contribulati cordis, angitur animi, qui denique esurit atq; sitit Dei iustitiam, Matth. 5.

Quidnam S. Paulus secundò poscit?

Vt Colossenses ambulent dignè Domino, Hoc est, ut ita uiuant, atq; conuersentur, quemadmodum digna est, ac requirit diuina maiestas, ut in Dei gratiam & placitum probè, honestè, atq; sanctè degant, ad totius mundi utilitatem, & Ecclesiæ ædificationem, ut omnes dicant homines: Benedictus sit Deus omnipotens, qui uiros hosce nobis dedit sanctimonia tam conspicuos, in præceptis Domini tam honorificè uiuentes. Qui tā promptè semper & studiosè proximis non grauantur inseruire, consolari, & auxiliari. Qui nemini suam operam bonam, & officium denegant, sed omnibus adsunt et consilio & subsidio suo. Hæc præclara charitatis exempla sunt, emendationem uitæ bonam, fructumq; pietatis uberem producentia, unde laus, atq; gloria diuina profluit, quemadmodum S. Matthæus, cap. 5. monet, inquiens: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum, qui est in cœlis. Etenim Christianorum bona opera atq; conuersationes, in hoc debent esse destinata, ut sint ueluti splendor atq; luminaria mundi, unde homines sibi de-

sumant exempla melioris uitæ ac morum emendationis.

Quidnam S. Paulus tertiò precatur?

Vt per omnia placeant Colossenses, in omni opere bono fructificantes.

Quænam bona sunt opera?

Quæ fiunt ad utilitatem proximi. Quæ sua sponte Christiani facere debent, & exercere libenter, ad honorem Dei, profectumq; proximi. In suam item ipsorum exercitationem, atq; ueteris hominis mortificationem. Eadem quantumuis specie tenus præluceant, uana sunt, si propter alias rationes fuerint facta, nempe iudicata opera meritoria, uel quasi claues, quibus uel ex merito poßint homines ad cœlos ascendere, uel sibiipsis cœleste regnum aperire. In nouißimo quidem die Christus requiret opera, sed ut arboris bonæ fructus, atq; uiuæ rectæ fidei testimonia, Matth. 25.

Ad quidnam opera bona conducunt?

Propterea prosunt, quòd homini demonstrant, quàm propè sit, uel procul à Deo. Nam si apud te inueneris, toto cordis affectu te posse omnibus benefacere, & ex animo bene uelle, non amicis modò, sed etiam hostibus, tum habebis uiuum in corde tuo testimonium, habitantis apud te Dei. E contrario, si talem charitatis ardorem in pectore non senseris

senseris, constabit certissimum adesse signum, Dei procul absentis. Hoc igitur ubi perceperis, meritò expauesces, atq; Deum orabis, ut meliorem tibi mentem det, magisq; te pium hominem faciat. Nam si permanseris in ueteri carne, damnum accipies, atq; periculum æternæ salutis.

Quid S. Paulus quartò poscit?

Vt crescant in agnitionem Dei.

Quid est crescere?

Crescere pertinet ad naturam arborum, herbarum, animalium, ac hominum. Et significat augeri atq; proficere. Quo uerbo S. Lucas cap. 1. & 2. utitur, dicens de S. Ioanne atq; Christo: Puer crescebat, & corroborabatur spiritu, sapientia, ætate & gratia apud Deum, atq; homines.

Profer exempla.

Qui positurus est arborem, principiò truncū, insitioni destinatum, humidiori solo committit. Deinde terram circumfodit, ut humorem atque succum imbibere poßit radix. Quæ cùm fuerit succulenta, fœcundat, nutritq; totam arborem, atque diffundit incrementū per omnes ramos, ita ut gemmascere, frondes emittere, atq; fructus producere incipiat arbor. Consimili ratione Deus per Verbum suum, atq; spiritum, inserit hominem nouum Adamo ueteri, qui ueluti syluestris est truncus. Omnes enim homines natura sunt agrestes caudices, nullum igitur alium fructum ferunt, quàm syl-

ueſtrem & acerbum, imò ſi per hortulanum non fuerint in terram fœcundiorem translati, neque meliores inſerti rami, nullus ad radicem ſuccus poterit peruenire, nec ullas arbor frondes, aut fructus proferre.

Quomodo iſta ſunt intelligenda?

Quòd ſi Deus ſpiritu ſuo ueterem Adamum non immutauerit, nec à mortis ac infidelitatis horrore, tenebriſq́; liberatum, perduxerit in uitæ atq; fidei lucem, nihil ex eo fiet. Arborem oportebit habere pinguem, humidamq́; terram, ſolem ac pluuias: hoc eſt, neceſſe erit hominem Dei gratia perfundi, eumq́; in Eccleſia rore diuino, pluuiaq́; Euangelij humectari, à iuſtitiæ deniq; ſole, qui Chriſtus eſt, illuminari: Stolones item ac inutiles fruticationes aliquando deſalcari: hoc eſt, oportebit interdum à Deo tentari hominem per crucem, aduerſitates, atq; morbos, ut uetus Adam mortificetur, & à peccatis mundetur. Hinc Chriſtus, Ioannis 15. ait: Pater meus agricola eſt, Qui palmitem ferentem fructum purgat, ut copioſiorem afferat.

Quid S. Paulus quinto loco precatur Coloſſenſibus?

Vt omni robore corroborentur, iuxta potentiam gloriæ Dei, ad omnem tolerantiam ac patientiam cum gaudio. Nam omne robur, uis, atq; poteſtas omnis à Deo procedit. Hinc digniſsimo uocatur titulo

titulo Deus sanctus atq; fortis, Suam enim potentiam efficaciter ostendit, cùm ex nihilo mundum totum conderet, cœloq; solem, lunam, atq; stellas apponeret. Deinde tot genera crearet animalium, piscium, auium, herbarum, arborum, frumentorum, uinorum, frugum, ac metallorum. Quæ omnia maxima Dei sunt opera atq; miracula, nihil ei profutura, qui sine fide considerat, & absq; diuina perpendit agnitione.

Quid sexto precatur S. Paulus?

Vt gratias agant Patri, quòd idoneos eos fecerit ad participationem sortis sanctorum, in lumine. Postquam S. Paulus ostendit preces pro Colossensibus fusas, iam indicat eum, quem orauerit pro illis, nempe cœlestem patrem, cui debeant & ipsi gratias agere, pro tribus beneficiorum generibus in electos suos collatis.

Quodnam primum est beneficij genus?

Quòd idoneos fecit ad participationem sortis sanctorum, in lumine.

Quid significat, in lumine?

Similitudinem à sole uel die mutuatus est S. Paulus. Q. d. Cùm exoritur sol, diem affert, totumq; mundum radijs suis illustrat, calorem, ardoremq; præbet, quorum beneficio uiuit, atq; uegetum redditur omne quod in mundo est, quemadmodum uerno, æstatisq; uidemus tempore, quo recens omnia

renascuntur,

renascuntur, incipiuntq; nouam uitam exigere. Cùm autem sol occidit, tenebras atq; noctem suo discessu facit, atq; relinquit post se frigora, horrorem, stridorem dentium, ut animaduertimus in hyeme contingere, qua uidentur omnia mortua iacere, contecta niuibus atq; frigoribus. Tum homines cooperti uestibus à gelu nimio uix sese poterunt defendere. Sic ubi uerus iustitiæ sol non fuerit in cordibus nostris exortus, nec, ut lucifer, nobis illuxerit, priuabimur lumine, et ardore Spiritus sancti. Quo facto marcebimus atq; peribimus æterna nocte, tenebris, atq; frigorum horroribus absorpti.

Quodnam est secundum beneficij genus?

Quòd eripuit nos Deus à potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filij sibi dilecti. Sic ait S. Paulus: Nos sub regno tenebrarum fuimus: & diabolo, non aliter ac serui atq; captiui, fuimus addicti, in quos Satanas ueluti iure gentium atq; Feudi dominus hæreditarius, plenam potestatem, ac imperium habuit. Sed pater omnipotens singulari bonitate ac misericordia motus, à tam crudeli seruitute atq; tyrannide uindicatos liberauit nos, atque transtulit in aliam ditionem, nempe Christi regnum, atq; in felicioris potentiorisq; Domini, quemadmodum in disciplina militari captiuis accidere solet, prouinciam traduxit.

Quod tertium?

Quòd

Quòd per Christum habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remißionem peccatorum, &c. Hoc est, Deo omnipotenti gratias agere debemus pro ineffabili gratia, qua nos per filium suum Christum eripuit à morte, peccatis & inferno, atq; mediatorem illum unum dedit, per quem solum poterimus in gratiam diuinam redire, amissamq; uitam æternam recuperare.

Quænam huius Epistolæ conclusio?

Verbis istis iam dictis concludit, eum ostendendo, per quem redempti sumus, nempe Christum unicum salutis nostræ portum & anchoram, per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius, nempe remißionem peccatorum. Q. d. Nobis accidit non aliter atq; furibus aut damnatis hominibus, cruciq; destinatis, quos misericordia motus prediues aliquis princeps à patibulo redemerit, precio persoluto liberauerit, & in gratiam tutelamq; suam receperit. Nos peccatis undiq; coopertissimus, in potestatem Diaboli atq; mortis redacti. Iam igitur pro meritis nostris in crucem adigendi, æternæq; mortis afficiendi supplicio. Quod miserabile statum nostrum aspiciens Iesus Christus, prosiluit, ac nostri misertus, dixit Satanæ: Manum abstine, reis dona uitam, & in eorum locũ me serua. Pro capitibus illorum precium exoluã, atq; pœnas luam. Haud grauatim Satanas accepit conditionem

ditionem atq; uadem, arbitratus iam in suo loco secu noq; rem esse totam, eamq; se factam habere: Ergo *ueluti* Dominus *in captiuum suum incipiat tyrannidem exercere Satanas, tentauit* Christum, *iniecit manus, flagellauit, crucifixit, et occîdit.* Atqui Christus *ipse, postquam eius hora uenisset, è malis omnibus emersit, atq; potenter erupit, morti dentes excußit, aculeum excîdit, infernum expugnauit, carcere diuulso, libertatem recuperauit, omnemq; Satanæ prædam, uires, atq; potestatem eripuit, & precioso deniq; sanguine suo nobis impetrauit remißionem peccatorum, atque uitam æternam, Amen.*

DOMINICA XXV. POST Trinitatis. Epist. II. Pet. I.

FRatres, Iustum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitare uos per commonitionem: cùm sciam breui futurum, ut deponam hoc tabernaculum meum, quemadmodum & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Quin & dabo semper operam, ut uos post exitum meum horum mentionem facere posſitis. Non enim arte compositas fabulas secuti, notam uobis fecimus Domini nostri Iesu Christi uirtutem & aduentum: sed qui oculis nostris aspeximus

mus illius maiestatem. Acceperat enim à Deo patre honorem & gloriam, uoce ad illum delata huiusmodi à magnifica gloria: Hic est ille filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Et hanc uocem nos audiuimus è cœlo delatam, cùm essemus unà cum illo in monte sancto. Et habemus firmiorem sermonem propheticum: cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, rectè facitis, donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus uestris. Si illud prius noueritis, quòd omnis prophetica scriptura non sit priuatæ interpretationis. Non enim uoluntate hominis allata est olim prophetia, sed à spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines.

Quid S. Petrus in hac docet Epistola?

Postquam in præcedentibus grauiter nos exhortatus fuit, ut bonis operibus fidem redimitam manifestemus, ne ociosa, inanis, et infrugifera esset, sed officiosa, negotiosa & efficax, bonos complures fructus produceret. Iam deinceps admonet, ne fidem semel acceptam faciamus missam, sed tenaciter asseruatam, semper exerceamus atq; probemus, ut ipsi doctores Verbi simul ac auditores, so-

lidum & inexpugnabile nanciscantur fundamentum, quo corda atq; conscientiæ firmiter consistere, niti atq; confidere poßint. Adducit igitur S. Petrus gloriosam de Christi transformatione historiam, Matth. 7.

Quænam parænetica sunt adhortationis Apostolicæ uerba?

Sic ait S. Petrus: Iustum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitare uos per communicationem, ad opera bona, cùm sciam breui futurum, ut deponam hoc tabernaculum meum, quemadmodum & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.

Cur doctrina non sufficit, ut opus sit admonitione?

Duplex est in Ecclesia ministerium. Doctrinæ, & Exhortationis.

Quid est docere?

Est uerum sacræ scripturæ sensum declarare, atq; fideliter ijs interpretari qui ignorant, ueræ pietatis inscij.

Quid est exhortari?

Est ijs denunciare uerbum, qui prius audierunt, atq; nouerunt, apud quos instandum, ne percepta sacra dogmata uentis tradant, sed bono fidei profectu procedant indies, euadantq; meliores, Sumus enim omnes pigro corporis aqualiculo prægrauati, perditaq; mole carnis atq; sanguinis ita circumdati,

dati, ut ad teterrima semper procliuiores simus. Ergo necesse est bonus Verbi minister iugiter instet, exhortetur, ac impellat, non aliter atque diligens paterfamiliàs domesticos suos extimulat ad opera, licet ipsi sciant, quæ debeant ex officio facere.

Cur S. Petrus suum corpus appellat tabernaculum?

Idem dicit quod S. Paulus, 2. Cor. 5. inquiens: Scimus, quòd si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus: domicilium non manufactum, æternum in cœlis. Hîc S. Paulus corpus nostrum appellat tabernaculum, quòd in eo non aliter atque peregrini ac hospites uersemur ac obambulemus. Consimili modo S. Petrus suum corpus uocat tabernaculum, quòd in eo quiescat habitetq; anima. Et satis illud extenuat. Non enim domum appellat, sed quasi domunculam, aut casulam pastoralem.

Vnde S. Petrus nouit breui futurum ut tabernaculum esset deponendum?

Sic ait: Dominus noster Christus significauit mihi. Quibus uerbis Petrus de seipso testatur, se certò uitam habiturum æternam, seq; certiorem de morte sua factum à Deo, atq; tempus prædictum ex hoc seculo migrandi. Cæterùm propter nos hoc

ipsum contigit: Nam oportebat homines aliquos esse, qui certò scirent se per Dei gratiam esse, reliquis doctrina, nec non exemplo sancto præirent, atq; solida fidei iacerent fundamenta. Vt item nos crederemus, ab ijs non humanas traditiones prædicari, sed Dei uerbum. Verumenimuerò priusquam illi peruenerunt ad istam electionis, & æternæ uitæ certitudinem, uarijs à Deo modis tentati sunt, multumq; exerciti, & uelut aurum igne, probati.

Quid est, quòd ait: Dabo semper operam, ut uos post exitũ meum horum mentionem facere possitis?

Non uos, inquit, uiua uoce connitor admonere, sed etiam dogmata ac scripta memoriæ prodita relinquam, quæ post obitum meum alij sunt uobis inculcaturi, ut me uiuo simul ac mortuo semper horum recordemini, ac in recenti memoria habeatis, & nunquam obliuiscamini. Hîc uidemus quantam solicitudinem atq; curam S. Petrus gesserit pro animarum salute.

Quam S. Petrus adducit in hac Epistola historiam?

Sic ait: Non arte compositas fabulas secuti, notam uobis fecimus Domini nostri Iesu Christi uirtutem, & aduentum: sed qui oculis nostris aspeximus illius maiestatem. Acceperat enim à deo patre hono-

honorem & gloriam, uoce ad illum delata huiusmodi, à magnifica gloria: HIC est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Et hanc uocem nos audiuimus è coelo delatam, cùm essemus unà cum illo in monte sancto.

Vbinam habetur hæc in Euangelio scripta historia?

Matth. 17. sic legimus scriptum: Assumit Iesus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & subducit eos in montem excelsum seorsim, transformatusq; coram illis, & splenduit facies eius sicut Sol. Vestimenta autem illius facta sunt alba, sicut lumen. Et ecce conspecti sunt illis Moses & Helias, cum illo colloquentes Respondens autē Petrus, dixit Iesu: Domine, bonum est nos hic esse, Si uis faciamus hic tria tabernacula, Tibi unum, & Moysi unum, & Heliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit illos: & ecce uox è nube, quæ diceret: HIC est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, Ipsum audite. Et cùm hæc audissent discipuli, prociderunt in faciem suam, & territi sunt uehementer. Et accedens Iesus tetigit illos, dixitq;: Surgite, & ne timeatis. Vbi uerò sustulissent oculos suos, neminem uidebant, nisi Iesum solum.

Quid S. Petrus per eandem historiam docere contendit?

Nostrum, inquit, Euangelium, quod uobis præ-

dicamus, non à nobis habemus, nec è digitis nostris suximus, neq; confictum accepimus ab argutis fabulatoribus, fucato uerborum bullatorum lenocinio consuetis uti, quorum in numero Graeci fuerunt, insignes concinnioris orationis artifices. Hos non audiuimus, nec secuti sumus. Hoc est, non prædicauimus humanas traditiones, ac deliramenta, sed quod certò nouimus esse Dei uerbum, quod oculis uidimus, & auribus nostris accepimus, cum essemus in monte, ubi coram nobis transformatus fuit Christus, & nos gloriam eius uidimus atq; audiuimus

Quomodo S. Petrus hanc Epistolam concludit?

Duabus pulcherrimis sententijs Epistolæ finem imponit.

Quænam est prior sententia?

Sic ait Sanctus Petrus: Habemus firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, rectè facitis, donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus uestris. Quibus uerbis ostendit Sanctus Petrus originem, unde suam doctrinam desumpserit, nempe à Deo. Grauiter autem hoc loco reprehendit atq; confutat humanas traditiones. Q. d. Huc omnes meæ conciones, et hortationes tendunt, ut uestras conscientias faciant certas, atq; corda uestra confirment, ut credatis indubitanter esse Dei uerbum,

lium quod prædicamus. Ad hoc ipſum igitur constantes adhæreſcere debetis, & ab eo fundamento nunquam abſtrahi, uel reuelli, quum ſciamus utiq; uerum eſſe Dei uerbum, ſciamq; Euangelij negotium, quod ſyncerum atq; purum, ab omnibus humanarum traditionum additionibus uacuum atq; remotum accipi debeat, & conſeruari.

Cur lucernam uocat Euangelium?

Quemadmodum captus quiſpiam in intimis ædium penetralibus, media nocte tenebroſa iacens, opus habet lucerna, tantiſper, dum exorto die, clarius circumſpicere poßit: Sic homo uiuens in hoc mundo, hoc eſt, tenebrarum regno, ubi humana ratio nihil aliud eſt, quàm mera cæcitas, atq; tenebræ: uiuens, inquam, in hac profundißima caligine rerum homo, uehementer opus habet lucerna, hoc eſt, lumine, quod Deus accendit per ſuum Euangelium. In cuius claritate nos ambulantes uidere poſſumus quæ nobis deſint, & quomodo ualeamus ſine offendiculo & incommodis iter noſtrum facere in hoc mundo, dum exortus fuerit lucifer, atq; dies ille Domini magnus.

Quænam eſt altera concluſionis ſententia?

Illud, inquit, prius noueritis, quòd omnis prophetica ſcriptura non ſit priuatæ interpretationis. Non enim uoluntate hominis allata eſt olim prophetia, ſed à ſpiritu ſancto impulſi, locuti ſunt

ſancti Dei homines. Hoc loco Sanctus Petrus reijcit omnes omnium proprias interpretationes, ac proprijs è capitibus adductas explicationes, ſententiasq́;, prohibens ne quis eiuſmodi gloßis & expoſitionibus fidem adhibeat, aut fundamento ueluti ſolido confidat. Non debes, inquit, proprii iudicij cenſura ſcripturam interpretari, quoniam hoc est officium Spiritus ſancti, huius ſolius eſt, ſacrarum literarum ſententias exponere. Proinde ſi poterunt approbare, ſuas gloſſas atq; decreta deprompta eſſe è uero ſcripturæ ſacrario, debemus ea rata putare: ſin minus id poterunt, irrita cenſere, neq; credere, etiamſi uiderentur omnium præſtantißima dogmata. Nam uerus elici non poterit intellectus è proprio humanæ rationis interpretamento, nec genuina ſcripturæ ſentētia reddi per humanam prudentiam. Oportet enim ut ſcriptura ſancta ſe ipſa interpretetur, ac Spiritus ſanctus alios ſcripturæ, per alios eiuſdem locos explicet, atq; declaret.

Quænam eſt huius Epiſtolæ ſumma?

Nihil prorſus aliud in Eccleſia prædicandum eſſe, quàm Dei uerbum, Nec aliud audiendum, quàm Euangelium. Neque patrem cœleſtem aliud uelle, quàm hoc idem & accipiendum, & custodiendum, cùm nos oporteat eiuſmodi uerbum habere, quod æternum manet, Quo paſcantur animæ noſtræ,

stra, & in æterna uita perpetuò conseruentur.

DOMINICA VIGESIMA *sexta post Trinitatis.* Epistola I. *Thessalo.* IIII.

NOlo uos ignorare, fratres, de his qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri non habentes spem. Nam si credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, sic & Deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo: Hoc enim uobis dicimus in uerbo Domini, quòd nos qui uiuemus & reliqui erimus in aduentum Domini, nequaquàm præueniemus eos qui dormiunt. Quoniam ipse Dominus cum hortatu, & uoce archangeli, ac tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primùm, deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Proinde consolemini uos mutuò sermonibus his.

Quotnam res in hac Epistola præcipuè traduntur?

Tres potißimùm. Principiò S. Paulus monet Thessalonicenses, ne plus æquo lachrymentur, aut

...eant de mortuis suis patribus, fratribus, amicis aut uicinis, tanquam de ijs sit post mortem actum, aut nulla resurrectionis spes superſit, ſed potius credere debeant, atq; ſcire reſurrecturos illos in nouiſsimo die, & cum Christo uicturos aeternaliter, Deinde futurā eam eſſe reſurrectionem, confirmat per Christi reſurrectionem. Tertiò profert, quomodo ſit ea nouiſsima reſurrectio euentura.

Eſt igitur impium dolere de mortuis?

Scriptura non modò luctum concedit, ſed etiam laudat eum, qui afficitur mœrore atq; dolore propter bonos, qui migrarunt ex hac uita, homines, maximè ſi fuerit ſeruata mediocritas.

Suntne conceſsi luctus exempla?

Maximè, Abraham mortuam uxorem ſuam Saram luxit, & aliquandiu iacuit humi mœstus in officio funeris, Gene. 23. Et Ioſeph, fratres, & omnes Aegyptij planxerunt Iacob Patriarcham, magnoq; luctu exequias celebrârunt, Geneſ. ultimo. Et ſummum ſacerdotem Aaron Iſraëlitae planxerunt dies triginta, Numeri 20. Conſimiliter Moſen, Deutero. ultimo. Christus item Lazarum defleuit, Ioan. 11. Et diſcipuli S. Stephanum, Actor. 7. Erat autem apud Iudaeos tam laudabile atque glorioſum plangere mortuos, ut etiam Deus impijs ſit minatus, eos non deflendos fore, nec in patrum ſepulchris ſepeliendos. Hinc Dominus, Hieremiae 22. ad

Ioacim,

Ioakim, filium Iosiæ, dixit: Non planget eum frater nec soror, Sepultura asini sepelietur putrefactus.

Quid Iesus Syrach de luctu dicit?

Sic legimus Ecclesiastici 22. Super mortuum plora, defecit enim lux eius. Et super fatuum plora, deficit enim sensu. Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit. Luctus mortui septem dies: fatui autem & impij, omnes dies uitæ illorum. Et ca. 38. Fili, in mortuum produc lachrymas tuas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum iudicium contege corpus illius, non despicias sepulturam illius. Propter delaturam autem amarè fer luctum illius uno die, uel duobus, propter detractionem. Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum: Mihi heri, & tibi hodie. In requie mortui requiescere fac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus sui.

Quid est, quòd Sanctus Paulus ait: Nolo uos ignorare fratres, de ijs, qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri, non habentes spem?

Luctus Christianorum atq; gentium distinguit, atq; planctum credentium, ac infidelium discernit. Q. d. Propter defunctos homines fideles non ita flere debemus, quasi nullam spem haberent, more

more bestiarum mortui, salutis omnis expertes. Nam Christianorum mors nihil aliud est, quàm somnus. Ad exiguum tempus abstrahuntur, & è conspectu nostro eripiuntur, atq; conseruantur in Dei manu, ubi quescunt in pace, atque feriantur, celebrantq; uerum sabbatum, donec nouissimus aduenerit dies, in quo resurrecturi sunt, ac æternaliter uicturi. Mors quidem irruit in Christianos, sed ipsi non permanent in illa. Porrò mors piorum est finis atq; terminus omnium calamitatum atque malorum, omnis gaudij principium, & porta, uia, pons, scalaq; ad æternam uitam. Atqui meritò deflemus, atq; plangimus eos, qui peccatores impij, sine uerbo Dei migrant ex hoc seculo. Nam per mortem hancce temporalem illi transeunt in æternam, ibi nulla spes est, nullaq; salutis mica. Mors aggreditur illos, & absorbet conficitq;. Quibus is finis est, atq; meta gaudiorum omnium mundanorum, atq; uoluptatum carnalium, & initium & origo dolorum atq; miseriarum omnium, uia denique atq; porta ad æternam damnationem. Hinc prouerbiorum 11. Mortuo homine impio nulla erit ultrà spes, Iustus autem de angustia liberatus est.

Cur hac admonitione de luctu S. Paulus utitur?

Verisimile uidetur Thessalonicenses planxisse mortuos suos more Iudaico, circiter dies triginta: propter eam superstitionem eos coarguit S. Paulus

lus. Quid autem faceret, si uideret hodie in templis, cœnobijs, atque parochijs tot institutas ceremonias funerum, atq; pompas exequiarum, à die prima, secunda, tertia usq; ad trigesimam productarum, atque solenniter repetitarum, iustis, anniuersarijs, ubi cum erecto feretro, renouatoq; funere tantus strepitus atque tumultus excitatur, tinniendo, pulsando, fumigando, aspergendo, legendo, cantando, clamando, quasi Deus anno præcedente surdus non audisset eorum clamores. Rumor est, aliquando mortuos sepulchris iacuisse, & quod apprehēderint ore deuorasse. Proculdubiò per sacrificorum cohortium ora, semper insatiabiles absumpserunt omnia fermè quæ sunt in mundo: domos uiduarum, ac pauperum facultates, ut uix retineant rustici frustum panis.

Quomodo S. Paulus resurrectionem mortuorum probat per Christi resurrectionem?

Sic ait: Si credimus quòd Christus mortuus est, & resurrexit, sic & Deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. Hic S. Paulus mortem nostram Christi morti iungit atq; miscet, et illius resurrectioni nostram. Quemadmodum etiam facit, 1. Corinth. 15. Quòd si resurrectio mortuorum non est, ne Christus quidem resurrexit. Q. d. Quàm uerè certoq; resurrexit Christus, tā uerè mortui quoque resurgent.

Obdor-

Obdormieruntne igitur morientes Christiani?

Cùm moritur Christianus, obdormit, nec mors est reputanda, sed somnus. Quapropter oportebit eum resuscitari, atque uiuere cum Christo. Nam si sublata peccati culpa, sublata etiam est peccati pœna, nempe mors. Et in summa, hæc Christianorũ maximè est consolatio simul ac gloriatio, quòd non solùm obdormiemus atq; etiam resurgemus, sed etiam transportabimur cum Christo ad uitam. Sed necesse erit nostram mortem & obdormitionem in confeßionem fidei, & agnitionem ueritatis contingere. Nam si fidem per Euangelium consecuti fuerimus, atq; uera pietate præditi migrauerimus ex hoc seculo, tum Christus suo dorso benedicto nos impositos transfert in cœleste tabernaculum. Contrà si tyrannus, Euangelij persecutor, malusq; Christianus mortuus fuerit, non obdormit in Christo. Quapropter eum non adducit secum in æterna gaudia Christus, sed tradit Satanæ, quem ille mendaciorum deum in uita coluit, cui confisus fuit, credidit, morem geßit, ac inseruiuit.

Quomodo nouissima mortuorum resurrectio continget?

Sic ait S. Paulus: Hoc *uobis dicimus in uerbo* Domini, *quòd nos, qui uiuemus, & reliqui erimus in aduentum* Domini, *nequaquam præueniemus eos, qui dormiunt. Quoniam ipse* Dominus *cum hortatu*

hortatu & uoce archangeli, ac tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primùm. Deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra, & sic semper cum Domino erimus.

Quidnam hisce uerbis significat Sanctus Paulus?

Graphicè depingit, & ob oculos nobis ponit, clarißimeq́; demonstrat, quomodo futurū sit in extremo die. Libenter sciuissent Thessalonicenses, utrum omnes homines simul, an alij post alios essent resurrecturi. Quam hic quæstionem S. Paulus dissoluit, inquiens: Cùm in nouißimo die Christus ad iudicium uenturus erit, tum plurimi homines uiui, superstites erunt in terris, quemadmodum & Christus confirmat, Lucæ 17. & Matth. 24. Oportebit enim uerum manere istum Articulum: Deinde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Sic autem Resurrectio continget, ut Adam non præuenturus sit Abrahamum, sed omnes simul in oculo momento coram tribunali Christi manifestabimur, & apparebimus immutati.

Quomodo ueniet Christus?

Veniet cum hortatu, & uoce Archangeli, ac tuba Dei. Qui tum temporis suæ diuinæ maiestatis gloriam declaraturus erit, ut omnia elementa commoueantur, terrore concutiantur, & intremiscant. Quæ sunt in terris, & in cœlo, omnia plena

futura

futura sunt ignibus. Quemadmodum coruscans fulgur ingruit temporis momento, sic etiam in oculi nictu dies Domini incidet, eo potißimum tempore, quo se putabunt homines securißimos. Oportebit autem omnes homines in lucem prodire, etiam si iacerent in intimis profundæ terræ uisceribus, aut in infernali barathro sepulti. Etenim quum ille uenerit Iudex, tum omnes oportebit protrahi, & ab omnium hominum oculis illum uideri. Qui uisibilis apparebit in ignea nube, Circundatus enim flammis ingruet. Ipsi cœli pluent ignem ad pios homines purificandos, & impios affligendos, atq; torrendos. Ipse Iudex Christus ueniet, sed præmißis præcursoribus atq; satellitibus suis, cum hortatu ingenti atq; claßico. Vox Archangeli tam grauiter intonabit, tamq; fortiter insonabit, ut omnes statim mortui resurrecturi sint, atq; uicturi. Quamuis autem ea uox Archangeli sit, tamen in ea tantæ sunt futuræ diuinæ potestatis uirtutes, ut per illã quicquid in terris uixerit, sit moriendum: & quicquid mortuum, ad uitam rediturum in unico nictu oculi. Tũ qui Christi sunt, euestigiò rapientur in aëra, ibique apud Christum hærebunt, & mox in cœlestem Hierosolymam, in æterna gaudia concessuri. At impij relinquentur in terris, & in æternum ignem cum diabolis omnibus deturbabuntur, postquam Iudex sententiã protulerit istã, Matth. 25. Discedite à me maledicti in ignẽ æternũ, qui paratus est diabolo, & angelis eius.

Quo-

Quomodo S. Paulus hanc Epistolam concludit?

Sic ait: *Consolemini uos mutuò sermonibus his.* Q. d. Hæc uestra sit consolatio, Cùm iudex mortuorum atq; uiuorum Christus, apparuerit in nouißimo die, non ueniet uobis ut tyrannus, sed protector, patronus, pater atq; frater Christianorum, qui dicturus peramicè: Venite benedicti patris mei, poßidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Omnem igitur timorem eijcite, Domini diem hilariter expectantes. At qui Christiani non sunt, iniquitatis operatores, omni metu, tremore atq; horrore perfusi audient crudelem illam sententiam: Discedite à me maledicti, &c. Quapropter Christiani nihil turbemini, nihilq; concidatis, cùm Satanas, mundus atq; tyranni ferociter uobis insultauerint, insaniuerint, uestram fidem, doctrinam atq; uitam damnauerint, atq; fuerint insectati, imò si facultates uobis omnes atq; uitam eripuerint, patienter tolerate, cùm admodum breue sit afflictionis uestræ tempus. Veniet ueniet iustus ille Iudex, qui uos est uindicaturus, & unicuiq; pro meritis suis premia redditurus. In eo die longè alijs oculis nos hostesq; nostros respecturi sumus. Nam hi supplicijs eternis et angustijs circundabuntur. Nos autē qui sumus in Christo, cum eodem sponso nostro, ad eterna gaudia transibimus, Amen.

IN DIE DEDICATIONIS

Templi. Apocal. XXI.

ET uidi cœlum nouum, & terram nouam. Primum enim cœlum, & prima terra abijt, & mare iam non est. Et ego Ioannes uidi sanctã ciuitatem Hierusalem nouã descẽdentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatã uiro suo. Et audiui uocem magnam de cœlo, dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populi eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorũ Deus. Et absterfurus est Deus omnem lachrymã ab oculis eorum. Et mors ultrà non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultrà, quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc uerba fidelia sunt, & uera. Et dixit mihi: Factum est. Ego sum Alpha & ω. Initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ uiuæ gratis. Qui uicerit, possidebit omnia, & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius. Timidis aũt et incredulis, & execratis, & homicidis, & scortatoribus, & ueneficis, & idololatris, & omnibus mendacib. pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.

Quæ iam

Quænam in hac docentur Epistola?

Ista tria. Primò, quòd Deus apud homines habitare uelit. Prouer. 8. Delitiæ meæ esse cum filijs hominum. Deinde, quid Deus hominum cohabitans facere uelit, nempe lachrymas omnes abstergere. Tertiò, quænam euentura sint incredulis, blasphemis, fascinatoribus, idololatris, scortatoribus, mendaciorumq; prædicatoribus, qui Deum accolam, eius præsentiam non cupiunt.

Quænam habitandi loca sibi Deus elegit?

Habitationis loca tria sibi Deus elegit: Cœlum, Ciuitatem, ac Templum Hierosolymitanum, Et Cor hominis fidelis.

Quænam est Dei prima sedes?

Ea cœlum est. Quod habitaculum scriptura uocat cœlestem Hierosolymam, beatorum regnum, et uitam æternam. De qua sede loquitur Esaias, cap. ultimo: Cœlũ, inquit, sedes mea, terra aũt scabellũ pedum meorum. Hanc sedem Deus repleuit innumerabili multitudine sanctorum angelorum, cœlestiumq; spirituum, qui uoce incessabili proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus Zebaoth. In hoc regnum cœleste Christus introducturus est omnes pios & electos homines, ibiq; Deus cum omnibus angelis atq; sanctis habitaturus æternaliter, quemadmodum confitemur in Apostolico symbolo, dicentes: Credo uitam æternam.

Quinam secundus habitationis diuinæ locus?

Templum fuit Solomonis Hierosolymitanum, De quo 3.Reg.9. Dominus apparuit Solomoni, dicens: Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me. Sanctificaui domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum. Et quicquid petieris, fiet tibi. Et Psal.131. Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi, Hæc requies mea in seculum seculi: hîc habitabo. Quæ autem in eo templo, ubi Deus super gratiæ thronum habitabat, fiebant, externa fuerũt omnia, ut sacrificia, fumigationes, aspersiones, aliæq; ceremoniæ. Quæ fuerunt umbræ atq; figuræ, respicientes atq; demonstrantes insecuturum Christum.

Quænam tertia Dei sedes est?

Sunt corda credentium, animæq; fidelium, quemadmodum ait S.Paulus, 1.Cor.3. An nescitis, quòd templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in uobis? Si quis templũ Dei prophanat, hunc perdet Deus, Nam templum Dei sanctum est, quod estis uos. Et 6. An nescitis, quòd corpora uestra sint templum eius, qui est in uobis, Spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis ipsi uestri iuris. Nam empti precio. Glorificate iam Deum in corpore uestro, & in spiritu uestro, quæ sunt Dei. De hoc Dei tabernaculo canit Ecclesia, dicens: Domine conditor omnium

um rerum, qui nullis opibus indiges, qui templum tuum, & habitaculum in nobis parasti, quæsumus hanc domum atq; templum tuæ habitationis purum & impollutum per æterna secula conseruare digneris. Quòd autem in nobis ipse Deus habitare uelit, Christi probatur sententia Ioan. 14. dicentis: Qui diligit me, diligetur à patre meo. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hinc etiam Christus gauisus est quòd Zachæus etiam sit eiusmodi factus habitaculum. Dicit enim in hodierno Euangelio: Hodie salus huic domui contigit, eò quòd & ipsa filia sit Abrahæ, Lucæ 19. Etenim Deus per Christum in hoc templo gratiam, felicitatem, et salutem omnem operatur. Destructum autem illud est, & abrogatum quod Hierosolymæ fuit, atq; pro eo sunt erecta credentium corda. Cæterùm quòd externa lapidibus atq; lignis templa construuntur, ideò fit, ut ibi conueniant Christiani, ad audiendum Dei uerbum, ad orandum, & ad recipienda Sacramenta.

Cur Ioannes appellat Christianos sanctos?

Quoniam sunt Ecclesia, concioq; sancta, per sanctum spiritum collecta, ex omnibus linguis atq; dialectis, sanctificata per Christi sanguinem.

Sed in Ecclesia sunt impij multi.

Hi non sunt Ecclesiæ membra, sed corporis quasi putredines, ulcera, saniesq; purulenta, Et uelut sunt in segetibus zizania & lolium, In argento metallisq; scoria.

Cur appellat Christianos ciuitatem?

Quoniam in Ecclesia uigere debet concordia, & inter omnes Christianos honesta politia. Hinc Sanctus Paulus uocat eos conciues sanctorum, atq; Dei domesticos, Eph. 2. Quorum conuersatio, colloquium, mens, animus atq; cor in cœlestibus esse debent, non curare terrestria.

Cur Ecclesiam Christianam uocat Hierosolymam?

Quoniam Hierosolyma ciuitas est pacis, atq; doctrinæ sanctæ, qualis est Euangelica. Porrò ubi non fuerit eiusmodi doctrina cœlestis, ibi neq; Ecclesia erit, neq; Hierosolyma, sed mera Zodoma, diabolicum dogma, atq; mendacium. Etenim Deus est uerax: discipulos igitur ueraces requirit. Est item Deus pacis: pios igitur atq; pacificos uult habere filios.

Cur appellat eos ciuitatem nouam?

Quoniam Hierosolyma uetus extructa fuit lignis atq; lapidibus, non æterna, sed ruinis obnoxia. In qua fuerunt hæreses atq; sectæ Pharisæorũ, Sadducæorum, Annæ, Cayphæ, Pilati, Herodis, atque consimilium impiorum hominũ. Hæc autem Hiero-

solyma

solyma deuastata est. Sed noua Hierosolyma, hoc est, Ecclesia Christi, constructa est uiuis lapidibus, qui sunt homines fideles atq; credentes, ut canit in Hymnis Ecclesia.

Cur Sanctus Ioannes ait: Vidi descendentem de cœlo?

Quoniam Ecclesia non est de mundo, hoc est, non de terrestribus neq; carnalibus deducta. Non ex carne, neq; sanguine, sed cœlitus per aquam ex spiritu sancto nata, superq; durißimam petram, qui Christus est, ædificata, aduersus quam inferorum portæ non ualebunt, Matth. 16.

Cur dicit: A Deo paratam?

Quoniam terrestris Hierosolyma constructa fuit hominum manibus, & ab ijsdem rursus destructa. Atqui cœlestis hæc Hierosolyma, hoc est, Ecclesia Christiana, à Deo condita est, atq; ita uallata, munitaq; ut æternaliter permanere, nunquam corruere debeat, quemadmodum dixit Angelus, Lucæ 1. Regnabit super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Cur ait: Sicut sponsam ornatam uiro suo? Quisnam ille uir?

Hic uir est cœlestis sponsus, De quo S. Paulus ait, 2. Corinth. 11. Zelotypus sum erga uos Dei zelo. Adiunxi enim uos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo. De hac sponsatione loquitur Oseæ cap. 3. dicens: Sponsabo te mihi in sempiter-

num, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus. Est autem Christus uerus sponsus, & ueri Christiani cuiuslibet, hominisq; credentis anima sponsa, per fidem in Baptismo desponsata Christo. Quæ si uerbum diuinum pio fideliq; corde fuerit complexa, concipit, grauidaq; redditur à spiritu sancto, paritq; spiritualiter Christum. Contrà, si contempserit Euangelicam doctrinam, & adhæserit impijs hominum atq; dæmoniorum inuentionibus ac decretis, perfida redditur, periurij rea, in sponsum suum Christum peccat, spiritualis adultera facta. Nam humanis traditionib. acquiescere, amplectiq; falsa dogmata, spirituale adulterium committere, Psal. 105.

Cur appellat eam Dei tabernaculum cum hominibus?

Quemadmodum in solitudine præcepit Mosi Dominus, ut ædificaret sibi tabernaculum, in quo apud populum Israëliticum habitans, eorum pater, patronus atq; protector esset. Deinde cùm in terram Cananæam uenissent, Solomon iussu Dei construxit Hierosolymæ templum, quod simul ipse Deus incolens, inter Israëlitas uersaretur. Sic etiam in hoc mundo inter Gentes atq; Iudæos sanctam Ecclesiam erexit Dominus omnipotens, ut inter Christianos ex illis factos per Euangelion habitet, eorū Deus, protector atq; pater.

Quid

Quid in eiusmodi cohabitatione Deus est operaturus?

Sic ait S. Ioannes: *Absterſurus eſt omnem lacbrymã ab oculis eorũ.* Et *mors ultrà non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultrà, quia prima abierunt.* Et *nox ultrà non erit, & non egebũt lumine lucernæ, neq; lumine ſolis, quoniam* Dominus Deus *illuminabit illos, et regnabũt in ſecula ſeculorum.* Præterea S. Ioannes ait: Dixit *mihi,* Ego *ſum* Alpha *&* ω, Initium *& finis.* Ego *ſitienti dabo de fonte aquæ uiuæ, gratis, & eſurienti ſuppeditabo cibum de uitæ ligno, quod eſt in paradiſo: & omnes anguſtias atq; tribulationes auferam, impoſiturus ei coronam uitæ.*

Quid est, quòd ait: Ecce noua facio omnia?

Nihil aliud ſignificat, quàm quod per Prophetam Eſaiam *dicit, inquiens:* Ecce *ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora.* Et *gaudebitis, & exultabitis uſq; in ſempiternum.* Quaſi *dicat:* Quamuis *in hoc ſeculo* Christiani *multa pati cogantur, crucemq; ſuam ferre, tamen tempore ſuo diuinum ſolatium, æternumq; gaudium ſunt habituri, quemadmodum* Chriſtus *ait,* Ioan. 16. *Amen amen dico uobis, plorabitis et lamentabimini uos, mundus contrà gaudebit.* Vos *autem mœrore afficiemini, ſed mœror ueſter uertetur in gaudium, quod nemo tollet à uobis.*

Quid euenturum est infidelibus, blasphemis, ueneficis, atq; reliquis facinorosis?

Sic ait Deus: *Timidis autem & incredulis, & execratis & homicidis, & scortatoribus, & ueneficis, & idololatris, & omnib. mendacibus, pars illorũ erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Pius olim David ualde solicitus fuit, & anxius propter templum Deo construendum. Ait enim ad Nathan Prophetã: *Vidésne quòd ego habitem in domo cedrina, in monte Sion, & arca Dei posita sit in medio pellium?* 1. Reg. 7. Putabat iniquum à se magnificam arcem habitari, domum autem à Domino Deo nullam. Quapropter omni studio atq; labore prouidebat, procurabatq; omnia futuro necessaria ædificio, utpote ligna, lapides, ferrum, chalybem, argentum, aurũ, gemmas, serica. Verùm isti contemptores Dei, blasphemi, scortatores, homicidæ, atq; alij iniquitatis operatores, nunquam in animum induxerunt, aut cogitârunt in cordibus Deo domum erigere, nedum templum. Atqui non grauantur summorum templorũ structuras atq; cœnobia ædificare, atq; Diabolo dicare, hoc est, Satanæ morem gerere, atq; uoluntatem explere gaudent. Qui tanquam sues in luti uolutabro iacentes, omnibus peccatorum generibus obruti sunt, horridoq; criminum inquinamento cõmaculant, offendunq; plurimos scelerata sua ui-

ta,doctrinisq; uenenatis,nunquam cogitant de prauitate corrigenda,ineundaq; meliore uita, sed manent surdi,cæci,muti,atq; claudi ad omne opus bonum,uolentesq; ruunt in exitium.

Sed quidnam pij faciunt Christiani?

Qum peccauerint Christiani, statim ad Dei genua procumbunt, humiliant sese, non attollunt ad cœlum oculos, percutientesq; pectora, dicunt cum publicano: Deus propitius esto mihi peccatori. Orant item cum Ecclesia catholica, in hanc sententiam: Deus omnipotens,quomodo nomen tuũ sanctum inuocare, quomodo consistere potero in conspectu tuo,cùm seuerißimus Iudex ueneris iudicatum uiuos ac mortuos? Ego enim cor meũ non conseruaui purum,sed animam quam huic indidisti carni,uarijs criminibus conspurcaui,templumq; corporis mei, quod spiritus sancti tabernaculum esse decuerat,prophanaui,peßimis operibus conspurcando, sed oro te Domine Deus, omnis misericordiæ pater, ne me proijcias à facie tua, sed potiustua gratia perfunde. Tibi soli peccaui,et coram te mala feci. Iaceo prostratus ad tuæ gratiæ thronum,ut misericordiã consequar. Mi igitur, Domine,miserere. Deus autem proculdubiò propitius est futurus,quorũ humiliata, atq; contrita corda suppliciter illum inuocant, atq; gratiam orant. Et ab ijsdem (ut à Zachæo) facilè Christus inuenitur,

facturus

facturus e peccatoribus homines iustos, atq; Dei filios.

Quænam est huius Epistolæ summa?

Quicunq; uoluerit animæ suæ possessorem Deum habere, is sese præbeat ac offerat tanquam lapidem uiuum ad incolendum Deo templum. Permittat ab illo sese renouari, leuigari, dolari, & expoliri. Patiatur etiam quæ Christus sacerdos summus operaturus. Quemadmodum enim Episcopus in dedicatione, atq; consecratione templi, sic Christus in nobis suo fungitur officio, sed diuersa ratione. Nam hic Pontifex maximus non aqua, sed precioso sanguine suo nos aspergit. In baptismo nos oleo sancti spiritus inungit, mentem atq; corda nostra sua gratia, atq; salutifero uerbo illuminat, diuina benedictio[illegible] nos corporaliter atq; spiritualiter prosperat. Clementer deniq; concedit nobis fidem, charitatem, spem, patientiam, & cum omni gratia peccatorum remißionem, atq; uitam æternam. Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX EPISTOLARVM
Dominicalium totius anni.

Dominica

INDEX.

Finis.

FRANC. Apud Hæredes Chr. Egen.
Anno M.D.LX.